756077

4 fem.

52.

BALOGH ISTVÁN
adománya
a t. füredi ev. ref. iskolának

251.

ELEMENTA
JURISPRUDENTIÆ
HUNGARICÆ.

PER

ALEXANDRUM KÖVY,

Incl. Comitatuum Zabolch, Zemplén et Ungh Tabulæ Judiciariæ, nec non Georgici Keszthelyiensis Assessorem.

BALOGH ISTVÁN
adománya
a t. füredi ev. ref. [illegible]

Balogh Zs
251.

S. PATAKINI,
Impressa per Andream Nádaskay.
1835.

EG. EFEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

INTRODUCTIO.

§. 1. Origo et Summarium Juris Humani. §. 2. Leges Hungaricæ positivæ, vel ex naturalibus et positivis mixtæ. §. 3. Jus Civile Hungaricum publicum et privatum, hoc vero, Civile in specie et Criminale. §. 4. Scriptum vel non scriptum, commune vel speciale.

§. 1.

Posteaquam homines ex statu naturali in societatem civilem transeuntes, semet singuli universorum simul sumtorum voluntati, adeoque communi imperio subjecerunt; enata est suprema potestas in singulos, quæ Majestas appellatur, seque maxime per legislativam potestatem exserit; vi cujus potest et debet legislator, leges naturales, ne ignorentur, promulgare, declarare, ad casus occurrere solitos applicare, præmiis vel pœnis munire, obligationes naturales imperfectas jure cogendi adjecto perfectas reddere, Jura naturalia, quæ cum juribus sociorum consistere non poterant, restringere, ea, quæ jure naturali in medio relicta sunt, id est: nec præcepta, nec prohibita, vel præcipere vel prohibere etc.

Ne vero Jura civium, sive origine sua naturalia, sive ex obligationibus moralibus in obligationes Juris mutatis, aut ex actionibus jure naturali indifferentibus, per rempublicam vel præceptis, vel prohibitis, restrictioneque Jurium naturalium enata, licet jam pœnis nefors munita, facile lædantur; potuit adhuc Resp. experientia edocta, Actionibus subditorum, v. gr. Testamentis, Contractibus, et, in universum, Juribus vel connatis vel adventitiis exercendis modum et formam præscribere, ætates pro validitate actuum determinare etc.

Cum tamen, pœnis et cancellis his non obstantibus, Jura civium per cives violari contingat, potuit denique et debuit Resp. secundum prudentiæ experientia comparatæ regulas, modum illa defendendi, reparandi, vindicandi, adeoque Judicia, rationemque in illis procedendi ordinare.

§. 2. Quælibet itaque Societas civilis, atque adeo etiam Hungarica habet leges suas, vel ex declaratione et sanctione legum naturalium enatas, adeoque mixtas, et nonnisi quoad partem positivam, sanctionem videlicet mutabiles, vel mere positivas, non in legibus juris vere talis, verum in experientia et politica prudentia fundatas, adeoque in totum mutabiles.

§. 3. Harum legum omnium complexus vocatur Jus Civile, quod vel totam civitatem, formamque et modum Regiminis et publicæ Administrationis, vel vero personas singulorum, eorumque res et actiones respicit; prius vocatur Jus publicum particulare, posterius Jus civile privatum. Hoc bifariam abit, cum enim de rebus

acquirendis, defendendis, alienandis agit, Jus civile in specie, cum vero in puniendis delictis versatur, Jus criminale appellatur.

§. 4. Ad hæc: Quum Jus Hungaricum partim legibus scriptis, idest expressa legislativæ potestatis voluntate concinnatis et publicatis, partim non scriptis, idest: consvetudine, tacito Populi, Principisque consensu, atque adeo usu introducta constet, in scriptum et non scriptum. Prol. 2: §. 1. abit; proutque vel ad totum Regnum, Provinciasque eidem adnexas, vel tantum ad partem aliquam 1, 2, 3. 4, 8, 25, 1-mæ (v. gr. ad Croatiam, Hajdones, Jazyges, Cumanos, liberas regiasque Civitates, aut loca montana etc.) pertinet, commune vel speciale, alias municipale 3-tiæ 4. §. 7. 86: 1723. audit.

§. 5. Principia juris Hungarici, cum aliis Juribus humanis communia. §. 6. Principia ejus propria: 1) Articuli Diaetales, et Verbőczianum Tripartitum. §. 7. Interpretatio, eorum authentica et usualis, non interpretatio, verum Lex est. §. 8. Doctrinalis interpretatio, §. 9. In subsidium adhibet spiritum legis. §. 10. Philologiam. §. 11. Philosophiam et Historiam, raro Analogiam. §. 12. Regulas ponit circa collisionem Legum. §. 13. Circa favores et odia. §. 14. 2) Consvetudo. §. 15. 3) Privilegia. Validitas eorum unde metienda? §. 16. Usus et virtus eorum. §. 17. Quibus modis cessant. §. 18. Privilegia (seu beneficia Juris). §. 19.

4) Statuta particularia. §. 20. 5) Decisiones Curiales.

§. 5.

Potior pars Juris Hung. ut dictum, est ipsum Jus naturæ, reliqua, quæ scilicet experientiæ et prudentiae politicae originem debet, (præterquam quod in matrimonialibus hucdum ad Jus Mosaicum recurri soleat) hauritur ex principiis et fontibus illi propriis.

§. 6. Sunt vero primo: Articuli Diætales, leges scilicet cum expresso Principis et Populi, idest: Statuum et Ordinum Regni consensu latæ, 12: 1791. vocantur alias Decretum vel Statutum generale. Leges S. Stephani, S. Ladislai item et Colomanni, per libros et capita, reliquorum omnium vero vel per annos et articulos, (additis aliquando his compendiis: a. cor. p. cor. idest: ante vel post coronationem) vel cum nomine Regis, per numerum Decreti et Articuli citantur. Verbőczianum Opus (quod, ut dicetur alias, etiam vim legis habet) per numerum Tituli, prout is, aut Prol. (idest: Prologalis) aut 1-mæ, 2-dæ, vel 5-tiæ Partis fuerit, provocatur.

§. 7. Legum interpretatio authentica fit per ipsum Legislatorem, Prol. 6: 12. Usualis per consvetudinem Prol. 11. utraque est loco legis, et facit Jus, quid! quod illa prior interpretationem ulteriorem desiderat.

§. 8. Sola itaque veri nominis interpretatio est doctrinalis, quæ per Judicem adoptata facit Jus inter partes, facta est judicialis, et quo-

niam, vel ex verbis, vel ex ratione legis (sive interna et morali, sive externa et historica) fit, sequitur Philologiam, Philosophiam et Historiam, quarum una absque altera nihil in interpretando proficit, media tantum esse interpretationis, non partes.

§. 9. Quum vero non tam verba, quam spiritus legis, et intentio legislatoris spectari debeat; evanescit cum ipsa philosophica interpretatione divisio hujus in Extensivam et Restrictivam.

§. 10. Ope Philologiæ, partiumque ejus, criticæ et grammaticæ, homo intelligens, in etymologiam et significationem verborum inquirit, textum dividit, interpungit, emendat vitiosa, restituit interpolata, secernit a spuriis genuina, dum secus absurdum, vel nihil prodiret, a propria verborum significatione recedit, si hæc multiplex est, substratam materiam consulit.

§. 11. Ope Philosophiæ, et respective Historiæ autem: ubi eadem est ratio legis, eandem ponit dispositionem legis: sed ab hac Analogia recedit in privilegiis, gratiis, pœnis, juribusque aliis singularibus, cessante porro ratione legis finali et adæquata, legem cessare declarat.

§. 12. Limitatione aut exceptione speciali a lege universali per legem facta, hanc, quoad alios omnes casus firmari, legemque specialem, per posteriorem quantumvis generalem, nonnisi expressa ejus mentione facta tolli, alias, utramque priorem quidem in forma exceptionis, stare,

est, contraria generali generalem, speciali specialem plane tolli docet.

§. 13. Denique favores extendendos, odia restringenda svadet quidem, verum, prout favorabilia illa tantum habet, quæ utriusque partis æqualem faciunt conditionem, communemque utilitatem spectant, ita, quæ unam duntaxat partem, vel unam magis quam alteram gravant, aut pœnam continent, odiosa esse declarat. D. 15: 127. 5: 136. 5: 151.

§. 14. Secundo. Consvetudo, quæ ex Actionibus populi frequentibus, non coactis, uniformibus, judicialibus et extrajudicialibus, animo inducendæ obligationis, accedente consensu Principis vero vel præsumto exercitis, enascitur, atque, cum factis innitatur, si in dubium revocetur, nec sit notoria, vel Tribunali, coram quo litigatur propria, per allegantem probari debet. Ceterum tollitur lege scripta, et consvetudine contraria generali, prout lex scripta. — Consvetudo vero particularis contra legem scriptam generalem invalescere non potest, sensu 1647: 78. §. 19. licet Prolog. 12. contrarium innuat.

§. 15. Tertio, Privilegia, idest, Leges privæ et speciales, quibus Princeps legitime coronatus, in favorem et beneficium alicujus, contra vel præter jus commune, aliquid constituit 7: 2-dæ. — Quæ et quorum Regum privilegia serventur, et quæ opus habebant confirmatione, vid. 2-dæ 14. et D. 25: 65. De privilegiis Joannis Regis, et Successorum ejus in Transylvania, ad Hung. pertinentibus vid. leges coævas 20, 21, 22, 25: 1552. 14: 1606. 5: 1609. 7: 1622. 46: 1630.

20: 1647. Si Privilegia lege vel consvetudine requisitam formam non habeant, v. gr. exotica lingva, vel absque subscriptione Regis legitime coronati, et absque sigillo ejus, aut contra leges fundamentales, vel cum illis in nexu stantes, v. gr. de prærogativis Nobilium sonantes, 9: 1-mæ, 6: 1723. porro contra Diplomata inauguralia, aliaque Pacta conventa (v. gr. articulis a. cor. Matth. 2-di, et inter Status Catholicos et Evang. anno 1647. inita) porro: Pacificationes, Viennensem cum Stephano Bocskay, Niclasburgensem cum Gabriele Bethlen, Lintzensem cum Georgio I-mo Rákóczy Principibus Transylvaniæ initas, Szathmáriensem cum reliquis Francisco Rákótzianis factam, 49: 1715. confirmatam; denique contra illa, quæ sunt proceduræ judiciali essentialia 11: 2-dæ conferantur, velut ab initio obsoleta, sunt ipso jure nulla et seponibilia. Præterea, salvo jure alieno debent conferri, alias, ad petitionem ejus cui præjudicant, poterunt invalidari. 9, 10, 11: 2-dæ.

§. 16. Qui privilegium allegat, illud in forma probante producere debet, secus juste ignoratur, et juri communi insistitur. In illo autem interpretando stricte verbis inhæretur, cumque sit lex priva et specialis, idem de eo, quod de lege speciali cum generali collidente tenendum: et, prout contra legem consvetudo et usus induci potest, atque innumeris in casibus, (v. gr. contra leges pœnales Seculi undecimi) reipsa inductus, sicque lex in melius mutata est: ita, non tantum privilegio diuturno usu præscribitur, verum, etiam vulgatum illud: acquisita privi-

legio, sunt acquiribilia præscriptione, sano sensu etiam in jure nostro locum habet. Denique, Privilegium est continui usus, potestque esse juris vel negativi vel positivi, cum contra: dispensatio, pro uno casu tantum solvat a lege communi, et restituat naturalem libertatem, detque jus negativum.

§. 17. Cessat privilegium et obsolescit etiam si initio validissimum fuerit, si per Principem ex justis causis revocetur 2-dæ 12. amittitur autem propter abusum (interveniente tamen Judicis sententia) nisi sit communitatis; porro: per Crimen læsæ Majestatis, et notam Infidelitatis, quoad delinquentem, et successores post delictum nascituros. — Intermissa publicatione, vel non usu, Dec. 4. pag. 84. aut contrario alterius usu debito tempore continuato, positivum privilegium amittitur et obsolescit. D. 17: p. 64. non item negativum, idest mere immunitatis et gratiæ, quod suum alterius non afficit. — Hæc suis locis exemplis discentur. Renunciare privilegio personali potest quis quoad suam personam, non item, si successoribus quoque, dignitati, loco, vel communitati concessum sit. Reale, re cui inhæret in alterum translata transit, ea vero cessante, cessat.

§. 18. Beneficia juris, tam singularia, uni personæ vel certo hominum generi, quam generalia, omnibus quoad certa negotia ex lege competentia, vocantur etiam privilegia, quæ cum jure scripto comprehendantur, juste ignorari non possunt, ast si consvetudine nitantur, sæpe probari debent.

§. 19. Quarto. Statuta locorum particularium, seu leges scriptæ particulares, quibus illi, qui Collegium sui juris formant, ea, quæ ad conservandum bonum ordinem, juraque singulorum munienda spectant, vel majoribus, aut sanioribus, vel vero, si de minuendis scilicet singulorum juribus agatur, D. 6: p. 84. unanimibus votis determinare solent, 2, 3, 4. 5-tiæ. Hæc posteriora vocantur Collegialia, illa priora vero legalia, sunt loco legis Prol. 10. 3-tiæ 2. 18: 1635. Societates jure statuta legalia condendi gaudentes sunt: Comitatus, Civitates, Capitula, aliæque nobiles Communitates. Domini Terrestres etiam possunt Statuta condere post approbationem publicam, inter Colonos, loco legum futura: secus quæ tantum ipsos Dominos respiciunt, velut Collegialia et Conventionalia, altiori confirmatione opus non habent; eadem est ratio sæpe Conventualium vel Capitularium. Cœtus Opificum Institutorumque nonnisi cum expresso Principis consensu condunt Statuta. 2: 3-tiæ. 79: 1715. 74: 1725. 10: 1729: Ad Statuta, quæ non contra jus commune fiebant, etiam præsumtus Principis consensus sufficiebat 1715. 120. §. 4. ast hodie, non contra, D. 6: p. 84. verum unice præter jus commune fiunt, et cum protocolla Jurisdictionum suæ Majestati submitti soleant, ratificatio, vel reprobatio Principis semper subsequi solet.

§. 20. Quinto. Decisiones Curiales 2-dæ 6. §. 11. idest: Sententiæ et literæ adjudicatoriæ Curiæ Regiæ, (Tabulæ Regiæ et Septemviralis) nullo Juridico Remedio interturbatæ, ve-

rum executioni datæ. Ex Decisionibus constanter similibus oriuntur Præjudicia. Utraque vim legis habent, præcipue pro foris inferioribus, imo etiam pro ipsa Curia, dum jus tacet, vel ita ambiguum est, ut cognito utrisque Causæ merito nihil occurrat, quod Judicem dimovere possit. — Elementis his, non tantum omnes, quæ in Plano, quod vocant Tabulari reperiuntur Decisiones (ubi e re fuit cum necessariis observationibus) insertæ, et multæ earum, iterum ac tertio, locis accommodis provocatæ sunt (idque, compendii causa, secundum numerum earum, prout sub suis Titulis stant, atque paginarum edit. Poson. 1800.) verum etiam pleræque recentiores, licet eam vim, ac illæ, non habeant, eo quod non sint per Regem confirmatæ et præscriptæ.

§. 21. Subsidia Juris Hungarici in genere. §. 22. Maxime necessaria in specie. §. 23. Nominatim: Historiæ Juris Hungarici, §. 24. Decretorumque Regum. §. 25. Periodi Arpadianæ. §. 26. Periodi mixtæ. §. 27. Periodi Austriacæ. §. 28. Antiquitatum item Juris Hungarici cognitio, Fora Nobilium. §. 29. Ignobilium.

§. 21.

Subsidia Juris Hungarici quod attinet, quo magis quis bonas artes omnis generis, lingvas item eruditas antiquas et recentiores, jura porro et leges populorum cultiorum, inprimis autem res Europæas medii, Hungaricas vero omnis aevi

didicerit, eo facilius, si cetera sint paria, in Jure Hungarico discendo et tractando proficiet.

§. 22. Jus Canonicum, eam præcipue ob causam, quod Matrimonia Catholicorum secundum illud exigantur, et per Evangelicos etiam in subsidium adhibeatur, Historiam item Juris, antiquitatesque ejus, porro eam Statisticæ partem, quæ de administratione reipublicæ, atque adeo etiam rei judiciariæ agit, cum Diplomatica regni (in quo genere utroque celebris Schwartnerus unicus erat) non tantum subsidia, verum partes Jurisprudentiæ nostræ dixerim.

§. 23. De præcipuis Historiæ Juris nostri capitibus, utpote: de libellatico supplicandi modo per Belam III. introducto; de emendata per Carolum I. processuali forma (quo etiam plene sublatum ferri candentis, et aquæ ferventis judicium, licet jam antea sub Ladislao IV prohibitum, pertinet) de Jure Romano civili sub Matthia I. invalescere incipiente, sed sub eodem suppresso; de Stephano Verbőczy, et opere tripartito, per eum auctoritate Uladislai II. adornato, et (quamvis absque solemni Regis vel Comitiorum approbatione) simul ac prodivit, in usum Judiciorum totius Regni, adhuc durantem, deducto, et nonnisi magno post intervallo (1588: 24. 1622: 2.) lege scripta, licet tacite, confirmato; de Quadripartito, quod sub Ferdinando I. in locum operis Verbőcziani, absque successu elaboratum est; de Codice juris montani Maximilianeo 1575. de corpore juris Hung. per Zachariam Mosotzi Episcopum Nitriensem sub Rudolpho edito, de Jure Tavernicali sub eodem instaurato; de Pacificationibus supra nominatis;

de Commissione systematica anno 1715. ordinata, quæ ad emendatam sub Carolo VI. processualem formam multum contulit; de collectione Decisionum Curialium (sub nomine Plani Tabularis) jussu Mariæ Theresiæ suscepta; de novo Ordine judiciario, et Sanctione criminali, per Josephum II. introductis, et cum eodem sepultis, de Deputatione juridica 67: 1791. coordinandis foris, elaborando processuali Ordini, emendandis legibus, Decisionibus Curialibus, quæ in Plano Tabulari reperiuntur, discutiendis, elaborando denique Codici criminali, ordinata, viva voce pauca dicentur.

§. 24. Ceterum sub quibus ex Regibus nostris, quot item, et quæ Decreta Comitialia edita sint, quilibet Juris Hung. studiosus, ubi Compendium Jurisprudentiæ in Scholis pertractaverit, proprio marte ex Corpore Juris enotare, argumenta singulorum pervestigare et perdiscere, sicque pauca ea, quæ in tanta rerum omnis generis farragine, ad Jus privatum facere, et hodiedum valere viderit, secernere, quid illis occasionem præbuerit, et quæ legum singularium ratio historica sit, apud Scriptores Historiæ Hungaricæ, et in quantum suppetunt, in Actis Diætalibus disquirere debet. Memoriæ juvandæ causa brevem Decretorum conspectum hic loci dabimus.

§. 25. Ex periodo Arpadiana, præter memoriam Decreti Andreæ I. restituendæ rei Christianæ causa editi, Bullam item Andreæ II. auream concessas, ut vulgo loquuntur, Nobilibus per S. Stephanum prærogativas, (cum data, sed 4: 1687. sublata, arma contra Regem, si eas violaverit, capiendi facultate) confirmantem, trium nonnisi Regum

Decreta exstant in corpore Juris, utpote: duo Sancti Stephani, tria Sancti Ladislai, duo denique Colomanni, pleraque illa ex ordinationibus diversæ ætatis sequiori ævo collecta, et redacta, atque maximam partem, de rebus Ecclesiam tangentibus, vel puniendis pro genio Seculi Criminibus, agentia, et in multis, non sensu tantum, verum ipsis verbis, Canonibus Conciliorum anteriorum, Decretisque quorundam pontificum anterioris, et posterioris ævi conformia, hinc quædam in illis, v. gr. Sancti Ladislai L. 1. c. 22. (ubi sacrificia ad puteos, lapides et arbores prohibentur) a moribus Hungarorum Paganorum, ut videtur, aliena. Aliud Andreæ II. Decretum, quod paucos tantum articulos Bullæ aureæ adnexos habet, prout et Decretum Belæ IV-ti (quorum neutrum exstat in corp. Juris) edidit Kovachich in vestigiis Comitiorum. Etiam Andream III. duo in corpore Juris non existentia Decreta edidisse ex ejusdem Kovachichii supplementis discimus.

§. 26. Ex periodo mixta. A Carolo I. ejusque filio Ludovico Magno, Decreta singula, a Sigismundo vero Ludovici genero sex, ab Alberto Austriaco unum supersunt. Maria, uxor Sigismundi prior, confirmationem Decreti Andreæ II. et patris sui Ludovici, (qui illud renovaverat) in corpore Juris exstantem, edidit. Decretorum Uladislai Poloni, quæ certo edidit, et quorum nonnulla in originali exstant, nihil est Corpori Juris insertum. Ex Decretis Ladislao Posthumo Alberti filio, adhuc minorenne, per SS. et OO. conditis, duorum tantum fragmenta habentur in Corpore Juris, ipse ubi adolevit, etiam duo De-

creta corpori Juris inserta edidit, Matthia I. in Regem electo, sub avunculo ejus Michaële Szilágyi, Regni Gubernatore, unum tantum Decretum, eo vero jam regni habenas capessente, plurima edita sunt, ex quibus tamen (ultra unum illud, quod Rege belli causa in Silesia absente, per SS. et OO. conditum est) sex tantum in corpore Juris conspiciuntur. Ab Uladislao II. septem Decreta, a filio ejus Ludovico II. pariter, fragmenta quidem, sed septem Decretorum (aliqua ex parte in vestigiis Kovachichianis integritati restitutorum) habet corpus Juris.

§. 27. In periodo Regum Austriacorum: Decreta 20 per Ferdinandum I. (quibus etiam, unum Regni Slavoniæ, aliud ipsius et solius Regis, de restituendis bonis ecclesiasticis editum, inserta sunt) septem per Maximilianum, quindecim per Rudolphum edita, de Juris privati materiis vix tantum habent, quantum Matthiæ II. quatuor Decreta, quorum primo, Pacificatio Viennensis, inter Rudolphum Regem et Stephanum Bocskay inita, cum aliis quibusdam præcipuis objectis, (ante coronationem Regis) inserta est. Ferdinandi II-dus et III-tius quatuor quisque Decreta, ad rem judiciariam multum facientia ediderunt. Etiam pacificatio Lincensis anno 1645. inter Regem Hungariæ et Georgium I. Rákóczy, Principem Transylvaniæ inita, articulis Diætalibus anno 1647. illata est. Praxis criminalis per Ferdinandum III. usibus ditionum germanicarum destinata, per editores quidem corporis Juris Hungarici eidem adjecta, sed vim legis apud nos nunquam nacta est. Leopoldus I. quatuor

Decreta edidit. Filius ejus Carolus III. tribus Decretis ad emendationem Juris, a seculis desideratam, quam plurimum contulit. In tribus Diætis sub Maria Theresia celebratis, totidem Decreta ad rem judicialem parum facientia prodiverunt, Lepoldus II. singulari Decreto non tantum immutationibus Josephinis medelam tulit, verum etiam emendationis totius fere systematis Hungarici, atque adeo etiam Juridici fundamenta jecit, cujus rei sub Francisco feliciter regnante, initium factum est; quamvis Comitiis sub eo adhuc celebratis, Decretisque septem edendis, ut plurimum, belli et ærarii angustiæ occasionem dederint.

§. 28. Ex Antiquitatibus Juris vel maxime Judicia, quæ ab incunabilis Regni nostri fuerunt, cognosci, et cum parte ea hodiernæ Statisticæ, quæ de Judiciis agit, comparari debent, ut sciatur, quæ ex illis hodiedum, vel sub iisdem, vel sub aliis nominibus et formis subsistant, vel penitus abolita sunt; v. g. Comites Castri, seu Comites Parochiani, sub nomine Supremorum Comitum, Curiales Castri Comites, sub nomine V. Comitum, Servientium Judices sub nomine Judicum Nobilium, inde a temporibus Sancti Stephani hucdum subsistunt, et vel in sede Comitatus, vel, ut nos loquimur, in partibus, aliquas causas judicare possunt. Majoris momenti causæ, primo quidem in Curia Regia, idest: nomine et loco Regum personaliter judicare jam desinentium, per Comitem Palatinum vel Judicem Curiæ Regiæ, a temporibus vero Colomanni per eosdem, et alios peritos viros in Synodis, in quavis Diœcesi celebrari solitis, tardius, iterum extra dictas synodos

per eosdem, Palatinum scilicet, Judicem Curiæ, Vajvodas item et Banos, eorumque vices gerentes, et Protonotarios cognoscebantur, successu temporis septem viri, utpote: Palatinus, Judex Curiæ, summi Cancellarii, idest: Archiepiscopus Strigoniensis (seu Personalis Præsentiæ Regiæ) in Judiciis Locumtenens, Magnus Senesalchus, (Matthiæ, VI. 68.) Vajvoda Transylvaniæ, Banus Croatiæ, Tavernicorum Regalium Magister, vel omnes hi, vel, (si scilicet omnes præsentes esse non potuerint) aliqui ex illis cum suis vicesgerentibus, Protonotariisque, nec non duobus primatialibus hominibus 1557: 15. 1567: 26. et quibusdam Prælatis, Magnatibus, et Nobilibus, per Regem, aut ipsam Diætam: vel per Comitatus 22: 1565. deputatis, Curiam Regiam formabant, quæ (eo quod Judicia pr[illegible] quam sequiori ætate Matt. 4: 15. Ulad. 1: 40. terminus prorogatus fuisset, in regula 40, nonnunquam vero 20 nonnisi diebus duratura, et in posteriori casu brevia vocata, octo post quædam festa diebus inchoari solebant) Octavale forum vocabatur; ab anno 1723. vero numero Assessorum identidem aucta, velut fixum forum sub nomine Tabularum Regiæ et Septemviralis, statis temporibus considet. Qua occasione etiam quatuor Protonotariorum, in partibus, idest: extra Curiam Regiam, in singulis Districtibus, causas quasdam judicandi facultas abrogata, et Tabulis Districtualibus, recens erectis attributa est. — Hæc de Foris Nobilium.

§. 29. Communitates etiam, quæ, plebe numero et cultura in dies augescente, paulatim exsurgebant, et magis vel minus liberæ erant, propriis

Magistratibus, velut Judicio parium inde ab origine regni gavisas esse satis constat. Denique ex naturali patrumfamilias potestate repetenda, semperque exercita Nobilium in servos suos, illos item, qui ex servis in Colonos transformati erant, Jurisdictio Sedibus Dominalibus, paulatim ita ut nunc sunt, constitutis, et Jurisdictioni publicæ subordinatis, fini reipublicæ adtemperari cœpit.

LIBER I.

De Juribus Civium personalibus.

CAPUT I.

De Ætate Personarum, et Juribus inde fluentibus.

§. 30. Ætas Personarum perfecta vel imperfecta, legitima vel illegitima, §. 31. Unde innotescit? §. 32. Inactivitas earum in ætate illegitima, et obligationes ipso jure nullæ. §. 33. In legitima ætate hucdum nonnulla valide agunt, §. 34. Jure veteri autem omnia valide agebant, sed revocatione tempestive usæ §. 35. Invalidationem contractuum petere poterant. §. 36. Non item successores, fundamento defectus ætatis et revocationis per contrahentem interpositæ. §. 37. Ast quamvis Jure Novo, in regula, æque nulliter contrahant, ac in ætate illegitima: §. 38. In nonnullis tamen casibus, mansit jure veteri tolerata validitas Contractuum et Revocationis usus. §. 39. De rebus et juribus ascendentium viventium, vel in ætate perfecta nulliter disponunt descendentes. §. 40. De suis vero irrevocabiliter, exceptis paucis casibus lege vel sua natura privilegiatis.

§. 50.

Mares 24. feminæ 16 annis majores, perfectæ, minores, imperfectæ; utriusque sexus autem personæ 12 annis majores, legitimæ, minores vero illegitimæ ætatis sunt l-mæ 111.

§. 51. Ætas vero Personarum, de qua, ut constet, magnopere in jure interest, vel ex matricula ecclesiastica, vel, si illa ob quamcunque causam non exstet, praxi antiquæ, item l-mæ 126. nec non Decisioni 8-væ pag. 5-ta convenienter, ex literis testimonialibus, super revisione et æstimatione ætatis pupilli, per Judices Regni ordinarios, Capitulum item vel Conventum, aut Comitatum extradatis innotescere potest.

§. 52. Omnes actus civiles, v. gr. testamenta, eo magis vero quælibet obligationes personarum illegitimæ ætatis, in diminutionem jurium suorum factæ, sunt absque ulla revocationis et invalidationis necessitate, ipso jure nullæ et seponibiles l-mæ 51. 111. 126. 68: 1715. 17: 1792. 21: 1802. adeoque bona nefors per ipsas alienata, lite per Fiscum publicum, per Tutorem, aut per ipsam alienantem personam, jam legitimæ ætatis factam, vel vero per successores ejus, coram foro pedaneo, dum et quando (si scilicet contra Præscriptionem jus sustentatum est) ad sepositionem movenda, sine ulla solutione, vel onere, debent restitui; nisi et in quantum, v. gr. emtor, pecuniam suam in bonis alienantis existere, eumque, vel ejus successores ea ditiores factos esse probaret.

§. 53. Ast in legitima ætate, tam mares, quam feminæ possunt Procuratores constituere, active et passive juri stare l-mæ 111. atque cum per id

sibi nocere non possint, sensu 111: 1-mæ. 30: 3-tiæ testamenta condere, mortis causa res suas donare.

§. 34. Quid? quod, Contractus etiam et alienationes personarum legitimæ, licet inperfectæ ætatis inter vivos factæ, jure Verbőcziano 1-mæ 111. 30. 3-tiæ §. 5. tolerantur, et valere permittuntur; nisi mares debitorum remissiones, et bonorum immobilium oppignorationes, ante 16-tum, mobilium alienationes, Decis. 6-ta pag. 98. ante 18-vum, feminæ vero hæc omnia ante 14-tum; porro: perennales bonorum immobilium alienationes, prout et transactionem hæreditates involventem, Decis. 9. pag. 100. mares quidem ante 24-tum annum 1-mæ 128. et Decis. 31. pag. 90. feminæ vero, saltem quæ paulo post' attactam ætatem perfectam debito tempore nupserunt, easdem perennales involutiones, ita, ac si immediate ante nuptias celebratæ essent, considerandas (pro more et usu circa alias reclamationes, quibus aliud certum tempus definitum non est, sensu 1-mæ 62, 68. 72. et Decisionis 31-mæ pag. 90. vigente) debito tempore, idest intra annum a nuptiis computandum, coram loco authentico, 1-mæ 111. revocaverint; quod si intermissum est, omnes recensitæ obligationes et alienationes ita considerabuntur, ac si post annos superius expressos, et respective post nuptias evenissent, et amplius retractari non poterunt (quamvis Dec. 9: pag. 168. quoad pecuniarias obligationes, 11. pag. 169. circa alias pecuniarias prætensiones, 3-tia vero p. 189. circa obligationem vinculi, et fere generatim, revocandi facultatem ultra dictos annos (Decis. 6-tæ pag. 98. minus convenienter) usque 24-tum annum extenderit).

§. 35. Ast si revocaverint, Actoratu proprio, lite intra 32 annos, ab anno ætatis 16. vel vero (relate scilicet ad mobilium alienationes, et perennales immobilium venditiones) a revocatione numerandos, invalidationem contractus, Foro Tabulari, vigore Decisionis 51. pag. 90. petere possunt, bonaque pecuniis redimere debent l. mæ 128. eo, quod contractus non sit ipso jure nullus.

§. 36 Si vero vel non revocaverint, vel morte præventi recuperare non potuerint, aut plane supra dictos annos contraxerint, successores eorum, quoad pignora quidem effluxum annorum exspectare, quoad avita perennaliter alienata autem, post mortem alienantis ex præjudicio, Dec. 52. p. 90. agere tenentur, nec litem fundamento revocationis per alienantem motam, Decis. 14. pag. 18. continuare, eo minus eo titulo agere possunt, consequenter (non mortis causa, verum) inter vivos factæ alienationes rerum mobilium, quantumvis avitarum, prout etiam perennales venditiones immobilium acquisitorum, licet debito tempore revocatæ, velut ex præjudicio oppugnari nequeuntes, actioni successorum nulla ratione subjacent.

§. 37. Jus antiquum, quod nunc statim ex legibus Verbőczianis, Decisionibusque Curialibus, earumque spiritu tradidimus, 21: 1802. contractus obligatoriales personarum imperfectæ ætatis absque consensu Parentum, Curatorum et Tutorum initos, irritante, mutatum est, Personæ imperfectæ ætatis, in regula personis illegi imæ ætatis in hoc genere æquiparatæ sunt.

§. 38. Dispositionem juris ejusdem antiqui in quibusdam casibus hucdum stare, adeoque facultate valide, modo tamen superius §-pho 34. de-

scripto, revocabiliter disponendi, quasdam imperfectæ, ast legitimæ ætatis personas hucdum gaudere docemus, eas scilicet, quæ vel proprium peculium, idest: laboribus partum (?) habent, 21. 1802. 1-mæ 5, 51. vel, etiam si non habeant, veniam ætatis a Magistratu, adeoque liberam bonorum suorum administrationem obtinuerunt. Quid? quod perennales venditiones, in ætate licet perfecta, sed in statu innupto celebratas, revocandi facultatem, etiam ad feminas e tutela enubentes, intra annum a nuptiis, quoad eas autem, quæ in statu innupto diutius perseverant (quas scilicet secundum 115. 1-mæ sub tutela esse convenit quidem, verum sensu 111: 1-mæ quasdam innuptas non esse sub tutela supponentis, ubi maturiorem ætatem attigerint, vel expresse vel tacite ab ea immunes declarari, et sui juris evadere possunt) usque attactum debitum nubendi prudenti Judicis arbitrio metiendum tempus, extendimus.

§. 59. Omnia hæc de rebus Personarum dictarum propriis intelligenda sunt; nam de rebus et bonis Ascendentium, qui in vivis sunt (quo etiam res non titulo proprietatis, nec liberæ dispositioni, verum usibus tantum prolium per parentes concessæ pertinent) cujuscunque aetatis personarum dispositiones et alienationes, quoad ascendentem, cujus res et jura feriebant, erant semper, suntque ipso jure nullae, sensu 1-mae 51. §. 4. 17. 1792, adeoque, vel quoad ipsum contrahentem aut alienantem, non alias convalescunt, quam si per mares quidem in aetate perfecta, per feminas vero jam nuptas, vel (pro ratione aetatis) jam a tutela immunes, celebratae sint, et ante mortem parentis, cujus jura tangebant, non revocatae fue-

rint; sic enim cum inactivitas contrahendi personalis non subversabatur, ita considerandae videntur, ac, si tunc celebratæ fuissent, cum sperativum jus in actuale mutatum est.

§. 40. Ast de rebus et juribus propriis, tam mares perfectæ ætatis, quam feminæ nuptæ, vel innuptæ quidem, sed propter maturiorem ætatem a tutela immunes, exceptis, ut alias dicetur, casibus divisionum, doli, vis, metus item, ac erroris, ita valide contrahunt, ut nec revocare, nec ipsi invalidationem petere possint, Dec. 2: p. 97.

§. 41. Dissentimus ab illis: qui Contractus personarum, quae illegaliter factae sunt sui juris, nisi modo supra dicto revocati fuerint, stare debere docent, §. 42. Aut personis venia ætatis gaudentibus, jus revocandi denegant. §. 43. Porro, actus vitio ætatis nullos, per ætatem perfectam convalescere asserunt. §. 44. Contractus per innuptas perfectæ ætatis celebratos revocandi jus irrestricte in dubium revocant. §. 45. Vigesimo primo 1822. vero debita tantum annullata, ast si peculium habeant minorennes, tam illa, quam alios contractus, vel ultra vires peculii valere censent, et §. 46.

§. 41.

Non desunt, qui omnes Personarum imperfectæ ætatis sine consensu Parentum, Tutorum et Curatorum initos Contractus ipso jure nullos quidem agnoscunt, ast etiam leges Verbőczianas supra ci-

tatas, quibus obligationes personarum legitimæ ætatis valere permittuntur, etiam extra casum proprii peculii, et liberationis a curatela, hucdum durare, verum nonnisi ad eas legitimæ ætatis personas, quæ licet veniam ætatis non impetrarunt, tamen patriæ potestati, Tutelæ item aut Curatelæ et 28-vo 1822. non subsunt, pertinere adserunt. — Nos, id genus personas de jure dari posse, aut si de facto dentur, majori quam personas sub provisione legali existentes, se suaque evertendi facultate gaudere negamus, adeoque legi citatæ subjicimus, seu potius, beneficium ejus illis tribuimus, obligationesque earum nullas esse censemus.

§. 42. Dantur etiam, qui personis venia ætatis gaudentibus, perennales venditiones, post veniam ætatis impetratam celebratas, in aetate imperfecta revocandi facultatem denegant. Nos censemus non ea intentione dari veniam aetatis, ut quis sibi noceat, aut noxam sibi illatam reparare non possit, atque per administrationem bonorum ipsi permissam, beneficio juris privetur, et status ejus multo pejor, quam ante fuit reddatur. Docemus itaque, venia ætatis collata onera quidem pupillaria, v. gr. mercedem Curatori dandam, non item beneficia tolli, ceterum ut circa administrationem bonorum aliquem effectum habeat, casum legis Verbőczianae redire, ejusmodi personam ad statum legis ejus reponi, adeoque venditionem ejus venia ætatis accepta celebratam, non irrevocabilem (ac si post 24 aetatis annum esset celebrata) nec ipso jure nullam, et seponibilem (prout absque venia ætatis impetrata fuisset) verum ante

24 annum revocabilem, et intra 52 annos Actoratu ejus invalidabilem esse.

§. 43. Dantur porro, qui obligationes personarum imperfectae ætatis jure annullatas, per attactam perfectam ætatem convalescere statuunt. — Enimvero, per istam argutationem, discrimen inter actus ipso jure nullos, atque eos, qui, ne convalescant, verum infringi possint, revocationis intra certum tempus interponendae opus habent, fere tolleretur, detrimentumque personarum imperfectae aetatis, quod lex plane sublatum voluit contra 17: 1792. dictarum personarum obligationes, nullo unquam tempore valituras declarantem, tantum differretur.

§. 44. Dantur tandem, qui velut revocationem Contractuum quorumcunque, etiamsi ultra vires peculii, in aetate imperfecta celebratorum necessariam hucdum esse erronee statuentes, Titulum 128: 1-mae fassiones perennales nonnisi in aetate imperfecta per mares revocari posse docentem, etiam de feminis intelligant, §-phum vero 8-vum 1-mæ 111. de revocatione per puellas 16 annis majores interponenda sonantem, unice ad fassiones illicitis modis elicitas restringant. — Ast, si in hoc casu, ita stricte verbis legis inhaerendum esset, sequeretur, etiam per mares nonnisi muneribus, blanditiis, et metu elicitas fassiones posse revocari, eo, quod tantum de illis casibus loquatur 128: 1-mae; atqui omnes possunt, ergo etiam de feminis perfectae aetatis sonans eodem modo intelligi debet; rationem itaque legis per ipsam legem expressam sequendam putamus, quod, cum (sensu scilicet 112. 115. 1-mae) praecipue sub tutela fuerint tem-

pore celebratae fassionis, tunc potissimum non fuerint sui juris; atqui haec ratio, non tantum ad illicitis modis extortas, verum ad omnes puellarum innuptarum, sed adhuc sub tutela existentium fassiones pertinet; eo magis, quod Titulus 126: 1-mae omnes venditiones perennales personarum sub tutela existentium nullius vigoris esse asserat; quod porro, fassiones illicitis modis extortas, omnibus omnino hominibus revocandi jus competat, atque adeo id, de puellis innuptis, velut peculiare quid disponere, superfluum fuisset.

§. 45. Dantur adhuc qui 21: 1802. non de omnibus minorennium obligationibus, verum tantum de debitis contrahendis intelligant. Nos vero, eo quod aliis obligationibus adhuc multo magis sibi ipsis nocere possint, omnes eorum contractus ipsis noxios, v. gr. venditiones, emtiones, debitorum activorum exactiones, remissiones, pro nullis declaramus.

§. 46. Dantur denique, qui omnes minorennium peculium aliquod habentium contractus etiam ultra illud, validos (licet revocabiles) esse doceant. Nos valorem eorum ultra vires peculii non extendimus. Hæc de prima, sed intricatissima totius Juris Hungarici materia.

CAPUT II.

De Personis Ecclesiasticis.

§. 47. Prælati. §. 48. Religiosi Ecclesiastici qualiter differunt a Secularibus, et quotu-

plices sunt? §. 49. Jura et restrictiones Ecclesiasticorum in genere. §. 50. In specie Prælatorum. §. 51. Sacræ Sedes, et Causæ eo pertinentes. §. 52. Jura et restrictiones Religiosorum, et §. 53.

§. 47.

Primum locum inter personas sui juris Ecclesiastici, inter hos vero obtinent Prælati, idest: Archiepiscopi, Episcopi tam Diœcesani quam Titulares, Abbates et Præpositi, 2-dæ: 49. §. 5-to. Archiepiscopi, et Episcopi Diœcesani Catholici (latini et græci-ritus, seu Uniti) vi 1: 1608. p. cor. Titulares vi consvetudinis, non Uniti vero vi 10: 1792. ad Status Regni, et quidem primo loco, pertinent.

§. 48. Præter Ecclesiasticos seculares dantur etiam Religiosi, qui votis castitatis, paupertatis et obedientiæ obstricti, et Fundatorum suorum regulam sequentes, in Claustris habitant. Quidam ex illis in tali Ordine sunt, qui capax est bonorum, ex antiquis fundationibus possidendorum, non item aliorum acquirendorum, etiam si Consensus R. Statutione firmatus superinduceretur Dec. 48: p. 93. quidam vero in tali, cui lex illam capacitatem denegavit, vel, etiam quoad fundationalia, nonnisi jure temporaneo indulsit 102: 1715. 96: 1725.

§. 49. Ecclesiastici testimoniale juramentum non deponunt corporale, nonnisi ad puritatem conscientiæ asseverant, quod quidem 2-dæ 40. de solis Prælatis dicit; verum usus, etiamsi non ad omnes Clericos, vel Religiosos, ad Presbyteros cer-

te extendit. Ob actum majoris potentiæ non sententiam capitalem proprie talem, sed ut suo loco dicetur, tantum emendam capitis incurrunt 10: 1725. Verum neque qua Actores majorem pœnam desumere possunt, quam ipsi incurrere solent, 2-dæ 44; 72: 1486. Contra Ecclesias Ulad. 3: 55. 17. 647, 16, 25, 1715. lata est Lex amortisationis, quod præter antiquæ Ecclesiæ bona, alia, ne quidem temporaneo titulo, aut testamento, absque speciali indultu Principis acquirere valeant, pro Ecclesia, vel Ordine æstimationali, vel investita summa, per quosvis nobiles, vel Fiscum, eo magis per successores legantis, redimenda, verum, contra 55, et 65: 1498. 17: 1647. putantur Ecclesiastici seculares pro se suisque cognatis privatim posse bona acquirere. Antiquas et limitatas seu pactatas arendas Decimarum, præcipue quæ 1647. jam in limitata summa exarendatæ erant, elevare non possunt. Si criminaliter delinquant, prius ritu ecclesiastico degradari, et ita puniri debent. Bona beneficialia quæ possident, pro debitis ipsorum auferri et adimi non possunt, verum usus fructus creditori addicitur, ac nonnisi aliqua pars Debitori pro vitæ mediis relinquitur, quæ beneficium competentiæ vocatur. Nequidem meliorationes vel ædificia, per debitorem defunctum in bonis beneficialibus posita admisit Curia ad debita solvenda converti. In causa Fisci contra creditores Patatich.

§. 50. In specie vero jura Prælatorum præcipue hæc sunt: 1) Neoprælati, quoad lites bona ipsorum beneficialia a Capitulo vel Conventu divisim possessa tangentes, annuæ prorogationis beneficio gaudent, idest: primo adepti beneficii an-

no juri stare non tenentur 2: 50. 2) Homagium illorum consistit in 100 marcis gravis ponderis, id-est 400 fl. 2: 1-mæ, 40: 2-dæ. 3) Majores Prælati possunt sub privatis suis sigillis Procuratorem 13: 2-dæ constituere (idest: Archi et Episcopi actuales) non item Plenipotentiarum. Capitula et Conventus sub suis propriis sigillis constituunt tam Plenipotentiarium, quam Procuratorem, verum Plenipotentiarium revocare alibi debent. Extranei in Hungaria beneficia adepti pro majoribus 1000, pro minoribus 200 aureos, velut taxam indigenatus, ad cassam Regni solvunt, 17: 1741. 70: 1791.

§. 51. Forum, quod sacra Sedes vocatur, constituit Episcopus Diœcesanus, vel Auditor aut Vicarius (Indigena Vlad. 4: 55.) cum Capitularibus, aliisve Consistorialibus Assessoribus per Episcopum nominari solitis, inde appellatur ad Metropolitanum, mox ad Primatem, ab eo penes specialem Regis veniam ad Pontificem Romanum, loco sui, et Rotæ Romanæ, Hungarum Judicem delegaturum. Hoc forum judicat causas matrimoniales Catholicorum, vel matrimonii mixti, et accessorie cum divortiali, allaturam, coacquisita, et dotem, tandem causas testamenti ex defectu solennitatis externæ. 15: 1647. 19: 1715. judicat porro de legitimis vel illegitimis natalibus Catholicorum (nam quæstio natalium Evangelicorum, eodem foro, et eodem processu quo controversa est, superatur). Latam in sacra Sede, in causis, quas judicat, sententiam, penes compassuales Forum seculare exequi debet.

§. 52. Qui Ordinem bonorum possidendorum incapacem ingreditur, omnem successionem suam,

quam habuisset ab intestato, perdit; qui vero capacem ingreditur, æque successionem ex acquisitis omnibus (præter liberam parentum dispositionem) perdit quidem, verum ratæ ex avitis immobilibus actualibus (non virtualibus) ipsum concernentis decimam per parentes vel successores eorum, adeoque et ipsum Fiscum præstandam in pecunia aufert, eamque, si post factam Professionem moriatur, Monasterio relinquit, prout id quoque, quod parentes, vel fratres, eidem, occasione ingressus exciderant, quia fuit donum D. 29. 142. Sed illa decima nunquam supra 5000 exsurgere potest, 71: 1715. quæ lex cum §. 2-do Religiosos unice ex acquisitis excludat simpliciter, fertur in Curia Regia etiam mobilium avitorum partem adjudicatam esse Religioso cuidam, licet lex de illis taceat. Novitio ante professionem religiosam claustro excedente, eidem (in omnibus æqualiter cum fratribus divisuro) eo vero ante professionem mortuo, fratribus ejus, aut aliis successoribus omnia restituere debebit claustrum.

§. 53. Ex testamento, qualemcunque Ordinem sit quis ingressus, succedit, verum nonnisi pecunia exsolvitur Communitas religiosa, licet immobilia fuissent relicta, Resolutionibus Regiis Religiosi ab omni ad testamenta influxu, Parochi vero a confectione illorum (non item a solennisatione, nisi Ecclesiæ aliquid legaretur) arcentur. Ceterum, omnes Ecclesiastici eodem jure utuntur, quo reliqui regnicolæ. 1-mæ 2. 2-dæ 44. 16: 1647.

CAPUT. III.

De Magnatibus.

§. 54. Magnates officio, §. 55. Vel titulo tales, §. 56. Quid commune habent? §. 57. Quid Regni Barones præ ceteris? §. 58. Origo, et triplex apud nos vocis Homagium significatio.

§. 54.

Magnatum in Hungaria nomine veniunt Barones et Comites, sive officio, sive tantum titulo tales. Officio Barones, alias Regni Barones, vel, ut olim 10, 13. 30: 1222. vocabantur, Jobbadjones, idest, Optimates Regni, hodie sunt: Palatinus, Judex Curiæ, Banus Croatiæ, nec non Tavernicorum, Agazonum, Janitorum, Cubiculariorum, Curiæ Regiæ, Pincernarum, et Dapiferorum Regalium Magistri, Capitaneus Nobilis Prætorianæ Turmæ Hungaricæ, Comes Posoniensis, 1-mæ 94. post hos sedent in Diæta duo sacræ Coronæ Conservatores. Comites officio tales sunt: Supremi Comites Comitatuum, olim Parochiani Comites dicti. Hos tantum, quos retulimus recenset art. 10: 1687. sub rubrica Magnatum, cum de Sessione eorum diætali agit.

§. 55. Ad Magnates titulo tales pertinent reliqui, qui Principum aut Ducum, Comitum et Baronum nomine veniunt, sive sint veri indigenæ, idest origine Hungari, sive tantum Indigenæ inproprie ita dicti, idest, in numerum Indigenarum recepti.

§. 56. Hi omnes vi juris publici Hungarici ad Status Regni pertinent, et singuli peculiaribus li-

teris regalibus ad Diætam vocantur, ad quam, sub pœna 800 fl. venire, vel, 62: 1625. Nobiles possessionatos loco sui mittere, sub pœna dupli Sessionibus interesse, nec sine venia ante finem Diaetae discedere debent Ulad. 3, 1. 1655; 79. 1662; 53.

§. 57. Baronum Regni, (imo ut aliqui docent, ex usu omnium Magnatum) mortuum homagium 400 fl. facit 2: 1-mæ, 40, 43: 2-dæ, qui id adhuc tam a reliquis Magnatibus, quam a Nobilibus diversum habent, quod Relictis eorum dos legalis in 400 fl. solvatur 94. 1-mæ, quod item Procuratorem sub propriis privatis sigillis constituere possint 13: 2-dæ, ubi quidem de Baronibus Regni clare hoc non dicitur, verum usus ita explicat. Homagium Nobilium, mortuum 200 fl. vivum vero tam Regni Baronum, quam aliorum quorumcunque Nobilium 100 fl. facit sensu D. 4-tæ p. 171. violentiæ pœnam inter nobiles homagium læsi esse asserentis; item 71: 1655. cum Ulad. 1: 85. ob teloniales excessus homagium læsi dictante, combinati; nam etiam Regni Barones et Prælati, prout alii Nobiles, propter violentias et teloniales excessus eandem 100 fl. pœnam invicem incurrunt et exigunt. Porro: ubi lex inter Nobiles non distingvit, nec nos distingvere debemus.

§. 58. Homagium 2-dæ 40. 5-tiæ 26. (L' Hommage) significat 1) Fidelitatem Regi debitam, cujus sumus homines seu vasalli 5: 5-tiæ §. 1. — 2.) Mulctam seu æstimationem actus majoris potentiæ patrantium, quam Actione privata et civili conventi ad caput suum redimendum solvunt, 3: 3-tiæ §. 2. D. 16: 128. imo, etiam propter alia minora quædam delicta, v. gr. oppositionem etc. homa-

gialis pœna solvitur. 3) Pretium hominis, quæ quidem locutio, Verböczio 3-tiæ 5. §. 3. absurda videbatur, verum post 11: 1723. §. fin. non videtur esse absurda, nam in casu Actionis publicæ et criminalis, homicida, præter pœnam mortis, non suum, verum occisi homagium (vi D. 8-va Febr. 1805. latæ, non fratribus, verum prolibus, tandem conjugi, denique ascendentibus occisi dandum) luit, eo quod Regem homine suo privaverit. Prout etiam in casu occisionis civilis vel moralis, v. gr. propter negatam alterius nobilitatem, vel testimonii fidedignitatem, eadem pœna currit, ut suo loco dicetur.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

De Nobilibus.

§. 59. Donatio Regia quocunque ex quinque Titulis data nobilitat. §. 60. Et quidem in regula actu et in instanti, præter consensum translationi a morte pendenti, v. gr. Præfectioni, Adoptioni vel Testamento superinductum, nonnisi post mortem transferentis vim nobilitandi habiturum. §. 61. Nec Jus regium consensui adnexum, vel alia ulla per feminam facta impetratio nobilitat ejus successores. §. 62. Ruente Donatione, alias quoad formam externam valida, non ruit Nobilitas.

§. 59.

Nobilitas, præter derivativum illum modum, quod scilicet quælibet personæ, nobili patre, licet ignobili, verum per nuptias nobilitata matre

ex justis nuptiis 1: 6. natæ nobiles sint, acquiritur originaliter:

Primo, per Donationem seu Collationem juris possessionarii a Rege legitimo privilegialiter factam, vel titulo Notæ aut Defectus alicujus in specie, vel juris regii, aut illi æquivalentis Novæ Donationis in genere, vel denique, ut experimur, Consensus Regii, translationem bonorum inter privatos factam rati habentis.

§. 60. Priores 4 tituli, prout et consensus, translationi bonorum de præsenti factæ superinductus, adeoque 1-mæ 71: §. 5. jam tunc vim donationis habens, in instanti nobilitant, quamvis, quoad bona ipsa, consensus, nonnisi post notam vel defectum transferentis effectum habere possit. Ast consensus translationi a morte pendenti, adeoque conditionate superinductus, non prius, quam enata conditione nobilitat, quia vi 1-mæ 63, §. 6. tunc habebit vim donationis, v. gr. si quis successoribus masculinis carens, filiam vel sororem in bonis solum sexum masculinum antea concernentibus (sive firmo, sive infirmo jure possessis) cum Consensu Regio, adeoque donatione mediante, in hæredem constituit, aut, cum omnibus prorsus successoribus careat, extraneum a sangvine, et ignobilem in fratrem vel filium æque cum consensu Regio, pariter in casum defectus assumit, vel plane bona sua ignobili legat. In primo casu vocatur Præfectio, quæ tantam vim habet, ut licet præfecta ignobili nupserit, tamen proles ejus, post defectum præfici curantis, prærogativa nobilitari gaudebunt. In secundo vero casu Adoptio dicitur, et adoptatum, successoresque ejus post de-

fectum adoptantis, (prout etiam legatarium post mortem legantis) Consensus R. nobiles Donatarios efficiet, ita tamen, si Præfectio vel Adoptio aut testamentum, per notam adoptantis vel præfici curantis, aut legantis subsequentem, vel natos illi hæredes, vel denique per id, si ex infirmitate juris bona ante mortem amittat, non ruerit, si item consensus ille regius, intra annum a morte præfici curantis vel adoptantis, legantis, aut, si post mortem illorum emanavit, intra annum ab emanatione, legitima, licet quoad bona contradicta, publicationis tamen vices subeunte Statutione roboratus fuerit 1-mæ: 4, 7, 8.

§. 61. Si jus regium consensui adnectatur, sive lateat in bonis sive non, adoptatus vel legatarius statim fit nobilis, prout et successores ejus, etiam si adoptio vel testamentum in effectum non abeat, sed jus regium annexive collatum, ipsam quidem præfectam, si necesse esset, nobilitaret, ejus successores non item, etiamsi esset in bonis, imo, nec consensus fassioni per fratrem filiæ suæ (et non genero suo) de præsenti factæ superinductus, aut alio quocunque titulo facta per feminam impetratio; quia tantum per præfectionem transmittitur feminæ nobilitas ad posteros, sensu 7. 22: 1-mæ.

§. 62. Nobilitas tunc etiam persistet, si consensus regius ob infirmitatem juris transferentis evertatur, vel qualicunque demum alio titulo collata donatio, aut per principem ipsum ex legitimis nefors causis revocetur, aut vero, in Foro contradictorio, propter infirmitatem tituli Impetrationis (non item si propter vitium formæ externæ) cassetur. Nam sufficit, quod Princeps dona-

taric, privilegialiter possidendorum bonorum capacitatem, in qua nobilitas consistit, in abstracto contulerit; hinc, licet postea specialia quædam bona ob peculiares rationes illi conferri non potuisse recognoscat, aut bona eadem, Processu alioquin non intuitu personæ, verum bonorum moto amittantur, qualitatem tamen personæ hoc eo minus ferire censendum est, quod illa qualitas etiam absque bonis consistere possit, nec cum amissione bonorum necessario desinat, imo, ex duplici illo beneficio, reali scilicet et personali, quod collatum erat, alterutrum saltem, idest nobilitatem remanere, Donationemque loco Armalium valere, gratia regia quam convenientissimum sit.

§. 63. Armales literæ. §. 64. Quomodo impetrantur? §. 65. An dilata vel intermissa publicatio privilegii in perpetuum perimere debeat Nobilitatem.

§. 63.

Secundo, per Armales literas, Nobilitatem expresse conferentes, ab armis, seu insignibus, cum Nobilitate plerumque conferri solitis ita dictas. — Verum, prout Nobilitas absque armis etiam conferri potest, ita sola armorum seu insignium, absque expressa nobilitatis mentione facta collatio, neminem nobilitat 1-mæ: 6.

§. 64. Ad nobilitatem per armales requiritur: 1) Publicatio armalium in eodem Comitatu, inquo Impetrator earum habitat, vel habitare, aut proxime pro nobili agnosci cupit, intra annum peragenda 5o: 165o. 2) Si sit Civis, commenda-

tio Civitatis, et aliquorum Consiliariorum, 15: 1649. 3) Si sit Colonus, præter commendationem Consiliariorum consensus et commendatio Domini Terrestris et Comitatus antea stricte requirebatur; verum posteaquam 55: 1791. omnes Coloni liberæ migrationis redditi sunt, jam consensus Dominorum terrestrium non quidem absolute necessarius est: tamen ad faciliorem Impetrationem tam eorum, quam Comitatus recommendatio multum confert, et hodiedum in usu est 1622: 17. 1655: 36. 1650: 50. Licet Princeps cuicunque regnicolæ nobilitatem conferre possit: tamen potissimum, meritorum qualitercunque præstitorum, præcipue militiarium et virtuosorum, ac literali scientia, ut 17: 1622. dicitur, præditorum, rationem solet habere.

§. 65. Ignobilis donationem vel armales impetrans, ante publicationem pro nobili non quidem habebitur: ast cum armales literæ, imo etiam donatio quoad partem personalem, non sit positivum privilegium, idest: quod alterius intersit, verum negativum, idest: meræ gratiæ, quod nulli singulo officit, adeoque per non usum non cesset; sequi videtur, quod dum et quando publicari, et nobilitatem operari possit.

Hinc licet per Fiscales magistratuales in productionalibus Processibus, secundum Resolutiones, intermissio publicationis controvertatur: dignum tamen et prorsus conveniens est, ut nobilitatem talem ob defectum publicationis nefors vacillantem, secus usu roboratam, gratia Principis stabiliat; nam licet 4: 1-mæ Statutionem Donationis et 50: 1650. publicationem Armalium requirat ad nobilitatem; ad id tamen id rationa-

biliter responderi posset, hoc in gratiam privatorum requisitum fuisse, ne scilicet perpetui Jobbadjones, in præjudicium Dominorum præter illorum scitum et consensum, nobilitentur.

§. 66. Indigenatus successivus capacitatem nobilitatis impetrandæ conciliat, momentaneus vero ipsam Nobilitatem, §. 67. Sub conditionibus per legem præscriptis, §. 68. Secus manet incapacitas possidendi bona nobilitaria. §. 69. Poloni et Veneti arcentur ab indigenatu momentaneo. §. 70. Nobilitas localis.

§. 66.

Præter recensitos, et unice pro originariis Hunris, (vel alienigenis quidem, verum, qui aliquam ex 4 receptis Religionibus sequentes per diutiorem in Regno habitationem, et onerum regni portationem, Indigenatum successivum acquisiverunt, atque ita, 19: 1741. Hungari facti semet donationis vel armalium impetrandarum capaces reddiderunt) inventos nobilitandi modos, pro Extraneis, genere vel dignitate, aut virtute illustribus, inventus est unus modus nobilitandi, qui est:

Tertio, per Indigenatum, seu momentaneam in numerum verorum regni Nobilium et Indigenarum receptionem.

§. 67. Olim quoslibet extraneos poterat Rex in Hungaros recipere, et illis bona conferre, id quod Alb. 5. 16. Ulad. I: 9. II: 5. III: 26. mutatum, anno vero 1550. Articulo 77 statutum est, ut receptio extraneorum, cum Diaetæ, vel cum Baronum et Prælatorum Hungarorum scitu et consen-

su fiat; anno 1687. Art. 26. vero, ut præter juramentum, seu in Diæta, seu coram Cancellaria et regni Palatino deponendum, et Diplomati extradando inserendum 1000 aurei per recipiendum deponantur; anno 1741. Art. 41. taxa duplicata est. Præterea requiritur inarticulatio in Diæta, 25: 1715. 69: 1791.

§. 68. Nisi has conditiones præstiterint, possidendorum titulo nobilitari, sive perennali, sive temporaneo, (idest: pignoris) bonorum incapaces sunt extranei ante nobilitationem, ut 50: 1630. loquitur, per donationem vel armales factam, in Hungaros non recepti, uti etiam ignobiles regnicolae, D. 1: 193. vel Communitates qualescunque, et ex incapacitate possessorii, bona quidem perennali titulo obtenta, secundum æstimationem (6 per centum) proventuum urbarialium, temporaneo vero titulo acquisita, deposita investita summa, a talibus, quilibet Nobilis, sibi, medio cujuscunque Judicis vindicare potest 25: 1715. præscissis juridicis Remediis, 57: 1659. salva tamen succumbenti appellata, D. 2: p. 59. D. 40: 75. 25: 1715. 28: 1729. §. 12. D. 1: p. 195. ast si post citationem bona ad nobilem transeant, vel ipse Incattus nobilitetur, cessat Actio. D. 2: 194.

§. 69. Quod Poloni et Veneti ab Indigenatu lege regni arceantur 52: 1486. 18: 1575. hujus rei ratio in historia regni quærenda, jam cessat quidem, occasione tamen recepti cujusdam Veneti 58: 1802. hac tantum vice exceptio facta est.

§. 70. Locali nobilitate gaudentes nulli alii hodie reperiuntur, quam nobiles de Szent-Gál, venatores regii in Comitatu Veszprimiensi, 1618: 24. vi donationis cum Claus. Hæred. et Posteritati-

bus utriusque sexus universis et singulis, cui clausulæ eam vim usus attribuit, ut nobilitas cum bonis jure quoque materno ad posteros transeat, verum per venditionem bonorum vel emigrationem cesset. Hoc jure Civitas etiam Budensis olim gaudebat.

§. 71. Quid significat: Nobilem esse membrum sacræ Regni Coronæ. §. 72. Aliæ Prærogativæ Nobilium cardinales, personales et reales, earumque limites.

§. 71.

Nobilis est membrum sacrae Regni Hungariae Coronæ, 1-mæ 5. idest, soli Nobiles sunt capaces possidendi territorii Hung. 29, 30. 5-tiæ, soli illi sunt participes legislativæ potestatis, quia sacra Regni Corona est emblema territorii Hung. et illi inhærentium jurium majestaticorum.

§. 72. Præter hæc duo, cardinales nobilium prærogativæ, quæ tamen etiam in ignobiles Honoratiores magis vel minus cadunt, sunt sequentes:

Primo: Quod nobilis, nisi legitime citatus et juris ordine convictus sit, non capiatur 9: 1-mæ 34: 1615. p. cor. 5: 1723. Excipe: 1) Crimen læsæ Majestatis, nam si quis læsionem personalem Regis legitimi, aut regni perturbationem hostiliter intendit, vel saltem, per conniventiam, eum qui id moliretur, non impedit, non detegit, ad mandatum Regis vel Palatini, per suum tamen Judicem, vel ob gravem suspicionem, prius capitur, et ex vinculis citatus se defendit 7: 1715. 2) Capi potest Nobilis ob homicidium, furtum, rapinam, praedocinium, latrocinium, incendia-

riatum, adulterium, per quemcunque in flagranti, 1-mæ: 9. aut in continua persecutione, etiamsi crimen revera intentatum nondum inchoaverit, sensu 21, 22, 25: 3-tiæ: ut etiam 5) Miles, vel Insurgens fugitivus, 51: 1598. 4) Officiales et Servi rationibus dandis obnoxii, et illas vel reddere nequeuntes, vel nolentes, Matth. D. 6. 55. 1622: 65. capiuntur per illos, quibus rationes dare debent. 5) Nobiles, qui vel nulla, vel præter domicilium vix aliqua bona immobilia habent (licet mobilia multa habeant) et evidenter constat de malefacto ipsorum, quamvis in flagranti, seu actu delicti capi non potuerint, etiam ante inquisitionem, per suos Judices, 14: 1687. alii vero ejusdem generis, de quibus tamen aperte et evidenter non constat, nonnisi præmissa inquisitione Comitatui reportata, et comperta rei veritate, post determinationem Comitatus 58: 1655. (æque per suos Judices capi possunt, et postea ex vinculis citari debent; hæc etiam de vagabundo, et malefactoribus semet associante, licet possessionato, intelligenda, nec non de matricidis, uxoricidis, infanticidis 6: 1625. adeoque etiam de patricidis et matricidis, licet sint nobiles possessionati. 6) Criminis, aut saltem delicti arresto puniendi postulatus et citatus, aut plane convictus, si se non stiterit, comprehenditur, fugiens publicatur, ut per quemcunque capi possit, secus ad condemnatum ante revisionem fororum altiorum capiendum, aliæ Jurisdictiones mortis, vel illi æquivalentem trium annorum carceris pœnam requirunt, aliæ duorum, imo nonnunquam vel unius anni carceres, aliæ vero etiam multo breviorem captivitatem, ut primum ea, vindictam publicam,

et non tantum correctionem sapit, sufficere censent, et re ipsa declarant. Cum tamen Appellatam Nobili, in statu libertatis, adeoque intra Dominium admittendam esse decisum sit in causa Fisci Máramaros, 13-tia Febr. 1802. item Fisci Szathmár. 1803, nisi metus profugii adsit, Fisci Comitatus Jaur. 22-da Apr. 1806. Quidquid ejus sit, indubius Nobilis, extra casus recensitos, contra capere volentes, ut mihi videtur (non tamen cum nece aliorum) impune se defenderit; ast captus et scelerum convictus, Actionem propter sui capturam non habet.

Secundo: Quod soli Regi subsint, sed nec per Regem in rebus, vel persona turbari possint citra viam juris, auctoritate ordinaria, quia Jure suo eminenti, 1-mæ 9. §. 4. insinuato, ob salutem reipublicæ, quæ secus periclitaretur, respublica, in cujuscunque bona, cum obligatione eum indemnem præstandi uti potest.

Tertio: A servitute et contributione exemti sunt. Armalistæ pro publicis Comitatus necessitatibus moderate taxabantur 1647: 26. 1723: 6. et tali quietantia probatur usus nobilitatis, sed jam sunt immunes, 1805. 1. §. 17. Ast, si fundum alienum colant, Domino Terrestri, id quod juris est, præstare a fundis civilibus 1563: 62. contribuere, et taxam solvere tenentur. Tricesimam, a rebus, pro sua necessitate in Ditiones hæreditarias inductis, vel inde eductis, item ab allodialibus suis productis (præter vina) quorsumcunque, etiam si pro quæstu eductis, 25: 1574. 54: 1599. 49: 1638. 17: 1659. 14: 1723. non solvunt, a telonio et naulo vero, ut suo loco dicetur, plane exemti sunt.

§. 73. Productionalis, seu probandæ nobilitatis Processus. §. 74. Resolutiones meritum ejus tangentes. §. 75. Relaxatio probarum ordinariarum pro Possessionatis vel Armalistis. §. 76. Resolutiones ad formam Processus hujus spectantes. §. 77. De quietantia super soluta Quarta vel Dote, velut proba nobilitatis.

§. 73.

Processus ex hac materia enascitur: Productionalis vel Legitimatorius, contra eum, qui dubius est Nobilis. Movet Fiscus magistratualis penes determinationem Comitatus, aut sæpe etiam penes Intimatum Regium; qui vero non est in usu nobilitatis, et eam probare vult, recurrit ad Comitatum, et petit contra se Actionem determinari, id quod est convenientius, quam ut Fiscus sit I. prout in nonnullis locis fieri solet. Processus hic defluit coram Sedria, mittitur ad Consilium Locumtenentiale, inde ad Regem. Licet non formali et solenni processu ventiletur, verum tantum libellatice et summarie; tamen semper coram Sedria debet tractari, habet quædam sibi peculiaria tam in modo probandi, quam in forma, quæ ut sciantur, Extractum majoris momenti Resolutionum Normalium in hoc negotio datarum, inserere placuit.

§. 74. De dato 12-mæ Sept. 1724. Armalistas Nobiles moderate taxari, finem in hunc cujusvis legalem nobilitatem investigari, Investigationem cum documentis submitti, super soluta per Armalistas taxa singillative quietari præcipit.

De Dato 1. Sept. 1725. 1) Ab investigatione relevantur: quos Comitatus de familiis antiquis

descendere, aut usu bonorum paterno-avitorum, aut jure successionis ad illa, aut armis nobilitaribus provisos esse ex protocollis suis, habita cognitione legitimæ condescendentiæ, inveniret. 2) Verum in donationes et Arma Dubiorum inquirendum, et illi ad id stringendi, ut suam genealogiam vel humano testimonio 60 annos non excedente, vel literalibus Instrumentis ad aliquem suæ familiæ indubium Nobilem deducant.

Ad probandam nobilitatem vigore ejusdem Resolutionis et sensu titulorum 1-mæ 4, 6, 8: 1) requiritur Donatio regia, vel Statutoriæ cum bonorum declaratione editæ. 2) Armales vel humano testimonio, vel literis sibi applicandæ. 3) Præfectionales, et 4) Adoptionales cum consensu regio. 5) Diploma Indigenatus. 6) Divisionales decessorum per vel coram V. Comite factæ. 7) Processuales literæ prædecessorum nomine suo litigantium. 8) Expeditoriæ, (seu quietantia) super exsolutione quartalitii, centum annos transcendentes, aut quietantia super soluta Dote. 9) Testimoniales authenticæ et sufficientes. 10) Depositio testium juramentalis, et in judicio (non morte) authenticata super nobilitate, aut habitis vel perditis Armalibus et usu nobilitatis.

Non sufficere vero dicuntur in eodem Intimato hæc: 1) Conscientiosa solum, et non in puritate conscientiæ facta Ecclesiasticorum, vel fide digna tantum et non corporali juramento firmata Secularium, relatio. 2) Donationales, seu Armales Principum Transylvaniæ (in Hungaria largitæ, extra Partes, et alios quosdam Comitatus, de quibus leges annorum 1552. 1609. 1622. 1647. sonant). 3) Palatinales Donationes, vel Sta-

tutio, et Restatutio earum. 4) Armales sub contradictione Dominorum Terrestrium emanatæ. 5) Armales in obversum Articuli 50: 1650. nullibi in Comitatibus, vel non intra annum publicatæ. 6) Fassio unius testis etiamsi juramento firmata. 7) Successio collateralis in bonis femineis, aut alienorum bonorum sibi facta appropriatio. 8) Armales suspectæ, in nominibus et cognominibus rasæ, et cancellatæ. 9) Testimoniales ex oppidis Hajdonicalibus, sic, Siculi, pro nobilibus, ideo tantum quod Siculi sint, haberi non debent. 10) Extraneorum non Indigenarum Armales cum circumstantiali Informatione Consilio submittendæ. — Tandem jubet, ut investigatio necdum finita, hac norma finiatur, finita vero ad hanc æque reducatur, et sic submittatur. —

§. 75. De dato 1. Febr. 1755. 1) Nobiles indubios, idest, qui per Comitatum pro talibus habentur, et avitam hæreditatem in Comitatu habent, licet illa exciderint, vel illam vendiderint, et de quibus nihil constat eos Palatinales Donatarios fuisse, absolvit a productione privilegiorum, et ulteriori proba. 2) Qui Armales producit, vel eas se perdidisse legaliter probat, non tenetur genealogiam nectere ad primum impetratorem, verum 60 annorum usus sufficit. 3) Transylvani per legitimos Principes Transylvaniæ Donatione vel Armalibus nobilitati, et qui ad hoc Regnum Hungariæ subseque migrarunt, pro veris et indubitatis nobilibus habeantur. Æque in Comitatibus, Partium nomine vocatis, a Principibus Transylvaniæ impetratæ Donationes et Armales acceptantur. (Partes vocantur: Comitatus Máramaros, Bihar, Zaránd,

Közép-Szolnok, Kraszna, Kővár, ex quibus jam aliqui reincorporati sunt Regno. In Judiciis vero Partes vocantur Fora V. Comitum, et Judlium). 4) Extranei posteaquam vel civilem, vel colonicalem conditionem amplexi sunt et onera regni supportarunt, sicut alii Hungari per Armales nobilitari possunt. 5) Donatarius quiscunque, sive ob neglectam Statutionis a contradictione depurationem, sive ob vim potentiorum non potuerit ingredi possessorium, pro vero nobili non habendus; verum, qui intravit, ad edoctionem manumissionis dominalis non cogitur, et licet bona sibi donata et possessa qualitercunque amittat vel vendat, manet nobilis. Denique ut genealogia extractu matriculari probari possit, resolvitur.

§. 76. De dato 19. Julii 1781, Instrumenta processualia in judicio, præsente Fiscali per Notarium cum originalibus conferantur, ita submittantur cum processu, suspecta vero in origine.

De dato 22. Sept. 1783. Casus de Transylvanis, præcipue Siculis et testimoniales eorum cum omnibus actis semper Consilio referantur.

De dato 1. Julii 1784. Formalitates hæ observandæ in Processibus legitimatoriis: 1) Matricularum verba et termini testimonio per Parochos vel Ministros dando inferendi. 2) Fine legitimationis quilibet ad locum originis inviandus. 3) Religio producentis exprimatur. 4) Testium ætas exprimatur, si resciri non possit, causa adjiciatur. 5) Documenta, quæ exceptionem non patiuntur in vidimato, suspecta vero in origine submittenda. 6) Authenticatio testium non marginaliter ponenda.

De dato 21. Octobris 1785. Quia absque con-

sensu Principis testimoniales extradari non possunt, ideo admittitur, ut post ejus approbationem, etiam ex particulari Congregatione possint extradari.

De dato 17. Februarii 1792. Ne Comitatus ulli extradent testimoniales ante ratificationem Regiam præterquam illis, de quorum nobilitate nulli subsumtioni obnoxia, palam et publice constat; de quibus vero non constat, illi coram Deputatione, vel vero formali processu se legitiment, et acta submittantur.

De dato 5. Octobris 1792. Ante faciendam Regi Relationem, tantum illis licet extradare testimoniales, qui ad publicam Comitatus notitiam in imperturbato nobilitatis usu, aut etiam in actuali, aut virtuali jurium possessionariorum paterno-avitorum possessorio sunt, et quorum nobilitas nulli crisi obnoxia est. Secus, de quibus scilicet hactenus clare non constitit, verum ex probis innotescit, licet illæ claræ et sufficientes sint, tamen Regi referri debent. 2) Dubii, sive sint in usu sive non, ante resolutionem in statu quo relinquendi. 3) Legitimatio semper coram Sedria currat, non coram Deputatione.

De dato 1795. In Inquisitione super nobilitate puncta deutri non debent esse informativa, seu suggestiva.

§. 77. Quod in Resolutione 1. Septemb. 1725. post Tit. 6: 1-mæ dicatur probari nobilitatem expeditoriis, seu quietantia super exsolutione quartalitii 100 annos transcendente, hoc cum grano salis accipiendum videtur, nec valet in his casibus: 1) Si nobilitatem probare volens non sit in usu nobilitatis, quia præscriptio non valet ad acqui-

rendum, verum ad defendendum. 2) Si in contrarium probari possit, bonorum illorum, ex quibus quartalitium exsolutum esse recognoscitur, titulum et modum acquisitionis non fuisse talem, qui nobilitat, v. gr. si probari possit non fuisse Donatione Regia, verum Palatinali collata, materna aut emtitia etc. Quia secus sequeretur, quod etiam ex bonis non donationalibus debeat Quarta dari. 3) Si in contrarium probari non possit, illum qui quartalitium exsolvit, tempore exsolutionis fuisse ignobilem. Secus ignobilis juris regii præscribendi capax esset, cum tamen nec possessorii capax sit, consequenter nec præscriptionem inchoare possit. Ergo proba illa tantum in eo fundatur, quod post tam longam annorum seriem præsumatur bona illa Donatione Regia acquisita fuisse: verum si quo casu contrarium probetur, præsumtio cedere debet veritati. — Quietantia super Dote exsoluta, quam eadem resolutio ad probam requirit, adhuc multo minus præsumtionis format, quia non ex donationalibus tantum, verum ex omnibus bonis, in quibus Vidua non succedit, solvitur dos.

§. 78. Prædiales Nobiles in terris Ecclesiarum. §. 79. Jura eorum.

§. 78.

Hactenus de Regni Nobilibus. Est alia classis etiam Nobilium, qui vocantur Prædiales. Qui originem inde ducunt, quod quidam Prælati, militis in promtu habendi causa, certas terras, ab antiquo, pro solo sexu masculino conferre soliti sint, et hodiedum easdem ex defectu vel nota

conferant quarum collationum valor, secundum illa principia dijudicari debet, quæ, suo loco, de Donatione regia tradentur. Hodie alii prædiales Nobiles non exstant, quam Archiepiscopi Strigoniensis, Episcopi et Capituli Jaurinensis, Episcopi et Capituli Zagrabiensis, item Abbatis Benedictinorum de S. Martino in monte Pannoniæ in Comitatu Jaurinensi.

§. 79. Homagium cum regni Nobilibus commune habent. A telonio, æque uti nobiles, exemti sunt, ut etiam a contributione, 65: 1741. et condescensione militum, verum tantum in fundo prædiali: quia si extra fundum prædialem in fundo colonicali habitent, miles ad ipsos illocatur, non item ad Nobilem regni, ubicunque habitet; nominatim: in Civitatibus, illud onus, pecunia potest redimere, Resol. R. ad Késmárkenses, de dato 14-tæ Maji 1767. et aliæ, quod tamen, in nonnullis locis, v. gr. Cassoviæ, tantum in interiori Civitate, non vero in suburbiis admittitur. Denique prædiales Nobiles in politicis et judicialibus propriis Magistratibus, utpote, Palatino, Vice-Comite, Judlium et Jurassoribus utuntur 14: 1567. atque judicium illud Prælati, quod de proprietate et juris quæstionibus judicat, hucdum Octavale dicitur.

CAPUT V.

De Liberis Regiisque Civitatibus.

§. 80. Civitates aliæ Tavernicales, aliæ Personalitiæ, aliæ etiam Montanæ. §. 81. Fora civilia et aliæ res in concreto Civitatem tangentes. §. 82. Qualiter subsunt Nobiles jurisdictio-

ni civili? §. 83. De modo procedendi contra Civitates, cives item et jurisdictionatos Civitatis, propter actus potentiarios. §. 84. Jura civium singillative.

§. 80.

Civitas hic sumitur pro Communitate personarum quæ collective sumtæ personam nobilem moralem, adeoque 1: 1608. p. cor. ad Status Regni pertinentem, et vigore 65: 1715. nobilitari jurisdictioni subjectam efficiunt, singillative autem certa jura et immunitates habent. Ex illis aliæ sunt Tavernicales: idest, Tavernicorum Regalium Magistro in judicialibus subsunt, et cives earum a Magistratu suo ad Sedem Tavernicalem ex Ablegatis ipsarum constantem, inde vero ad Tabulam Septemviralem appellant. Aliæ vero Personali, et Sedi Personalitiæ, non ex ablegatis earum, verum ex Viris per Personalem selectis constanti subjacent, et ad eam (pleræque immediate, septem Civitates vero in Comitatibus Barsensi, Zoliensi et Hontensi sitæ, interjecto judicio illis communi, sub præsidio Judicis Kremnitzensis celebrari solito) appellant, ultra non. Montanæ vocantur, quæ fodinas, et intuitu earum sua peculiaria jura et judicia habent, a civilibus diversa, ut sunt: Schemnitzense, Szomolnokense, Nagy-Bányense, Szigethiense, et (in Banatu) Oravitzense, a quibus ad Tabulam Regiam, inde vero ad Septemviratum appellatur.

§. 81. Omnes causæ inter et contra cives, et alios ignobiles in Civitate degentes motæ (præter matrimoniales Catholicorum, et matrimonii mixti) ad Magistratum civitatensem spectant, qui eligi debet per ipsos cives 56: 1715. nulla ra-

tione habita nationis et religionis sub pœna 2000 fl. quæ, etiam tunc actoratu Fisci Regii desumitur, si Civitas, Nobiles, aut alios quoscunque Regnicolas, ab emtione fundorum civilium arcere, vel impedire vellet 1609: 44. sive præemere præ extraneis, sive vero emtas jam per illos domos exsolvere, et sibi vindicare velint 655: 54. 659: 49. Relate ad officia et domos art. 15: 1608. a. cor. item 44. post cor. eodem modo disponunt etiam de Oppidis privilegiatis, ast in fine, ubi §. 3. de pœna agitur, tantum Civitates nominantur. Si Senatores in aliqua causa essent interessati, ex vicina civitate propriis Senatus expensis feruntur judices 1659: 53. Statuta in medio sui facit Civitas, quæ legitime introducta legis vim obtinent; Nobilibus tamen, si ipsi ita velint, non secundum consvetudinem loci, verum secundum leges regni debet justitia administrari 5-tiæ 2. 1647: 78, 79. Habet jus patronatus, idest, Parochum eligendi, cum onere Ecclesias et Domos parochiales exstruendi, conservandi. Fassiones super fundis civicis vel coram Magistratu, vel coram exmissis celebrantur, 13, 14: 5-tiæ, et introductio, nunquam negligenda, per exmissos ex Magistratu peragitur, bona civilia ex defectu ad Civitatem devolvuntur 1638: 55. 1649. 16. ex nota vero ad Fiscum 1647: 87. Nobilibus, etiamsi cives sint, prout et ignobilibus non civibus, in rebus mobilibus Fiscus regius succedit D. 57: p. 144. cui tamen Tab. R. refragabatur. Pl. 211. Lex amortisationis 1542: 55. est contra Civitates lata, vi cujus antiqua quidem bona retinere possunt, non item nova acquirere. Oppositiones in causis civium locum non habent, verum brachio mediante sententia executioni datur.

§. 82. In suspectos nobiles in civitate habitantes, habet jurisdictionem Civitas, imo et indubitati nobiles intuitu fundorum civilium, taxæque et contributionis, nec non decimæ regiæ illis inhærentis 93: 1659. politiæque ibi observandæ, subsunt Civitati; non item quoad personam, famulitium, et res mobiles 1647: 78. sive sint possessionati, sive minus, nam 127: 1659. qui impossessionatos subjecit civitati, sublatus est per 56: 1715. quo, 78: 1647. sine exceptione confirmatur; quid? quod jam prius sublatus erat per 41: 1681. quo, 15: 1649. impossessionatos simul et suspectos (non vero indubios) Civitati subjiciens, confirmatus est, non adtenta interpretatione 127-mi 1659, de impossessionatis aut suspectis loquente. Quarundam liberarum regiarumque Civitatum (imo Oppidorum quoque privilegiatorum Magistratus, in Nobilium indubitatorum personas, D. 2. p. 12. et res mobiles contra 75: 1655. et 78: 1647. jurisdictionem arrogant, per idque, volentibus injuriam non faciunt, ast propter debita, fundis civilibus inhærentia, vel inter cives contracta, judicatus civilis stare potest 1635: 21. contra qualemcunque, eo magis impossessionatum. Nobiles in flagranti deprehensos potest punire Civitas, sed plerumque resignat Comitatui. Vina nobilium ubicunque procreata in Civitates libere invehuntur, imo ubi in usu fuit, præcipue concivium 42: 1681. educillantur, eo magis vero in territorio civitatis procreata 19: 1649. 56: 1715.

§. 83. Si Senatus vel Communitas patret violentiam, ita convincitur uti Nobilis, cives assumti vel missi in 40 fl. singillative, subditi vero Civitatis, vel servitores non cives, juri coram eodem

Vice-Comitis foro statuuntur, et in homagio illorum Civitas convincitur 81: 1647. 18: 1649. Cives ex instinctu suo violentiam, aut actum majoris potentiæ patrantes coram Magistratu civico sub pœna violentiæ judicium administraturo 60: 1618. conveniuntur et puniuntur, etiam contra colonos vel servitores civitatis impensio petitur a Judice 84: 655. Si vero Judex vel Senatus actum majoris potentiæ patraverit, una cum civibus delinquentibus per Tabulam Regiam convincetur 19: 3-tiæ. 81: 1647. 59: 1715.

§. 84. Cives 59: 1565. 28: 1741. a rebus propriis, licet quæstum cum illis exerceant, non solvunt telonium, verum ab emtis pro quæstu solvunt. Tricesimam vero tantum ab illis non solvunt, quæ pro suis propriis usibus in Ditiones hæreditarias inducunt vel educunt 14: 1725. Intuitu fundi, quem sub Domino nefors Terrestri possident, subsunt ejusdem Foro, uti etiam si quid in tali territorio deliquerint, v. gr. damna intulerint, per Dominum Terrestrem puniuntur 18. 19. 3-tiæ Civium homagium est 3-tiæ 9. ut Nobilium, mortuum 200 fl. vivum 100 fl. homagium quidem est magis onus quam honos, quia sæpius solvit quis in pœnam suum homagium, quam desumit in alio; hinc, 200 vel 100 fl. homagium, cum causa inter civem et non civem vertitur, videtur (extra casum nefors interemtionis) obsolevisse, nam loco homagialis pœnæ, eandem pœnam incurrunt et exigunt, quam alii ignobiles, v. gr. propter violentiam 40 fl. ast inter cives ipsos 100 fl. dictari experimur. Reliqua, quæ ad cives attinent, ne repeti debeant, suis locis exponentur.

CAPUT VI.

De Communitatibus aliis nobilibus vel liberis, Personis item singularibus libertinis.

§. 85. Aliæ nobiles, §. 86. Vel ignobiles quidem, verum libertinam personam moralem facientes Communitates, earumque in incolas jurisdictio, §. 87. In specie in Hajdonicali et Cumano-Jazigalibus Districtibus. §. 88. Ipsæ Communitates licet nobiles, bonorum acquirendorum incapaces, §. 89. Quo foro conveniendæ sunt? §. 90. Jura singulorum libertinorum et judicatus cui subsunt. §. 91. Quomodo in colonos degenerant? §. 92. Homagium ignobilium. §. 93. De Judæis, §. 94. Et Extraneis in Hungaria.

§. 85.

Præter liberas regiasque Civitates, Locaque prædialium nobilium, ejusmodi nobiles Communitates, quarum incolæ vel mediate, via scilicet Appellationis, v. gr. Nobiles campi Turopolya, jure Comitiorum gaudentes (in Croatia), vel immediate, v. gr. pagorum ex meris Nobilibus conflatorum inhabitatores, Comitatensi jurisdictioni non subessent, verum propriis suis Magistratibus uterentur, aliæ non existunt, quam Districtus Hajdonum, Jazygumque et Cumanorum, etiam sessionem et votum in Diæta habentes.

§. 86. Ignobiles quidem Communitates, pro causis incolarum (ignobilium quidem omnibus, nobilium vero, fundos tantum tangentibus) judicandis, ex privilegio vel usu, Magistratu provi-

sæ, adeoque libertinam personam moralem facientes, (pro quibus Dom. Terrestris Actoratum assumere non potest) multæ dantur vel sub nomine Districtuum, ut Tibiscanus in Bácsiensi, Kikindanus in Torontalensi Comitatu, vel sub nomine Civitatum et Oppidorum vel Pagorum, ut Agria, Nitria, Papa etc. prout loca quædam submontana, verum omnes illæ, vel in prima Instantia, vel via Appellationis, Sedi dominali, atque adeo Comitatui, etiam quoad causas privatorum, subjectæ sunt, 74: 1725. præter Oppida Scepusiensia, quarum incolæ, a Magistratu locali, ad Judicium provinciale sub præsidio Comitis Provinciæ celebrari solitum, inde præter criminalia, et Evangelicorum matrimonialia, per Curiam revidenda, ad Personalitiam Sedem appellant. Ab Oppidis autem submontanis Comitatus Zemplinensis, super vineis fundisque aliis judicandi facultas jam abstracta, et Sedibus dominalibus attributa est.

§. 87. Quod vero Districtus Hajdonum, Jazigum et Cumanorum attinet: super fundis ibi existentibus si lis enascatur, ut etiam qualescunque ignobilium ibi degentium lites, coram Magistratu oppidano fluunt, inde vero ad Districtum, ab eo autem Hajdones ad Tabulam Regiam, Jaziges et Cumani autem a Districtu particulari, ad generalem Districtum, seu Sedriam sub præsidio Capitanei palatinalis, celebrandam, inde vero (etiam criminales, et Evangelicorum matrimoniales) ad Palatinum, eo non existente ad Septemviratum appellant. Nobiles inter Hajdones degentes, jurisdictioni hajdonicali, velut origine sua militari, etiam in personalibus sponte subsunt, secus ac

inter Cumanos et Jaziges habitantes, 75 to 1655. inhaerere queuntes. Fassiones et intabulationes debitorum coram Magistratibus suis peragunt, quia separatam jurisdictionem, et separatas a Comitatibus portas habent, id est, non cum Comitatu, nec per Comitatum dicantur. Sed contra incolas Locorum licet privilegiatorum, quæ portarum connumerationem in Comitatu ingrediuntur, atque adeo ex quibus causæ ad Sedriam Comitatus deducuntur, Intabulatio coram Comitatu debet peragi.

§. 88. Id quod de Ecclesiis Civitatibusque diximus, quod bona nec titulo pignoris possint acquirere, verum antiqua fundationalia retinere valeant, idem etiam de Hajdonibus etc. et omnibus Communitatibus intelligendum est, tam ex identitate rationis, quia nunquam deficiunt, quam ex 68: 1655. 17: 1647. 16: 1715. et ex citatis alibi legibus, verum Nobiles in talibus Communitatibus degentes possunt acquirere.

§. 89. Prout vero nobilia Corpora et Communitates nobiles, Foro nobilitari subsunt, ita ignobiles Communitates privilegiatæ aeque coram illo Foro conveniendæ sunt, 78: 1647. 62: 1655. etc. exceptis quæstionibus, quæ inter dominum Terrestrem et Communitatem licet privilegiatam ventilantur, quæ ad Sedem dominalem pertinent. Non privilegiatæ vero in omnibus conveniuntur coram Sede dominali. Id vero, quod de Communitatibus et Districtibus adeo, uno vel pluribus Cumano-Jazigalibus (Statutis licet eorundem convenienter) coram Sedria eorum, de Communitatibus item 16 Scepusiensibus coram judicio ejusdem Provinciæ conveniendis, perhibetur, extra-

neum Actorem ligare non posset, si is coram Judicio nobilitari mallet litigare.

§. 90. Singulares Libertini si habitent extra Civitates et Oppida libera, vel in locis quidem Domino Terrestri subjectis, ast honoratioris conditionis sint, propter debita et mere personalia, eodem Judice conveniuntur quo Nobiles, verum si sub contributione sint, absque scitu et passualibus V. Comitis non possunt migrare ex Comitatu. Jure materno vel uxoreo bona possidere possunt; D. 1: 196. 5: p. 194. 18: 1687. si ex talibus bonis patrent violentiam, convincuntur sicut Nobiles, idest, in 100 fl. verum si ipsis inferatur violentia, nonnisi 40 fl. suum scilicet homagium, D. 4: 171. idque sub actoratu Fisci, et repositionem ac damna et expensas acquirunt, nec possunt ad revindicationem materno avitorum bonorum agere juris processu, D. 9: p. 62. vel invalidatorio, D. 22: 89. (quod etiam ad successores fatentis ignobilis, licet postea nobilitati, extendit D. 25: 89.) verum tantum pignoratitio et puræ successionis, idque proprio actoratu, ut et in omnibus Contractualibus, in aliis vero sub actoratu Fisci magistratualis, vel Domini, aut Judicis Civitatis agitur pro ignobilibus. Sed de hac re alias fusius. Libro III. Cap. II.

§. 91. Libertini alias Agiles vocantur, quod libere abire possunt quo volunt; si in fundo dominali habitent, intuitu ejus subsunt Domino, verum si illius judicatum in personalibus, et aliis cum fundo dominali nihil commune habentibus agnoverunt, recidunt ad classem Colonorum.

§. 92. Præter cives, ignobilium mortuum homagium, inter Jaziges et Cumanos quidem vi Sta-

tuti. 50, alibi 40 fl. vivum vero dimidia pars mortui est, 3-tiæ 26. 1550: 57. §. 14.

§. 93. Judæi non sunt cives Regni, atque idipsum, quod tolerentur, pecunia redimunt, ab officiolatibus arcentur 24: 1222. Teloniatores esse non possunt, aut telonium exarendare 15: 1650. Arcentur præterea a quæstu cum Vino in Submontanis exercendo 1741: 29. Christianam, aut Christiani Judeam ducere non possunt, S. Ladisl. L. I. cap. 10. Si quas terras conducunt, prohibentur illas per Christianos colere Col. 1: 75. In Croatia, Slavonia et Dalmatia, ut et in quibusdam Civitatibus non poterant commorari et habitare 19: 1729. sed per Josephum admissi sunt, atque (exceptis Civitatibus montanis (in statu eodem manere permissi modo provisorio, quo prima Januarii 1790. fuerant, 58: 1791. ergo in fundis civilibus et oppidanis, per ipsos tardius emtis, vel emendis, eadem prælatio omnibus Hungaris Christianis præ ipsis competere videtur, quæ nobilibus præ ignobilibus, in bonis nobilitaribus competit.

§. 94. Extranei subsunt Judici Loci, in quo degunt, vel fundos possident, et a talibus contribuere debent, ut et ab aliis suis facultatibus, 64: 1723. excepto capitalium apud Hungaros existentium interusurio. Debita quibus Hungarus Hungaro tenetur, extraneis cessa inexigibilia evadunt, 41: 1662. Quod extra publicas nundinas præemtionem rerum venalium Hungaris debeant permittere, id naturalis rationis esse videtur, quoad pelles vero 71: 1659. pœna confiscationis est adjecta. Quod vero 2-dæ 5. Extraneos, legibus pœnalibus post 3 menses, aliis post unum mensem obligari dicat, id non caret difficultatibus. Mihi videtur,

post publicationem legis huc venientes intelligi, 5 menses vero ab adventu debere numerari. Extranei mansionem apud nos figentes, in defectu aliarum probarum, juramento coram Magistratu deponendo se cœlibes esse probabunt. Res R. 7-mæ Aug. 1807. Ast ex Ditionibus austriacis oriundi, nequidem post 10 annorum mansionem hic continuatam possunt, absque Magistratus Circularis vel Domini Terrestris testimonialibus copulari Res R. 15. Julii 1813. 14. Octobr. 1814.

Jam agendum de Personis, quæ non sunt sui juris, verum præter publicam potestatem, etiam alii potestati subsunt.

CAPUT VII.

De Patria Potestate.

§. 95. Patria potestas §. 96. In Personas §. 97. Et bona prolium. §. 98. Jus parentum proles ad Divisionem cogendi, §. 99. Jus idem prolium in parentes. §. 100. An coactæ Divisioni acquisita necessario substerni debeant. §. 101. Etiam matri non tantum naturalis patria potestas, §. 102. Verum et civilis competit. §. 103. Refelluntur objectiones. §. 104. Quomodo cessat patria potestas.

§. 95.

Patria seu potius parentalis potestas seu jus et obligatio proles educandi, actiones et bona earum dirigendi, est alia naturalis, cujus fundamentum est obligatio educandi ex generatione, et ex

ipsa natura, et fine societatis conjugalis et parentalis intelligenda; alia civilis, quæ vel maxime circa bona et successionem versatur, et ex jure positivo intelligitur.

§. 96. Ipsam naturalem patriam potestatem uberius declaravit et sancivit lex nostra, et media illam exercendi suppéditavit, adeo, ut jam etiam lege civili obligentur parentes, proles suas victu et amictu providere, sensu l-mæ 55. recte educare, secus castigantur per Comitatum vel Consilium 105: 1723. Punire possunt proles etiam legitimæ ætatis (lex non dicit perfectæ ætatis) imo etiam incarcerare l-mæ 51. quæ vero per parentes corrigi non possunt, per Magistratum compescuntur, 111: 1723. 26: 1765. Porro: possunt parentes proles suas obsides hosti pro se dare l-mæ 51: §. 5. operas et labores earum, quibus pares sunt, in suos usus convertere, Tutores illis constituere.

§. 97. Quoad bona vero: possunt, imprimis in egestate, bonis, quæ prolibus, (præcipue illegitimæ ætatis, v. gr. ex dono vel testamento) acquisita sunt l-mæ 53: §. 10. fructibus item bonorum defuncto altero conjuge in proles suas devolutorum, durante tutela et curatela, in regula (excepta scilicet matre nupta) absque onere rationum dandarum, in rem suam uti, eo magis autem propriis quantumvis avitis, debita inducere, onera prolium assumere, idest: bona alienare l-mæ 51, 58, 59. illas ex acquisitis exhæredare.

§. 98. Ex avitis vero ad divisionem cogere possunt proles suas legitimæ ætatis, in his casibus l-mæ, 52. 1) Si parentes suos verberent, propter quod etiam actione criminali (pro re nata etiam

ad pœnam mortis) ex 11: 1725. conveniuntur. 2) Si extra crimen læsæ Majestatis parentem criminaliter accusaverint. 3) Si vitæ patris insidientur. 4) Si malefactoribus semet associaverint, et cum illis perseveraverint. 5) Si parentem captivum non redemerint, vel pro illo non fidejusserint.

§. 99. Proles etiam possunt parentes suos ex avitis ad divisionem cogere 1-mæ 53: 1) Si pater vel mater bona avita dilapidet, vel illa desolari permittat. 2) Si sine justa causâ crudelis sit. 3) Si filium perfectæ ætatis ducere non permittat. 4) Si filium ad peccandum cogat. 5) Si cum consensu patris, vel (Patre scilicet Evangelico non annuente) cum consensu Superioritatis uxorem duxit, et pater intertenere ex avitis non vult. Filiæ emaritatæ hoc jure non gaudent, quia debent per maritos ali, Catholicorum proles, vel in ætate imperfecta invitis etiam parentibus valide ineunt matrimonium, verum in isto casu intertentionem ipsis parentes dare non debent, etiam si bona essent avita, sensu contrario Decis. 49: 147. et 1-mæ 54.

§. 100. Verbőczi citato 53: 1-mæ dicit: si præter causas specificatas, item, in casu ultimo, divisio inter patrem et filium fiat, etiam acquisita substerni debere, quia pater filio, et filius patri naturali jure acquirere tenetur: verum hoc tantum svasorio modo dicitur, non obligativo; secus ob eandem rationem, nec testamento vel donatione inter vivos, aut ulla alia ratione licere acquisita alteri dare, atqui hoc licet, ergo non necessario debent substerni.

§. 101. Quamvis naturalis patria potestas, utriqve parenti, aut pro re nata, avo et aviæ pater-

nis et maternis æqualiter competat, cum omnes illi æqualiter obligentur educare, adeoque æquale jus educandi habeant: tamen, sive ideo, quod parentes possint ita inter se convenire vel connivere, ut alteruter tantum exerceat patriam potestatem, sive vero ideo, quod (quemadmodum Verbőczius dicit) proles, patris, non matris conditionem sequantur, patriam potestatem patri, in defectu vero illius, avo-paterno, et non materno tribuit Verbőczius. Verum hoc non est ita intelligendum, quasi per illam civilem legem, naturale matrum jus et nexus inter ipsas et proles cessaret, sed ita, quod cum ordinarie, sed non semper, patres ad exercendam illam potestatem aptiores sint, illis per excellentiam exercitium illius tribuatur, ita tamen, ut neque matri auferatur: avo-paterno vero ideo tribuitur, quod ad illius, et non avi-materni familiam liberi pertineant, et illius conditionem sequantur.

§. 102. Etiam patria potestas, quæ mere civilis est, et effectus civiles producit, indubie tam matri quam patri, et avo vel aviæ tam maternis quam paternis competit, quia prout pater vi patriæ potestatis potest bona sua etiam avita alienare, illis onera inducere, ita etiam mater et avus vel avia materni idem possunt in suis bonis; deinde, quod filii sub patria potestate existentes de bonis paternis non possint disponere, id etiam de maternis verum est; tandem, ex 1-mæ 56. §. 2. patria potestas perseverat et exstingvitur cum jure succedendi, quod et inde prodit, quod tantum in legitimas et naturales proles, quæ scilicet solæ jus succedendi habent, hæc civilis patria potestas competat, quod item jure succedendi ob Notam

ruente ruat patria potestas, jam vero et matribus succeditur, ergo si patria potestas in bonorum successione fundatur, et cum illa ruit, sequitur et matres habere patriam potestatem, adeoque jure nostro parentalem esse.

§. 103. Nec obstat quod expresse sola tutela tribuatur matribus, quia illam in bonis defuncti mariti habent, in propriis vero, item in personas prolium, patriam potestatem. Sic etiam patri tribuitur tutela, sed non in propria, verum in defunctæ uxoris bona, et non in personas prolium. Non obstat porro, quod ipsa mater sit in mariti potestate, quia non est, eo minus sunt bona uxoris, nec alia distinctio inter maritos et uxores est, quam quod Nobilium uxores gravius persequatur lex ob adulterium quam viros, idest, jure antiquo in arbitrio maritorum sit illas morte plectere vel absolvere, quod item, jus coacquisitionis uxoreæ ab arbitrio mariti nobilis pendeat, in regula.

§. 104. Cessat patria potestas: 1) Morte naturali, verum sæpe post mortem illius, qui patriam potestatem habuit, recidunt proles in alterius patriam potestatem, v. gr. si relinquat proles qui ipse fuit sub patria potestate, illæ in avi potestatem recident, vel, si avus, tam in proles suas quam in nepotes patriam potestatem habens moriatur, nepotes in patris ipsorum patriam potestatem transeunt. 2) Morte civili, v. gr. per infamiam vel captivitatem, (sed postliminio poterit recuperari), tandem per crimen vel notam, licet pater vitam ex gratia Principis retineat, et bona sua recuperet, quia jam in illis filii non succedent, nisi expresse illis etiam de novo conferantur; denique per furorem vel amentiam

illius, qui patriam potestatem habuit. 3) Auctoritate publica propter malam educationem 68: 1715. 26: 1765. 4) Per divisionem, quia in bona filiis extradata pater nullum amplius jus habebit. 5) Per emancipationem, si filius a patre ita volente recedat, et se proprio marte alat. Minorennem dum et quando potest pater reducere, vel repetere, l. mæ 51: §. 7. donec nefors, prole utile vitæ genus sequente, Magistratus intercedat, non item majorennem; si vero filius per parentes velit ali, etiam si sit perfectæ ætatis, illis subesse debet. 6) Per emaritationem, verum si quæ tali nubat, qui est adhuc sub patria potestate, et uxor erit sub eadem, imo si quis uxorem sequatur ad domum soceri, et uxorem et illum, sub soceri, et respetive patris potestate esse, aliqui existimant.

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

§. 105. Matrimonium jure naturali vel positivo consideratur. §. 106. Consangvinitas, lineæque et gradus in illa, §. 107. Modus gradus computandi in consangvinitate. §. 108. In affinitate. §. 109. Cognatio spiritualis et quasi affinitas ex promissione nuptiarum enata, ad Catholicos tantum pertinet.

§. 105.

Quemadmodum ad matrimonium, ut lege naturali validum sit, nihil requiritur, præterquam personæ, quæ consensum suum declarare possunt, et

reipsa libere declarant, et ad procreandam educandamque sobolem aptæ sunt; ita ad illud dissolvendum, æque lege naturali, sufficit mutuus, si nullæ proles adsunt, vel jam educatæ sunt, consensus. Verum cum respublica naturalem civium libertatem, exigente salute reipublicæ, restringere possit, potest etiam matrimonialibus contractibus leges secundum quas ineantur vel solvantur, ponere, vel ecclesiastica potestate poni permittere.

§. 106. Consangvinitas est connexio personarum a communi stipite descendentium. Mares ipsi inter se agnatione, cum descendentibus vero feminarum suæ familiæ cognatione sunt connexi. — Linea in consangvinitate est vel recta, idest: series personarum, quarum una alteram genuit, ut sunt pater, filius, nepos, etc. Vel obliqua seu collateralis, idest, series personarum, quæ a communi quidem stipite descendunt, quarum tamen una alteram non genuit, et semper constat ex duabus vel pluribus lineis rectis, a communi stipite descendentibus, v. gr. proles incipiunt a communi patre vel matre, verum in lineas abeunt. Collateralis linea est duplex: vel æqualis, quum utraque recta linea totidem numero personas habet: vel inæqualis, cum in alterutra linea plures sunt personæ. In linea occurrunt gradus, seu distantia personarum a se invicem.

§. 107. Regula computandi gradus in linea recta est hæc. — Tot sunt gradus, quot personæ, una demta, sic: nepos secundo gradu distat ab avo, quia tot sunt personæ una demta. Regulæ in linea collaterali sunt duplices: 1) Juris civilis Romani, qua Græci utuntur, pro utra-

que collaterali linea, sive æquali, sive inæquali, est: Tot sunt gradus, quot personæ in utraque linea, una demta, secundum hanc ergo, non datur primus gradus in linea collaterali, germani fratres in secundo gradu sunt sibi consangvinei, quia tot sunt personæ una demta, idest, patre demto. 2) Juris canonici regula pro collaterali æquali est: Illo gradu distant inter se, quo uterque distat a communi stipite, hinc frater a fratre vel sorore primo, nepos a nepote secundo gradu distat, quia uterque eodem gradu distat a communi stipite; pro inæquali vero hæc: Illo gradu sunt inter se consangvinei, quo remotior distat a communi stipite. Sic fratris filius, fratri patris sui, secundo, seu potius primo-secundo, (Græcis tertio) gradu est consangvineus, quia secundo gradu distat a communi stipite, ab avo suo, a quo alter primo gradu distat. Fratris mei nepos primo-tertio gradu distat a me, quia tertio gradu distat a patre meo, ego vero primo. Etiam hæc connumerandi ratio difficultatibus obnoxia est, quæ tamen, saltem quoad Evangelicos utriusque Conf. ut infra videbimus, cessant, quia apud illos nulla graduum habetur ratio, verum tantum personarum in lege specificatarum.

§. 108. Affinitas est connexio inter conjugem unum, et alterius consangvineos. Regula computandi gradus affinitatis est hæc: Quoto gradu est quis uni conjugum consangvineus, illo gradu est alteri conjugum affinis. Consangvinei ergo mei, et consangvinei uxoris meæ non sunt sibi invicem affines, verum ego sum affinis omnium consangvineorum uxoris

meæ et illa meorum, et quidem frater (vel soror) uxoris meæ in primo, ejus filius vel filia, in primo-secundo gradu lineæ collateralis sunt mihi affines, quia in eo gradu sunt consangvinei uxori meæ: ast conjuges affinium meorum mihi nec consangvinei sunt, nec affines. Socer et socrus, privignus et privigna mei, in primo gradu lineæ rectæ sunt mihi affines, quia ita sunt consangvinei uxori meæ; noverca et vitricus mei, pariter, quia ego in primo gradu lineæ rectæ sum conjugi eorum (patri videlicet meo, vel matri meæ) consangvineus. Ast consangvinei illorum, v. gr. parentes, proles, vel fratres, mihi nec affines sunt, nec consangvinei. — Affinitas vera ex copula carnali, (in quo matrimonii essentia consistit) quasi affinitas vero etiam ex sponsalibus de præsenti seu ex matrimonio rato quidem, sed carnaliter non consummato resultat.

Tam consangvinitas, quam affinitas vera, prout vel ex copula licita vel illicita oritur, est vel legalis et licita, vel illegalis et illicita.

§. 109. Apud Catholicos ex Baptismo et Confirmatione, inter baptisantem, baptisatum, baptisatique parentes: inter levantem, levatum, levatique parentes: confirmantem, confirmatum, confirmatique parentes, cognatio spiritualis, ex sponsalibus de futuro autem in primo gradu quasi affinitas enascitur.

§. 110. Sponsalia jure naturali valida, §. 111. Jure Evangelicorum civiliter omni obligandi vi carent. §. 112. Casus nullitatis matrimonii enumerantur. §. 113. Causae separationis quoad vinculum. §. 114. Separatio quoad torum et mensam mutuo consensu Conjugum coram Ma-

gistratu declarato. §. 115. De forma matrimonii ineundi. §. 116. De Matrimoniis Catholicorum. §. 117. De Matrimoniis mixtis. §. 118. Matrimonia Græcorum.

§. 110.

Matrimonium praecedere solent Sponsalia, seu pacta de ineundo matrimonio, quæ, quemadmodum omnia pacta, vim obligandi habent, et nonnisi vel mutuo dissensu, vel conditione, sub qua facta sunt, non impleta, vel ob perfidiam alterutrius partis, uti quælibet pacta tolluntur, verum hæc tantum ex lege naturali; quid vero positivi circa sponsalia et matrimonia obtineat, jam videbimus.

Posteaquam matrimoniales Evangelicorum causæ, ab anno 1731. secundum principia quidem ipsorum, ut Carolus jusserat, sed tamen contra 15: 1647. coram consistoriis Catholicorum tractata fuissent, Josephus II. quoad omnes Regnicolas die 6. Martii 1786. dedit Regulationem rerum matrimonalium, quæ 1791. Art. 26. §. 11. quoad Evangelicos, modo provisorio, usque dum scilicet, propriæ eorundem leges matrimoniales in Synodis eorum ferendæ (jam anno 1792. latæ) per Suam Majestatem approbarentur, stabilita est, vi cujus

§. 111. Sponsalia qualitercunque inita, quibuscunque modis (si vel ipsa imprægnatione, aut juramento, vel vinculo pecuniario) firmata pro invalidis et nullis, adeoque, nullum unquam effectum producentibus, declarantur, (pro foro videlicet externo, quia in conscientia, pro foro interno, pro foro poli et divino eo magis servari de-

bent, quo magis quis illa confirmavit). Impræ-gnatio sponsæ vero illos tantum effectus produ-cit, quos absque sponsalibus produxisset, v. gr. sumtuum causa puerperii factorum, et in susten-tationem prolis faciendorum onus. Quoad matri-monia vero statutum est:

§. 112. 1) Matrimonium per personas imper-fectæ ætatis absque consensu patris, vel (illo non existente) avi paterni, illis consentire nolentibus, judicii, vel curatoris, aut tutoris simul et judicii est nullum.

2) Personæ christianæ cum non christiana initum, est nullum.

3) Personæ conjugatæ durante priori matri-monio initum matrimonium est nullum; porro:

4) Personarum, quæ in primo vel secundo gradu sunt sibi consangvinitate (seu licita seu illicita) vel affinitate vera sed licita, aut qua-si affinitate junctæ, vel potius quoad con-sangvineos et affines quidem, in linea recta in infinitum; in collaterali vero, quoad consang-vineos: matrimonium fratris cum sorore; fratris vel sororis cum filio vel filia alterius fratris vel sororis; demum: inter proles fratrum et soro-rum; quoad affines autem: matrimonium vidui cum sorore uxoris, aut filia fratris, vel sororis uxo-ris mortuæ, et denique cum filia fratris vel sororis soceri vel socrus suæ, (quia nec uxor ejus potuisset tali suo consangvineo nubere) matrimonium por-ro: viduæ cum fratre mariti, aut filio fratris vel sororis mariti mortui, et denique cum filio fratris vel sororis soceri vel socrus suæ, idest: cum pa-trueli, consobrino vel amitino defuncti mariti, (quia, nec maritus potuisset tales suas consang-

vineas ducere) est nullum; cum reliquis omnibus personis declaratur pro valido. In casibus tamen per Mosem, vel plane non, vel non absolute, aut non sub pœna mortis prohibitis, (v. gr. in consangvinitate; in casu matrimonii inter fratrem vel sororem, et prolem alterius fratris, vel sororis, porro: inter proles fratrum et sororum; in affinitate vero: cum vidua fratris, nec non sorore uxoris defunctæ) ex mente Evangelicorum potest Princeps dispensare: eo facilius in matrimonio vidui vel viduæ cum prole fratris vel sororis, aut plane cum patrueli, consobrino vel amitino defuncti vel defunctæ conjugis. — Quid, quod vigore Decreti aulici, de dato 18. Sept. 1795. etiam privigni cum noverca, si certum sit, quasi affinitatem tantum esse, idest: matrimonium patris cum ea, non fuisse carnaliter consummatum; eadem debet esse ratio, vitrici cum privigna, generi cum socru, soceri cum nuru.

5) Matrimonium inter rapientem et raptam, nisi rapta deinde in loco securo posita consenserit.

6) Personarum, quarum adulterium ante contractum matrimonium edoctum et judicialiter probatum erat. (Vel suspecta conversatio, vivente priori conjuge exercita, eo magis gravis suspicio adulterii (ubi illa publice percrebuit) obstat, quominus copulatio licite fieri possit, sed copulatum non irritat.)

7) Personarum, quæ conjugem priorem partis unius occiderunt, aut occidi procuraverunt, licet tantum una pars conscia necis fuerit. (Hinc sequitur, personam, quæ conjugem occidit, non posse matrimonium inire cum illa persona, cum

qua intentionem matrimonii aliquando ineundi habuisse præsumi potest.)

8) Militis, absque scitu superioritatis, licet in exteris provinciis initum matrimonium, æque nullum est.

9) Ut etiam matrimonium illorum, qui mentis compotes non sunt, nisi lucido intervallo initum.

10) Sic si error quoad personam intercessit, licet accidentalis tantum sit, et qualitatem personæ tangat, modo consensus expresse ad illam qualitatem restrictus ab altera parte sit, altera pars vero illam falso simulaverit.

11) Si gravida fuit mulier, idque maritus nescivit, ac, ubi primum ipsi innotuit, Judici indicavit.

12) Si consensus vi, (sive physica, sive morali) metu, errore procuratus est, nisi postea pars læsa expresse vel tacite consenserit. (Metus reverentialis non tollit consensum.)

13) Si trina promulgatio, aut (in casu necessitatis scilicet) politici fori, v. gr. V. Comitis, vel Judicis civitatensis, (etiam quoad Nobiles in Civitate degentes vigore Resol. R.) inter Jazíges vero et Cumanos, Hajdones item, Capitanei dispensatio non intercesserit. Si periculum est in mora, Judex Nobilium dispensat in Comitatibus, absentibus Vice-Comitibus, quod quidem vel extra dictum casum fieri observavi; an rite fiat, dubitari potest. Budæ dispensat Consilium R. L. Dispensatio ea cum cautione danda est, ut sponsus et sponsa, se nullius impedimenti, quod matrimonio ipsorum obstare posset, conscios esse coram jurent; ut item promulgatio (extra casum summæ

necessitatis) semel, quod minimum est, peragatur.

14) Si impotentia antecedens, tempore scilicet contracti matrimonii præexistens, et perpetuitas ejus clare prodiverit; quæ si dubia sit, ad triennalem cohabitationem stringendi erunt, si et tunc dubia sit, vinculum matrimonii dissolvitur; impotentia vero temporalis, aut qualiscunque post initum matrimonium enata, vinculum non solvit.

§. 113. Hactenus de nullitate matrimonii, quæ si declarata fuerit, super alimonia prolium et damno nefors ex matrimonio alterutri parti enato pronunciandum erit. Jam de solutione ejus ubi validum est.

1) Si alteruter conjugum adulterium commiserit, aut 2) vitæ alterius conjugis insidias struxerit, rumpitur vinculum.

3) Si alteruter conjugum malitiose deseratur, et deserens ad trinam edictalem per Circulares Consilii Regii L. peragendam citationem non compareat, erga novum recursum partis desertæ ad judicium factum, pro soluto declaratur.

4) Si irreconciliabile odium inter conjuges fuerit, et nec ad tentatam, (ante motam litem quidem per Pastorem, lite currente vero per Sedriam) reconciliationem, nec per prævium a toro et mensa ad certum tempus tentaminis causa nefors decretam separationem judicialem, pro re nata etiam repetitam, et prorogatam, in amicitiam rediverint, imo utraque pars vinculum solvi cupiat, et de prolibus provideatur, qua occasione, etiam omnes mutuo formandæ prætensiones judicialiter decidendæ sunt; verum mulier intra aliquot menses nubere non poterit propter prolem

nefors e priori matrimonio conceptam; sed nec vir, nec mulier, matrimonium nefors cum diversis personis inire volentes, absque producta de prolibus provisione, per Ministrum, sub pœna amotionis ab officio, copulari poterunt. Hæc de solutione vinculi.

§. 114. Separatio vero a toro et mensa, (nunquam per Judicem dictanda) ob duros mores etc. mutuo consensu partium coram Judice declarando fit, et quidem post tentatam per Pastorem reconciliationem, factam item super mutuis prætensionibus, et prolium provisione, conventionem: si iterum cohabitare velint, id quoque judicio insinuare debebunt. Jam de forma matrimonii.

§. 115. 1) Per Plenipotentiarium potest iniri matrimonium, si plenipotentia ad matrimonium determinatæ alicujus personæ restricta, et tempore contracti matrimonii non revocata fuit.

2) Consensus in matrimonium coram Pastore sponsi vel sponsæ proprio, vel alio per illum loco sui misso, et duobus (quod minimum est) testibus, debet declarari.

3) Promulgatio et copulatio circa matrimonia in exteris Regnis per nostrates inita, talis sufficit, qualis ibi solet adhiberi; ceterum, leges nostræ observandæ sunt.

§. 116. Quoad causas Catholicorum matrimoniales brevissime observandum est: Sponsalia faciunt impedimentum impediens, ita scilicet, ut cum alia persona posterius contractum matrimonium non evertant, ut adeo illud illicite quidem, valide tamen initum sit. Si mutuus consensus ad solvenda sponsalia, vel secus, pro prudenti Parochi arbitrio, justa causa recedendi no-

toria non adest, Judicis sententia requiritur ad solvenda sponsalia, præcipue talia, de quibus publice constat esse inita. Quasi-affinitas autem ex validis sponsalibus de futuro enata, facit in primo gradu impedimentum dirimens, idest: sponsalibus validis quocunque demum modo solutis, matrimonium cum matre, vel sorore sponsæ, vel patre vel fratre sponsi est nullum. Consangvinitas sive licita, sive illicita intra quartum lineæ collateralis gradum inclusive, absque Dispensatione ecclesiastica impedimentum dirimens ponit; pariter, vel ipsa quasi-affinitas ex matrimonio carnaliter non consummato resultans; eo magis vera, eaque licita affinitas, illicita vero usque secundum gradum inclusive, quæ adeo, vel superveniens, sponsalia, et jus ex illis enatum tollit. Sunt etiam alia impedimenta dirimentia vinculum, propter quæ scilicet matrimonium ab initio fuit nullum; v. gr. si consensus defuit; si alteruter conjugum, alio matrimonio, vel religioso voto solemni ligatus, aut in Ordine sacro (v. gr. Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus) sit; vel, impotentia matrimonium antecedens et perpetua adfuerit; nec non, inter personas, adulterii, sub spe matrimonii, vel cum insidiis vitæ alterius conjugis, (licet per unam tantum partem) cum effectu structis, commissi reas; aut conjugem priorem, cum intentione nuptias ineundi, occidentes; aut, si Parochus proprius, vel (cum venia ejus aut Episcopi) Sacerdos aliquis, et duo testes non adsistant: hæc enim nullitatem contractus arguunt, qui contractus, nec per subsecutum sacramentum, idest, copulam spiritualem potuit validus reddi; quia ad sacramentum requiritur materia, forma,

minister: atqui hic non adfuit materia, idest, contractus civiliter validus; ergo nec sacramentum adest. Si vero contractus initio validus sacramento roboretur, et (quod maximum est) carnaliter consummetur, (præterquam quod conjugi ad fidem christianam converso, infidelem conjugem deserere, et ad alias nuptias transire liceat) prorsus in nullo alio casu poterit vinculum solvi, idest, ut partes ducere et nubere possint: verum separatio a toro et mensa perpetua vel temporalis, fieri potest, ex iis fere rationibus, ex quibus vinculum apud Evangelicos solvitur. Carnaliter non consummatum autem matrimonium, Professione religiosa alterutrius conjugum, illud vero, quod propter aversationem non potest carnaliter consummari per dispensationem Pontificis cum vinculo tollitur.

§. 117. Proles ex mixtis matrimoniis (quæ semper coram Parocho Catholico debent iniri) susceptæ, si pater fuerit Catholicus, omnes illius religionem sequentur, patris Evangelici religionem vero soli mares: illegitimæ autem, saltem vi antiquiorum Resolutionum, omnes maternam. 25. Nov. 1791. 28. Oct. 1792. 27. Apr. 1819.

§. 118. Matrimonium apud Græcos, (unitos et non unitos) usque gradum tertio-quartum inclusive, (qui ipsis est septimus) item inter consanguineos conjugum primi gradus, prohibetur; post assumtos sacros ordines, emissaque vota solemnia illicite quidem, non tamen nulliter initur, propter adulterium et pertinacem absentiam solvitur; quartæ nuptiæ damnantur.

§. 119. Processus divortialis §. 120. Processus incestus. §. 121. Processus adulterii. §. 122. Processus polygamiæ. §. 123. Fiscalis actio contra conjuges via facti separatim degentes, concubinarios item et matrimonii turbatores.

§. 119.

Processus hinc sunt: 1) Divortialis. Movetur relate ad Catholicos, matrimonia item mixta coram S. Sede; relate ad Evangelicos autem, usque dum in sequelam 26: 1791. Consistoria eorum coordinata non fuerint, coram Sedria, Districtu aut Civitate, semper tamen assistente defensore matrimonii. Potest fluere etiam tempore juristitiorum. Sua natura semper est appellatus; Evangelicorum appellatur ad Tab. Regiam, inde ad Tabulam Septemviralem, ut plurimum per Fiscum defensorem matrimonii. Huic Actioni propter odium et aversationem movendæ non prius datur locus, quam Pastor tentaverit reconciliationem. Matrimonia mixta, eo, quod ex mente Catholicorum sacramentum subsit, censentur indissolubilia; quid quod, ne quidem conjuges Evangelici putantur ita valide separari, ut mixtum matrimonium inire permittantur, 1791: 26. §. 11. nisi reviso per S. Sedem processu, causa divortii, quæ jure Canonico nullitatem matrimonii importat, observetur.

§. 120. Secundo: Incestus, idest, ob scienter contractum matrimonium, vel concubitum, inter consangvineos, vel affines, quibus matrimonium inire vetitum est. Mortis pœna ad affines lineæ collateralis trahi non potest, prout sæpe decisum est. In gradu tertio incestuosi trium, in

quarto duorum annorum carcere puniuntur, 12: 1725. verum hæ pœnæ quoad Evangelicos cessant: quia cessat incestus, cum enim legislator semel pro semper dispensat, abolet legem, ergo si puniendum est delictum, aliter debet puniri, ita scilicet, prout concubitus inter personas matrimonium inire queuntes patratus, ita Dec. 17. Mart. 1801. in causa criminali contra Dobozi et Mariam Vörös. Sunt qui doceant, incestum, ejusque pœnam, non obstante legis abolitione, extra matrimonium etiam si illud vetitum non sit, hucdum perdurare. Alii contra, idque rectius, vel matrimonium, in secundo gradu collateralis consangvinitatis per Evangelicos scienter contractum, non pœna mortis, vi 12: 1725, verum vigore §. 47. Regulationis Josephinæ trium annorum carceribus, aut alia statui et conditioni commensuranda pœna puniendum statuunt, prout etiam per Catholicos initum sub Josepho puniebatur.

§. 121. Tertio: Processus Adulterii, propter quod inter Evangelicos et Græcos ad divortium et vinculi solutionem: inter Romano-Catholicos vero ad separationem a toro et mensa, eamque perpetuam agere parti læsæ licet. Nobilis maritus, contra uxorem adulteram, potuit ad pœnam mortis 1-mæ 105. agere, sed tantum prima vice, idest ob illud adulterium, quod primo innotuit marito, quod si vel expresse, vel tacite (per cohabitationem) condonavit, jam agere non potuit, etiam si iterum commissum fuerit. Vigore S. Lad. 1: 15. uxorem in adulterio deprehensam interficiens maritus, soli Deo debebat rationem reddere. Hodiernis temporibus et moribus, adulterium, vel parte læsa conquerente, vel ex causa

incurrentis scandali, pœna arbitraria punitur, actione Fisci 12: 1725. §. finali.

§. 122. Quarto: Polygamiæ actionem Fiscus magistratualis fundat in 6: 1625. 40: 1650. Debita pœna non significat eandem pœnam, quam dictavit 14: 1-mæ delictis illis, quibus polygamia 6: 1625. absque pœnæ designatione, subjicitur; ast etiam si significaret, cum eadem delicta 11: 1725. recenseantur, eorumque pœna ad mortem reducatur, polygamia autem, sicut alia quædam delicta, licet antea notoria, consulto prætereatur, ad 12: 1725. idest: ad mitiorem, arbitrariam scilicet pœnam (quæ ut experimur, in carcere unius alteriusve anni consistit) rejecta esse censeri debet, cum aliis delictis non memoratis, Polyandriam vero durius posse et debere puniri, quam polygynæceam, suapte intelligitur.

§. 123. Quinto. Prout Catholici conjuges actione Fisci consistorialis, ita Evangelici, via etiam §. 46. regulationis Josephinæ, actione Fisci magistratualis ad cohabitationem, vel divortialem litem movendam, judicialiter stringi possunt, et debent si via facti separatim habitent. Actioni Fiscali obnoxii sunt etiam concubinarii, et matrimonii turbatores, saltem, nuptiarum, cum turbatore quandocunque contrahendarum facultas et spes, quam ex suspecta conversatione conceptam esse et divortio prætextu aversationis petendo causam dedisse satis constabit, in ipsa vinculum solvente sententia nominatim adimi debet et solet.

CAPUT IX.

De Legitimatione et Adoptione.

§. 124. Legitimatio per subsequens matrimonium. §. 125. Per Principem, et per Pontificem Romanum. §. 126. Proles naturales variæ sunt. §. 127. Proles legitimæ et naturales, et legitimæ tantum, cum, vel sine consensu Regio adoptatæ. §. 128. Jura posteriorum.

§. 124.

Proles ex illegitimo toro natæ legitimantur:

I) Per subsequens matrimonium, licet aliud matrimonium post conceptam prolem cum alia persona intercesserit. Verum requiritur, ut tempore conceptæ prolis fuerint parentes in eo statu, ut invicem ducere et nubere potuissent; nec sufficit ut prolem ambæ partes recognoscant, verum conversationem debuerant inter se fovisse, quia si fallere vellent, prolibus legitimis vel collateralibus, si bona fuerint avita, vel si quis scilicet ab intestato deficiat) Fisco dabitur Actio etiam intuitu extradonationalium bonorum, eo magis donationalium. Legitimata talliter proles, vel in majoratu praecedit quidem fratres patris sui, prout et fratrem suum ex iisdem nuptiis tardius natum, verum fratrem, ex aliis praecedentibus nuptiis natum, licet se juniorem, verum ante legitimationem jus quæsitum ex nativitate, vel conceptione habentem, non videtur præcedere. Civiliter enim tempore legitimationis concepta esse censetur.

II) Per Principem in forma privilegii, l-mæ 108. verum hoc, tantum contra Fiscum dabit jus ad bona, contra proles vero legitimas, aut ascendentes et collaterales, præcipue in bonis avitis nullum. Proles ex incestuoso, verum ignoranter contracto matrimonio natæ, sunt legitimæ l-mæ 106. 108. Idem valet, si v. gr. ex capite coactionis matrimonium annulletur, et parentes, vel saltem alteruter ex illis, in bona fide versetur.

§. 125. Apud Catholicos est adhuc legitimatio per Pontificem, quæ mere ecclesiasticos effectus producit, ast placeto Regio provisa dispensatio Pontificis in casibus matrimonii cum impedimento dirimente humani juris contracti, etiam civiles, sensu l-mæ 106.

§. 126. Proles ex injustis nuptiis natæ vocantur naturales tantum, et vel sunt naturales in specie, quæ patre, vel se profitente, vel demonstrari queunte, ex persona alias honesta, et soluta; vel spuriæ, quæ patre incerto, vel prolem non agnoscente, prostituta; vel adulterinæ, quæ ex personis ligatis, vel incestuosæ, quæ ex consangvineis collateralibus, aut affinibus, in gradibus prohibitis; vel nefandæ, quæ ex ascendentibus et descendentibus generantur.

§. 127. Proles ex nuptiis licitis natæ vocantur legitimæ et naturales simul.

Legitimæ tantum vocantur proles adoptatæ, licet non solum in filium, verum etiam in fratrem possit quis, pro ratione scilicet aetatis, adoptare. In avitis nonnisi tunc habet locum adoptio, si nec descendentes, nec ascendentes, nec collaterales adsint l-mæ 66. In Donationalibus consensus regius requiritur, intra annum a morte ad-

optantis statutione roborandus, si adoptio sonet de futuro, et mortis causa sit, idest, ut post mortem adoptantis possit adoptatus bona apprehendere, quia si sit translatio de præsenti, sapit fassionem, et intra annum ab emanato consensu debebit Statutio peragi 1-mæ 65. In extradonationalibus acquisitis, etiam si successores adsint, tamen potest quis absque consensu regio adoptare, qui nec tunc requiritur, si adoptans ultimus deficiens sit, et bona extradonationalia avita fuerint; verum si ignobilis est adoptatus, ut nobilis evadat, requiritur qualiacunque demum fuerint bona, prout etiam, si nomen adoptantis velit assumere, id absque permissione Regis facere non potest, quia nemini licet nomen suum mutare absque scitu Regis, Resol. R.

Si adoptio de futuro sonet, idest mortis causa fiat, verum ante mortem adoptans amittat bona, vel hæredes illi nascantur, cessat adoptio, quæ neque ita reviviscit, si adoptans bona nefors ob notam amissa per gratiam recuperet, vel hæres moriatur, verum de novo debet adoptare. Imo in his casibus adoptatus ignobilis, spe etiam nobilitatis cadit, nisi adoptioni jus quoque regium fuerat adnexum, sive sit in bonis, sive non.

§. 128. Adoptatus, bona adoptantis ex formali aut judiciali pignore reluere, debita ejus activa exigere posse videtur. Jus ad rem quod adoptanti competebat, v. gr. implementali, pœnali, aut ex puritate Statutionis etc. moto vel movendo processu persequi non potest, quia in illis nec Fiscus, quem repraesentat, succedit. Imo, licet 27. 1-mæ Fisco æquiparetur, is vero, jus in re deficientis (v. gr. quod invalidatorio, vel juris

processui obnoxium erat) quærere possit, adoptatus tamen, ad talia adoptantis jura exquirenda nullum jus habere videtur, (prout nec præfecta) nam non sangvinis, verum donationis jure utitur; illa ergo Fisco censentur reservata esse, in quibus adoptans, dominium plenum vel directum in specie, vel saltem (v. gr. quoad activa debita) in genere non habuit. Verum de sensu Tit. 27: 1-mæ alias fusius Lib. II. cap. 9.

CAPUT X.

De Tutela et Curatela.

§. 129. Qui sunt sub tutela vel curatela? §. 130. Qui arcentur ab utraque gerenda? §. 131. Tutela testamentaria. §. 132. Tutela vel Curatela legitima et naturalis parentum. §. 133. Legitima tantum collateralium §. 134. Dativa. §. 135. Excusationes ab illa. §. 136. Differt tutor a curatore. §. 137. Obligatio utriusque, præcipue tutoris, quoad personam pupilli, §. 138. Quoad res ejus occasione adeundi officii, §. 139. Quoad easdem durante officio. §. 140. Merces tutoris vel curatoris. §. 141. De receptione bonorum a curatoribus, et obligatione illorum ad successores vel Magistratum transeunte. §. 142. Illegalis tutor vel curator. §. 143. Suspectus, licet legalis, quomodo tractatur? §. 144. Quomodo alias cessat tutela vel curatela. §. 145. Propter factum tutoris emeriti contra quem agitur. §. 146. Persona imperfectæ ætatis tutorem vel curatorem nulliter absolvit. §. 147. Processus dandarum rationum tutelarium vel cu-

ratelarium. §. 148. Ad pœnam infamiæ, et nonnulli alii adhuc ex hac materia.

§. 129.

Exstincta parentali alterutrius vel utriusque parentum potestate, tutelari potestati subsunt: mares illigitimæ ætatis, puellæ innuptæ, et omnes amentes et furiosi, 1-mæ 55. pupillis æquiparati. Mares legitimæ ætatis curatelæ subsunt usque 24-tum annum, nisi perfecta ætate appropinquante, publica potestate absolvantur.

§. 130. Impediuntur tutores vel curatores esse furiosi, filii familias, et minorennes 1-mæ 117. Prohibentur autem omnes feminæ præter matrem, licet 1-mæ 91. expresse solas innuptas rejiciat a tutela, deinde dilapidatores publica auctoritate declarati, sententiæ capitali, aut saltem Actioni criminali subjacentes, notorii, perjuri, infames, licet agnati vel testamento dati sint 119: 1-mæ §. 1. quo referuntur etiam pauperes, qui rebus pupilli cavere non possunt, licet æque agnati sint, nisi testamento dati fuerint tutores.

§. 131. Tutela est legalis, vel illegalis, quæ alias ingessiva dicitur.

Tutela legalis est:

Primo, testamentaria, quæ ultima voluntate, vi parentalis potestatis defertur in proles, quæ in potestatem alterius non recidunt, mares quidem tantum illegitimæ ætatis, femellas vero etiam legitimæ aut perfectæ ætatis; quid, quod etiamsi recidant, valet tamen relate ad bona defuncti vel defunctæ conjugis, etiam vivente altero conjuge, parentalem potestatem quoad perso-

nam prolis retenturo. Tutela testamentaria, etiam ruente ob aliquem solemnitatis defectum testamento, stabit, et quoad personam pupilli, acquisita item, omnes reliquas tutelas semper præcedit, sed quoad avita non præcedit legitimam, idest fratres collaterales præcedunt testamentarium tutorem, nisi illi sponte cedant, aut aliquas prætensiones contra pupillum habeant 1-mæ 119. §. 4. Cognatus, idest, sexus feminei homo, tantum tunc potest testamento tutor dari vel filiabus, si bona manifeste utrumque sexum concernant 1-mæ 119. §. 5.

§. 152. Secundo: tutela vel curatela legitima vel respicit superstitem parentem, legitima et naturalis, vel collaterales pupilli, legitima tantum.

Legitima et naturalis, præter patriam potestatem, in personas prolium et bona propria, competit superstiti conjugi in bonis defuncti conjugis, D. 10: p. 169. vi juris et obligationis naturalis, nec aufertur, nisi dilapidatori 1-mæ 115. Matri vero secundo nuptæ etiam ob aliam gravem rationem. Nec obligatur pater unquam rationes dare, verum mater, si ad alia vota transiverit, obligatur 68: 1715. etiam ad dispendiosas erogationes refundendas, D. 12: p. 169. nec habet Actoratum ad transumta literarum bona prolium tangentium Dec. Cur. 7: p. 109. sed nec potest cogi ad revelationem literarum, si jam unus ex filiis perfectæ ætatis sit. D. 5: p. 22.

§. 153. Legitimæ tantum 1-mæ 116. fundamentum est bonorum successio, quia collaterales succedent pupillo, adeoque habent jus tutelæ, juxta proximitatem gradus, (quia etiam successio

ita pergit) si scilicet illi, qui proximi ad pupillum sunt, apti et habiles sint, secus remotior erit tutor, si vero plures sint eodem gradu distantes, et inter se convenire non possint, Magistratus eligit. Agnatus, cetera habilis, si vel unus supersit, præfertur semper omnibus cognatis, imo si agnatus illo minorennis, sit, nonnisi interim erunt cognati tutores et tantum ita, si bona utrumque sexum manifeste concernant, secus, potius extraneus aliquis debet tutor dari, quia periculum est ne bonis familiæ insidientur, literalia instrumenta supprimant, et bona ad utrumque sexum pertrahant, et hæc est ratio, quod illis etiam adoptivi fratres vel filii in tutela filiarum adoptantis præferantur 1-mæ 120. Si nulli tutores vel curatores testamentarii vel legitimi adsint, habet locum

§. 154. Tertio: Dativa tutela vel curatela, quam nobili et libero ordinat Princeps 124: 1-mæ, nomine illius Palatinus 50: 1659. vel etiam Comitatus; civi Civitas, colono Dominus terrestris, cujus fundamentum æque successio est et debitum patrocinium.

§. 155. Excusationes a tutela vel curatela præcipue dativa 1-mæ 122. recensentur hæ: prolium propriarum nondum emancipatarum multitudo, locorum distantia, bonorum pupillarium multitudo et situs, actualis militia, officium aliud rationibus dandis obnoxium, morbus gravis et incurabilis, literarum imperitia, inimicitiæ cum patre habitæ, senium supra 60 annos, ætas imperfecta, et aliæ quoque rationes, v. gr. paupertas, prætensiones contra pupillum etc.

§. 156. Tutelaris potestas tam in personas, quam in bona tutelatorum competit, et est necessi-

tatis, curatela vero magis circa bonorum administrationem versatur, et est meri arbitrii, idest: debet quidem masculus etiam legitimæ ætatis sub curatela esse, verum l-mæ 124. §. 2, 3. D. 12. p. 18. D. 9. p. 168. ab arbitrio illius pendet, quem habeat curatorem, quamvis disponendi inter vivos facultate, tam parum quam tutelatus, gaudeat, in regula.

§. 137. Tutor et Curator obligatur pupillum bene educare, informari curare, (secus per Comitatum vel Consilium admonetur 105: 1725. 68: 1715. 1765: 26.) in nuptias personæ evang. licæ imperfectæ ætatis consensum Jurisdictionis petere etc.

§. 138. Ante conscriptionem immobilium, inventationem mobilium, addito utrobique valore æstimationali peractam, tutor vel curator officium suum non adeat, nisi qui rationibus dandis non est obnoxius; collaterales itaque pupilli statim debent mortem patris ejus Magistratui insinuare; quod licet intermissum sit, tamen ex officio per eum omnia singillatim inventabuntur, et conscribentur, ut et debita, sive passiva, sive activa. Sed literalia instrumenta pupilli non possunt contrectari, verum in cista obsignari debent 68: 1715. 26: 1765.

§. 139. Debet tutor vel curator res, quæ servando non sunt servabiles, opportuno tempore vendere, majorem summam pecuniæ elocare, (secus ipse refundet fructus cessantes) non item minorem, necessitatibus pupilli et œconomiæ ducendæ servientem D. 4. p. 168. Majorem circa pupilli bona mutationem, v. gr. magnum ædificium ponendum, bona emenda, vendenda, remittenda, Magistratui substernere consultum est, ita ab onere

responsionis se salvare poterit tutor et respective curator, quamvis possit necessarias, et utiles fasciones celebrare; secus, si quas celebraverit, etiamsi super fundis civilibus, et non liberis D. 2: 167. D. 6: 168. sint seponibiles l-mæ 112. §. 5. 1655. 24. 124: l-mæ §. 5. et tantum eatenus refundatur pretium emtori, quatenus ille probaret pecuniam in utilitatem pupilli esse conversam, quod etiam de pecuniis per tutorem ad rationes pupilli mutuo levatis intelligendum. Potest transactiones facere 127: l-mæ §. 2. quæ licet non rite factæ sint, non sunt seponibiles, verum invalidabiles, eo magis potest tutor (non item curator) pro pupillo active et passive juri stare, D. 10: 169: l-mæ 127. Procuratores constituere, si quis pupillum præcipue propter actum potentiarium evocaverit, homagialem pœnam petere l-mæ 152. Tutor et Curator obligatur quolibet anno rationes dare. 1765: 26.

§ 140. Si rationes approbatæ fuerint, accipiet sextam partem redituum in præmium navatæ operæ, D. 5: 168. (exceptis in regula interusuriis capitalium 1715: 68.) nisi oblato minori honorario id muneris assumserit. Contra si minorennis, curatori vel plenipotentiario per se sibi electo, majus honorarium obligaverit, et ante ætatem perfectam non revocaverit, solvere debet. D. 9: 168. sed jure novo nec plenipotentiarium facere, præterquam procuratoris constituendi, aut de peculio disponendi causa, nec curatori majus legali salarium obligare posse videtur. Si vero tota substantia consistat ex capitali (ut in civitatibus solet, ubi bona pupilli statim divenduntur, et pecunia erga hypothecam dupli elocatur) aliqua portio

tutori cedit ex interusurio; verum in civitatibus publicus salario provisus officialis solet constitui ad pecunias pupillares administrandas, imo sæpe plures sub nomine officii pupillaris. Et mater rationibus obnoxia iisdem commodis gaudet, et incommodis subest, quibus reliqui, idest, testamentarii, dativi et legitimi tutores vel curatores subsunt. D. 12: 169.

§. 141. Attacta perfecta ætate curatores debent bona cum legitimatione rationum finalium remittere, imo ipsi possunt ejus ætatis curatelatum judicialiter cogere, ut bona et rationes accipiat. Onus dandarum rationum mortuo tutore vel curatore ad hæredes etiam transit, idest, damna dolo vel culpa patris sui defuncti in pupillum derivata D. 1: 166. resarcire tenentur, nisi tempore mortui curatoris, perfectæ ætatis fuerit curatelatus, qui (68: 1715. D. 12: p. 18.) ipse debuisset curatorem ad dandas rationes stringere, res vero inventario contentas, aut secus jure pupilli apprehensas semper debent etiam hæredes revelare et restituere, etiamsi a damni refusione immunes sint. Si vero tutor aut curator præsentavit suas rationes Magistratui, hic autem censuram neglexit, et tutor interea moritur, non ad hæredes tutoris, verum ad Magistratum onus redundat, a paritate 65: 1725.

§. 142. Ingessivus tutor, idest qui non sua via posuit se ad tutelam (ut et quilibet rationibus obnoxius, qui absque inventario apprehendit res alienas) etiam illas res debet refundere, quas nunquam apprehendit, si probari possit parentem pupillorum res illas possedisse, nisi in contrarium probet ante mortem patris distractas esse. D. 5.

167. Præterea: Ingessivus levissimam etiam culpam præstare tenetur, neque mercedem accipit. Sed hæc de homine malæ fidei intelligenda, non de eo, qui pupillos ab aliis desertos et neglectos bona fide protegit.

§. 145. Cum tutela sit officium publicum, et malæ fidei tutor delictum publicum committat, quilibet potest suspectum tutorem et curatorem accusare, etiam pupillus legitimæ ætatis, præcipue ex consilio proximorum suorum, ergo eo magis perfectæ ætatis 124: 1-mæ, ut et Fiscus, et quidem omnem tutorem vel curatorem, etiam legitimum et naturalem. Talis tutor et curator statim suspenditur ab officio, nulla cautione locum habente, atque re comperta, vel confirmari, vel amoveri, et præterea nisi sit naturalis et legitimus simul, pro varietate circumstantiarum pœnis accessoriis affici debet. Suspectus potest evadere, vel ob dolum, vel ob culpam latam, imo levem etiam, v. gr. si œconomiam negligat, eo magis, si pupillos non bene curet, non erudiat, vel ipse malis moribus sit, aut ad bona pupilli aspiret, vel cum patre inimicitias habuerit 125: 1-mæ, vel absque ulla culpa ob incidens aliquod, v. gr. infortunium et paupertatem evenientem, propter quam nec initio admissus fuisset ad tutelam, cum honore dimittitur.

§. 144. Cessat tutela quoad masculos per ætatem legitimam, nisi etiam ulterius subesse velint, quoad puellas per emaritationem ordinarie, secus, etiam in statu innupto, si debito tempore non nupserint, non tantum expresse, verum etiam tacite per Magistratum liberari possunt, nam, 1-mæ 14. §. 8. supponit innuptas quæ non sunt sub tu-

tela, 1-mæ. 115. §. 1. vero convenientes tantum esse dicit, ut sint sub tutela. Cessat porro, quoad amentes, per usum rationis recuperatum, curatela cessat per revocationem, vel ætatem perfectam; ut supra dictum.

§. 145. Si tutor a tutela recessit, et res resignavit, propter facta illius non contra illum, verum contra secundum tutorem, vel attacta legitima ætate, contra ipsum pupillum agi debet, nisi solus prior tutor habeat rem sibi cognitam; verum tunc quoque obligatio ad bona pupillaria redundabit, præcipue si pupillus majorennis factus, facto suo factum tutoris ratihabuit.

§. 146. Ceterum, pupillus perfectam ætatem ubi attigerit, ipsum etiam tutorem vel curatorem valide absolvere potest, prius nonnisi usque perfectam ætatem revocabiliter, ut Decisiones, 1. 9. 11. pag. 166, et sequ. innuunt; ast hodierno jure, talis absolutio est ipso jure 21: 1802. nulla, cum alioquin in rebus officii, tutor vel curator, cum pupillo unam personam constituat, adeoque ita considerandum sit, ac si tutor vel curator semet ipsum absolvisset, adeoque revocatio necessaria esse non videtur.

§. 147. Processus ex hac materia enascuntur:

Primo: Ad dandas rationes tutelares, vel curatelares. Actio fundatur in 115: 1-mæ 24: 1655. 68: 1715. 26: 1765. Si bona in uno Comitatu sint, sive finales, sive annuæ sint rationes; item, licet bona in pluribus Comitatibus sint, si tamen rationes annuæ sint, defluit coram eodem Comitatu, qui tutorem dedit, vel in quo residentia patris pupilli ordinaria fuit. Actor est. Fiscus magistratualis qua talis, vel tutor secundus, vel ipse

orphanus jam tutelam egressus, etiam si non sit perfectæ ætatis, ut D. 1. p. 166. vult. Usque summam 200 fl. coram Judlium, a 200 usque 5000 vel coram Judlium, vel coram V. Comite supra 5000 coram V. Comite ad imitationem successionalis Processus. Si bona in pluribus Comitatibus jaceant, et simul rationes finales sint, coram Tabula Districtuali, si vero in pluribus Districtibus sint bona, coram Tabula illius Districtus, in quo residentia ordinaria patris pupilli sita est, decurrit hic Processus. Appellata in Comitatu est extra Dominium, in Tabulis Districtualibus vero usque 12000 fl. extra, supra vero intra Dominium. Sæpe in hoc Processu, inventarii, conscriptionum, connotationum, aliorumque literalium, nec non rerum mobilium D. 1. p. 166. revelatio sub juramento imponitur tutori vel curatori. Accessorie ob dolum petitur convinci in pœna dupli et expensis, si dolus circa administrationem bonorum versatur; verum si tutor ante litem terminatam moriatur, pœna dupli ad successores non transit. Ob culpam vero latam, imo et levem, in simplici tantum damni refusione et expensis convincitur: 1-mæ 115, 125. 1715: 68. Dec. 1: p. 166. Levissimam culpam ordinarie non præstat. Bonæ fidei tutores, etiamsi restantiarii maneant, interusurium et expensas non solvunt, Dec. 8. 168. Imo si de suo aliquid expenderint, id recipiunt, D. 7. 168. Circa capitalia nefors periclitantia tempore rationum attendendum, an tempore aditæ tutelæ fuerint exigibilia, et ita per tutorem acceptata, an cura exigendi fuit adhibita, an si quid ipse elocavit, id cum legalibus cautelis et necessaria circumspectione fecerit? etc. Cum hodiernis tem-

poribus, negotiis orphanalibus melius ordinatis, rationes orphanales coram orphanali Deputatione in forma Sedriæ revideantur, vix enascitur necessitas in partibus procedendi.

§. 148. Secundo: ad pœnam infamiæ. Movetur coram Tabula Regia. Actore vel tutore secundo, vel vero ipso orphano jam tutela liberato, vel etiam Fisco regio, cum sit delictum publicum; hæc pœna dictatur, si tutor aut curator dolo usus est vel in personam pupilli, vel in proprietatem bonorum illius 123: 1-mæ.

Tertio: ad recipienda bona ex manibus curatoris, (quia 1-mæ 115. §. 4. 24: 1655. non jam de tutela cessante, verum de curatela intelligi debent) vel, ad dandas rationes curatelares. Actor est semper ipse orphanus, D. 12: 18. Judicatus ut contra tutores etc.

Quarto: ad sepositionem contractus in ætate illegitima per pupillum initi, durante eadem ætate agit tutor, postea vero, prout etiam ad sepositionem in ætate imperfecta initi, agit ipse orphanus, ex 21: 1802. etc.

Quinto: Ad sepositionem, vel successionali sepositorio contra factum et alienationes tutoris, agit ipse orphanus legitimæ vel perfectæ ætatis, ex 1655: 24. §. 2. 124: 1-mæ Dec. 11-ma Decemb. 1814. in causa Szücs, repositorio processui hic non est locus, quia I. non via facti est ingressus, nec expensas vel fructus refundit, tutor vel curator tenetur eo nomine, quem etiam I. Evictorem provocabit.

Sexto: Ad Invalidationem damnosæ Transactionis tutoreæ. 27. Mart. 1797. in causa Nagy.

CAPUT XI.

De Dominica Potestate.

§. 149. Quo rarius est hodie servitutis damnari, contractuales servi eo frequentiores sunt. §. 150. Relatio eorum ad dominum vel herum. §. 151. Differentia dominicæ et herilis potestatis §. 152. Colonis quibusdam jam ante Josephum liberæ migrationis, §. 153. Post mortem ejus omnes æquales redditi sunt, verum liberæ migrationis forma determinata est. §. 154. Lex et Urbarium de pœnis colono infligendis. §. 155. De aliis item causis coram Sede dominali movere solitis, §. 156. Jurisdictioneque ejus in nobiles et alios extraneos terras dominales colentes. §. 157. Obligatio et jus Dominorum erga Colonos. §. 158. Obligationes Colonorum, operis, §. 159. Pecuniis, §. 160. Rebus naturalibus explendæ. §. 161. Quædam Colonis favorabilia. §. 162. Processus quintuplicis ordinis.

§. 149.

Huic subsunt I) Servi. Necessarios seu legales, lex addicit servituti in tribus casibus: 1) Ob proditionem fraterni sangvinis. 2) Sæpe ob larvam. 3) Ob debitum, damnum, mulctam, si quis solvendo non sit. De his alias.

§. 150. Voluntarii et contractuales servi possunt usque tempus conventum retineri, repeti si fugiant, si inepti et negligentes sint, etiam ante illud expletum dimitti, Matth. 5: 2. debent uno mense ante finem anni renunciare ser-

vitium, 1552: 11. vel, uti in usu est. Ignobilis servus, medio cujus Dominus actum potentiarium patravit, juri statui debet eodem processu, quo Dominus convenitur, et homagium illius Dominus solvit. Nobilis vero servus, cum nonnisi in rebus officii, non item quoad personam subsit Domino seu potius hero, juri statui non potest, verum separatim ad idem forum, quo Dominus conventus est, citatur, et qui nobilem juri statui petit, in homagio illius convincitur. Testimonium servi vel coloni contra Dominum, si Dominus contra illud excipiat, vel etiam pro Domino in criminalibus, non acceptatur, in civilibus autem, si alii testes non possint haberi, acceptatur, nisi interessentia præsumi possit, v. gr. Colonorum in territorialibus 1729: 26. Potest Dominus servitorem suum rationes dare nolentem vel nequeuntem, etiam nobilem, arrestare, Matth. 5, 2. 1725: 65.

§. 151. Etiam hero ignobili tam servi nobiles quam ignobiles subsunt, verum tantum in re officii, (quo pertinet etiam honor hero debitus) nam prout in servos nobiles, ut supra insinuatum est, licet nobili, ita ignobili in servos licet ignobiles, non dominica, verum herilis tantum potestas competit.

§. 152. II.) Coloni, qui pro usu terræ dominalis censum, operas et naturalia præstant. Jam ante Josephum in multis Comitatibus, in quibus scilicet non perpetui subditi, verum ut 55. 1791. insinuat, liberæ migrationis coloni erant, incolæ Taxalistæ vocabantur, non Jobbadjones, licet omnia secundum urbarium præstiterint, atque meri censualistæ, qui ex contractu unice pe-

cuniam debebant, si privilegiata quædam oppida exceperis, rari fuerint. Propter illos liberæ migrationis colonos, si illi priorem Dominum deseruerint, non poterat famigeratus ille Repetitorius processus, penes triplicem admonitionem, ad triplicem pœnam ex 101: 1715. 60: 1723. moveri, verum tantum debiti, si non praestitis praestandis abiverint, 61: 1723.

§. 155. Hodie, pro more antiquo, coloni hucdum alibi Taxalistæ, alibi vero Jobbadjones vocantur, quo nomine, voce Hung. jobbada, jobbadja, (pars melior) illi tantum coloni olim insigniebantur, qui in suo genere præstantiores erant, et aliqua libertatis specie gaudentes, reliquis præficiebantur; postea ita vocati sunt omnes perpetui subditi, quibus per Art. 35. anni 1791. omnibus libera migratio, qua contra 27: 1547. et 27: 1556. privati erant, restituta, adeoque proprietate in personam sublata, etiam repetitorius processus jam alioquin inde ab urbariali, et uniformi colonorum regulatione, ex usu et memoria hominum deletus, ipso facto sublatus est, admissumque, ut, in sensu 61: 1723. de liberæ migrationis hominibus disponentis, praestitis praestandis, et depositis tam publicis, quam dominalibus obventionibus, significataque prævie circa festum S. Michaëlis abeundi voluntate, circa festum S. Gregorii Papae, impetratis V. Comitis testimonialibus abire possint, nec Dominus terrestris testimonium talibus denegare ullo sub prætextu audeat, meliorationes vero et superædificata, non computato materialium per eundem Dominum suppeditatorum pretio, per Judicem nobilium cum interventu Domini terrestralis conscientiose æsti-

manda vendere possint; venditione tamen non succedente, solo affixa auferri vel destrui vetita, Domino fundi maneant.

§. 154. Eadem lege statutum est, ut colonis extra Sedem dominalem, nullæ pœnæ arbitrariæ, nisi propter excessus urbariales ex præscripto urbarii, (v. gr. arrestum, labores, vel summum 12 baculi) ob alias vero causas semper in formali Sede dominali, cum cautelis legalibus, idest, in præsentia Judicis nobilium et Jurassoris celebranda, dictentur, ultra 24 baculos vero nec Sedes dominalis potest infligi curare, nisi jure gladii gaudeat. — Resolutiones Regiæ sensu 81: 1565. eo tendunt, ut in quantum per leges, et adversam partem licet, vel propter excessus civiles, corporali potius, quam pecuniaria pœna afficiantur coloni pauperiores.

§. 155. Causæ itaque civiles contra colonum sive per dominum terrestrem, sive per alios quoscunque movendæ, 5-tiæ 25, uti etiam urbariales, aut qualescunque jura dominalia tangentes mutuæ dominorum et colonorum prætensiones, (non item aliæ, v. gr. si Dominus debitor est Colonis) coram Sede dominali decurrunt, et inde ad Sedriam Comitatus appellantur 29: 1765. Criminales vero tantum ita decurrunt coram Sede dominali, si Dominium jus gladii habeat, 58: 1655. quæ causæ, uti etiam ad pœnam actus majoris potentiæ contra colonum suscitatæ, non ad Sedriam, verum directe ad Tabulam Regiam via Appellationis transmitti solent. Judices locorum privilegio ordinatum Magistratum non habentium, quin imo et Judices nobilium, ex conniventia tantum Domino-

rum, causas contra colonos suscitatas judicant, vel potius componunt.

§. 156. Contra nobiles, aliorum item colonos aut cives, fundos dominales præstationibus dominalibus nefors subjectos possidentes, D. p. 205. tunc tantum movetur coram Sede dominali, sensu 1638: 2. 1647: 22. 75: 1655. D. 16: p. 11. si processus immediate propter fundum præstationi obnoxium, vel ipsas præstationes solitas, sit, v. gr. ob nonam denegatam (si Dominus terrestris in usu nonam exigendi fuerit) aut ad exæstimationem ædificiorum, meliorationum, exstirpationum, vinearum etc. fundamento 1625: 58. 50: 5-tiæ, quibus exæstimatio vinearum, exstirpaturarum, fœnetorum, prævia citatione, semper ante festum Gregorii Papæ in præsentia Judicis nobilium et vicinorum peragenda ordinatur. Extraneis sive nobilibus, sive ignobilibus terras, licet censui obnoxias, citra viam juris, sub pœna violentiæ non possunt Domini terrestres adimere: vel via juris nonnisi ita, si solitas præstationes denegent, 48: 1655. aut terræ pro ipsis Dominis sint necessariæ. Propter terras vero censui non obnoxias, vel contra ignobilem foro nobilitari debet Dominus agere. 1647: 22. D. 16: p. 11.

§. 157. Coloni vel tractantur secundum contractus, vel privilegia usu roborata, vel secundum urbarium, quod per Mariam Theresiam extradiætaliter introductum, in Diætis subsequis provisorio modo stabilitum est. Secundum illud, Dominus obligatur integræ sessionis colono, (nisi res pecuaria plus desideret) unius jugeri fundum intravillanum, mediæ sessionis colono medium jugerum dare, et sic porro, si quid desit, in extra-

villano debet optimæ notæ terris eidem compensari. Appertinentiæ extravillanæ non sunt in omnibus Comitatibus æquales, verum alibi pauciora, alibi plura jugera, jam majora, jam minora, nonnunquam 1600 orgyas quadratas complectentia, faciunt Sessionem colonicalem. Per Colonos exstirpati agri et prata, ante exsolutionem, nec in constitutivam sessionem ingredi, idest, in appertinentias sessionales imputari possunt, nec census eorum antiquus elevari admittitur. Ast exstirpaturæ per colonos, post art. 21. 1807. sine consensu Domini factæ, vel faciendæ, gratis adimuntur colono, qui præterea puniri etiam potest. Ubi silvæ adsunt, debet Dominus ligna focalia colonis dare, ut etiam pro ædificiorum tectis (non item parietibus, nisi in locis uliginosis, eod. 1807.) imo alicubi etiam pro questu moderato, ubi coloni in usu fuerint, v. gr. pro instrumentis ligneis parandis et vendendis, saltem erga moderatum pretium Resol. R. Debet adhuc Dominus dare pascuum, cujus usus præhabitus non facile restringitur. In sessionalibus silvis, sicubi tales sint, gratis habent glandinationem, in aliis vero (exceptis prædialibus silvis) glandinationis præ extraneis præemtionem. Educillationem debet illis Dominus admittere, ubi promontoria adsunt, a festo S. Michaëlis usque S. Georgium; ubi vina non crescunt, a festo S. Michaëlis ad festum nativitatis Domini 56: 1550. si scilicet anno 1655. art. 51. in usu fuerint. Debet Dominus suos colonos contra injurias aliorum etiam processu defendere, pro illis (ut et servis ignobilibus) actoratum assumere. Pro his obligationibus habet Dominus operas et res venales subditorum præ extraneis, pro eodem pre-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

tio, et pro suis necessitatibus 1723: 75. 1550: 36. præmendi, illis ex nota et defectu succedendi, illos in delictis minoribus civilibus castigandi, colonorum absque culpa illius fugientium relictas res pro se apprehendendi ac pensa quædam, de quibus jam dicetur, exigendi jus.

§. 158. Colonus integræ sessionis debet, qualibet hebdomada, unius diei labores jugales, vel duorum dierum manuales pro qualibet jugali præstare. Tempore urgentiorum laborum possunt labores duplicari, ut vicissim sequente septimana prorsus nullus labor possit exigi. Inquilini, idest, sessionem non habentes, verum tantum domos, 18, Subinquilini domos non habentes vero 12 diebus laborant; quarta pars laborum colonicalium pro mensibus hibernis reservari debet. Quatuor coloni integras sessiones habentes, debent quadrijugam longam vecturam commodo tempore præstare per annum, ad locum, quo duabus diebus ordinario cursu pervenitur, sed illa nec ad alium annum relinqui, nec in pecunia exigi, et nonnisi, vel in itu, vel in reditu onerari potest. Si coloni jus lignationis habent, inquilini quidem ligna, quisque dimidiam orgyam cædere, sessionalistæ vel jugalistæ vero, quilibet integræ sessionis, unam orgyam intra idem Dominium invehere debent, aut pro hac vectura unum diem servire. Etiam ad venationem rapacium ferarum, glandibus et pulvere pyrio dominali providendi, exire debent coloni.

§. 159. Obligantur a qualibet domo vel sessione intravillana sive integra sive non, florenum solvere, Dominum, si is Magnas sit, ad Diætam euntem moderato auxilio juvare, si vero ad Diætam in persona non debet ire, pro ablegatis Co-

mitatensibus ad cassam Comitatus contribuere. Ab ollis crematoriis, si iis pro lucro utantur, 2 fl. solvere.

§. 160. Integræ sessionis Coloni singuli debent dare duos pullos gallinaceos, duos capones, 12 ova, mediam butyri, ubi scilicet pascua adsunt. Triginta integræ sessionis coloni simul sumti, unum vitulum, aut quilibet unum grossum, si scilicet Dominus pecuniam malit, vel non sint coloni numero 30. Pro nuptiis Domini vel Dominæ, vel si Dominus Sacerdos fiat, pro primitiis, æque pullos, capones, butyrum ut supra, omnes qui integram sessionem habent, dare debent, vel, si Dominus pecuniam malit, quilibet 48 xr. Tandem, præstare debent nonam omnium frugum, agnellorum, hædorum, apum. Excipiuntur: hortensia intravillana, prata, licet subarentur, agri in compensationem pratorum dati, qui optimæ notæ esse debent; porro: fructus arborum, in regula, quia si sessionales agri in pruneta vel pomaria formentur, a singulo jugero 5 grossi, pro extrasessionali vero 10 debent præstari, Resol. Urb. excipitur item secundus fructus ejusdem anni et agri. Si novem non sint, quilibet agnus 4, hædus 5, alvearia vero 6 xris redimuntur. Ex Vineis vel nona datur, vel jus montanum, idest, certa præstatio semper æqualis, quæ elevari non potest, nisi temporanea vel precaria, idest, a beneplacito dominali pendens fuisse probetur. A canabeto extravillano vel nona debet dari, vel ex canabi dominali sex libræ fili debent præparari, a qualibet integra sessione, in aliquibus locis dat quilibet unum saccum. De his omnibus vide ur-

barialem regulationem, quæ cuilibet Communitati extradata est, item Resolutiones urbariales.

§. 161. Notandum, quod duriori tractamento, quam est urbariale, Colonis se subjicere non liceat, etiamsi vellent: quod item contractus super exarendatione urbarialium præstationum præsente articulari testimonio debeant iniri; quod porro: non tantum contra oppressiones Dominorum terrestrium 1715: 101. 1723: 18. verum etiam contra oppressiones militiæ, debeat Comitatus Colonos protegere. Conniventes vero ad oppressiones militiæ Comitatenses officiales et judices locorum, in duplo damni colonis illati puniendi ordinantur 1729: 18.

§. 162. Processus ex hac materia enascuntur: Primo: contra Dominos terrestres Urbarium excedentes, aut sævientes, fundos citra viam juris adimentes, Colonos ob recursus punientes etc. movetur ex determinatione Comitatus per Fiscalem magistratualem coram Sedria. Actio fundatur in 101: 1715, 18: 1723. 35: 1729. Appellatur ad Curiam R. Dominus terrestris ad quarumvis illegalium extorsionum expensarumque litis refusionem, damnorum et injuriarum compensationem, et fundorum via facti occupatorum cum fructibus restitutionem adigitur. Verbera vero sine legitima causa, vel ultra mensuram inflicta, mulcta pecuniaria secundum Judicis arbitrium luit. Si vero ob excessus ejus colonus fugiat, in singuli coloni homagio convincitur. Si fugitivus colonus non redeat, vel se non insinuet, quod ex facultatibus ejus post detractas restantias contributionales manet, in publicum pagi alleviamen convertitur. Sic Decisio Curialis pag. 188. De ho-

norario Fisci tacet. Exemplo 21: 1607. desumi potest.

Secundus: contra Dominum terrestrem, qui colonum suum ex uno Comitatu in alium absque consensu prioris Comitatus transduxerit. Æque actoratu Fisci magistratualis in homagio coloni convincitur Dominus, nisi alterum oneri publico ferendo parem substituerit. Præcedere debet admonitio. Actio fundatur in 62: 1725. appellatur ex 28: 1729. extra Dominium.

Tertius est contra illum, qui fugitivum colonum absque testimonialibus receperit, convincitur in 100 florenis, refusione quorumvis debitorum coloni tam publicorum, quam privatorum, (eo quod ipsum colonnm debitorem restituere non debeat) expensarumque in litem erogandarum. — Actio fnndatur in 101: 1715. 60, 61: 1725. 55: 1791. Movetur Processus vel per Fiscalem magistratualem, si recipiens publico præjudicaverit, vel per privatum, cui fuga coloni nocuit. — Privatus movet coram Judlium, quia imitatur naturam processus, qui antea vigebat contra detentores fugitivorum colonorum. — Media pars birsagii cedit Judici, alia Actori, damna et expensæ vero soli Actori, 1556: 51. 1723: 60. Sunt qui ex 101: 1715. 60: 1725. doceant, Colonum talem sub pœna, 1-mo, 100, 2-do 200 florenorum, 3-tio amissionis bonorum eorum, in quibus Colonus detinetur, restitui debere; nos, non tantum pœnas illas detentoribus dictatas, una cum perpetuo colonicatu tacite sublatas esse, verum etiam easdem pœnas, contra Dominum, colonum proprium illegaliter detinentem, 50: 1556. dicta-

tas, exolevisse, 55-to vero 1791, Receptoribus tantum pœnam statutam esse docemus.

Quartus est: ad repetitionem fugitivorum servorum et ancillarum, si ante conventum tempus fugiant, vel se obligarunt ad servitium pro determinata mercede, et tamen alteri se addixerunt. Actio fundatur in 101: 1715. Movetur coram Judlium. Admonitio debet præcedere æque medio Judlium et Jurassoris, vel Jurati Tabulæ Regiæ cum inquisitionis collateralis communicatione, ex qua admonito jus repetentis innotescat. Pœna est 100 fl. quæ æque inter Actorem et Judicem dividitur, et refusio expensarum soli Actori cedentium. Appellata ad Sedriam intra Dominium, inde nuspiam admittitur, quod quidem 29: 1729. unice de repetitorio colonorum processu, qui, ut diximus, cessat, disponit. (In nonnullis Comitatibus vi Statuti, servi ignobiles fugientes, vel assumtum servitium adire recusantes, aut ad alium Dominum se recipientes, 50 et amplius baculis, Nobiles vero totidem dierum arresto puniuntur, Dominus judiciariæ repetitioni non obtemperans, actione fiscali convenitur). Si fugitivi servi et ancillæ, extra bona Domini illos suscipientis, in loco publico deprehendantur, etiam propria auctoritate retrahi per priorem possunt. Hoc antea etiam de colonis 51: 1556. 60: 1723, verum erat.

Quintus processus urbarialis super prætensionibus Dominorum et colonorum mutuis; movetur coram Sede dominali, Actore Fisco dominali. Appellatur ad Sedriam, inde mittitur ad Consil. Locumtenentiale, inde ad Regem; si de privilegio controvertatur, vel condescendere debet judicatus Sedis dominalis, D. 17. p. 15. vel processus

fine discussionis privilegiorum per communitatem productorum, transmittitur ex Cancellaria Hungarica ad Curiam Regiam, 1715: 28. §. 1-mo. Colonis Fiscus publicus adsistit, nisi potentior aliqua communitas alium defensorem sibi adsciverit. Dominis terrestribus in celebranda Sede dominali urbariali moras nectentibus, invalescit modus ille, ut Dominus ad Sedriam urbarialem 12: 1792. Actore Fisco Mag. citetur, et ibi mutuæ Dominorum et Colonorum prætensiones pertractentur; an ita plus proficietur, quam vel visitationibus urbarialibus, vel postea Sedibus dominalibus profectum est, dies docebit.

CAPUT XII.

De Fisco Regio.

§. 163. Fiscus Regius bona publica et Familiæ Regiæ procurat. §. 164. Eoque fine privilegiis quibusdam juris gaudet, §. 165. In aliis etiam nonnullis causis facit se Actorem. §. 166. Obligationes ejus. §. 167. Commissio neoacquistica, quando orta, restricta et cassata. §. 168. Fiscus magistratualis.

§. 163.

Fiscus Regius, seu Causarum Regalium Director, et sacræ Regni Hungariæ Coronæ Fiscalis Procurator, causas regias vel publicas ratione bonorum coronalium, fiscalium, fundationalium, et Familiæ Regiæ patrimonialium emergentes, vel secus etiam Ærarium Regium respicientes, suo nomine,

qua talis procurat. Bona coronalia sunt: vigore Ulad. 7: 5. liberæ, regiæque Civitates ibidem recensitæ, Jaziges, et Cumani, Civitates montanæ; Dominia: Vetero-Buda, Visegrád, Diósgyőr, Zólyom, Huszt, cum fodinis salium, et vigore 7: 1791. Districtus Tibiscanus, in Comitatu Bácsiensi, in locum dominii Munkács assignatus. Recensita hactenus bona sunt absque consensu Regni inalienabilia. Bona fiscalia sunt, quæ ex nota vel defectu ad Fiscum devolvuntur, et collationi Regiæ subsunt. Politico fundationalia, ad fundum Religionis et Studiorum, ex bonis sublatorum Jesuitarum et Paulinorum conversa. Patrimonialia familiæ Regiæ bona sunt v. gr. Holics et Sascsin etc.

§. 164. Ratione bonorum, quæ ante 1715. prætextu notæ sunt confiscata, juri stare ordinaria juris via non tenetur, sed prætendens ad viam instantiæ relegatur. — 1687: 7. 1715: 9. Eadem obtinet etiam, licet non Fiscus, verum aliquis Privatus qui talia confiscata bona impetravit, eadem modo teneat, D. 25: 59. 7: 86. et 18. Sept. 1799. in causa Sóc. Sententiam capitalem, idest, amissionem bonorum et emendam capitis, Fiscus qua talis non incurrit 59: 2-dæ; sed alia birsagia Alb. 24. v. gr. pœnam violentiæ vel indebitæ Actionis, temerariæ Appellatæ incurrere potest. Si quis eum, vel Vice-Directorem in officio rite procedentes verberet, actum majoris potentiæ committit, 10: 1723. Jurat pro Principe in processu, prout pro Primate Regni qua tali officialis ejus, 2-dæ 59. 1550: 64. Procuratores in causis Fisci constituit. Sedet ad Tabulam Regiam, verum tempore revisionis causarum suarum abesse debet, 19: 1723, nec instrumenta literalia litigantium manibus tractare

ipsi licet, Alb. 25. In recentibus et manifestis defectibus via facti succedit, secus via juris debet agere.

§. 165. Oppugnat Donationes palatinales vitiosas, bona coronalia, et eorum appertinentias Ulad. 7: 3. Dec. 24: p. 59. nec non publica delicta quædam et civilia et criminalia vindicat, agit contra usurarios ad amissionem summæ capitalis; contra Civitates in casibus supra dictis ad pœnam 2000 fl. Contra privilegio abutentes 2-dæ 12. 1715: 48. aut jura regalia citra privilegium exercentes; contra Notorios, inducias, 1556: 52. et, prout in Diæta novissima observatum est, etiam salvum conductum violantes (licet et læsus agere possit) 10: 1725. porro: lusum illicitum, in quo scilicet totum sorti committitur, ludentes, aut id fieri in domibus suis admittentes, ad pœnam 100 aureorum, inter fundum jurisdictionis judiciariæ publicum, et denunciantem dividendorum, 1791: 31. Pecunias publicas fundationales incaute elocantes, D. 5: 55. porro: contra malæ fidei impetratores, 1622: 46. urburam metalli fodinarum denegantes, 19: 1574. etc.

§. 166. Ceterum eodem jure gubernat bona sua, quo alii regnicolæ, et iisdem juribus et obligationibus utitur, quibus alii Nobiles, hinc tenetur se determinationibus Comitatus conformare, 1723: 65. §. 7. illegitime occupata bona cum literalibus restituere, 58, 39: 1681. coram Judice competente active et passive juri stare, 51: 1723. 1741: 23. pro Jobbadjonibus suis, qua Dominus terrestris impendere, idest, satisfactionem dare, ordinem juris mandatis non impedire, neminem, seu in persona, seu in rebus, præter præscriptum juris or-

dinem turbare, vel ad pandenda jura sua stringere (uti in Commissionibus neoacquisiticis fecerat) verum proprio suo marte, vel ex nota, vel ex defectu jura sua exquirere, et probanda probare, Dec. 6: pag. 56. quia, 59: 2-dæ Fiscum, literalia instrumenta, ratione quorumcunque bonorum ad jurisdictionem sacræ Coronæ Regni devolutorum producere non teneri, disponens, de illo casu intelligendus, dum in possessorio est, verum, dum petitorio, idest, extra possessorium agit, jus suum probare debet.

§. 167. Commissio neoacquistica seculo 17. Viennæ ex extraneis, anno vero 1715. ex Hungaris, Posonii, Cassoviæ, Zagrabiæ eo fine ordinata erat, ut regnicolæ jura sua, ad bona e manibus Turcarum revindicata, coram illa edoceant, eaque, deposita titulo juris armorum certa taxa, rehabere vel retinere possint, quæ taxa 10-mam circiter valoris bonorum partem facere dicitur. Hæc Commissio non pertinebat ad bona, ob notam vel defectum confiscata. Qui quinquaginta annorum possessorium edocebant, absolvebantur a jurium productione vi resolutionis Regiæ. Suffecit etiam nova Donatio cum præhabito ante illam possessorio, Dec. in causa Szilasiana 1806. Anno 1725: 19. cassatis Commissionibus istis, neoacquistici processus ad Tabulam Regiam sunt translati, in forma commissionis et delegati Judicii ibidem discutiendi, et ad suam Majestatem (non ad Tabulam Septemviralem) via provocationis submittendi: anno 1741. Art. 21. omnes Processus sub nomine Fisci Regii quoad bona neoacquisita suscitati, et adhuc tunc pendentes cassati, pro præterito, via Novi cum gratia, etiam pro Fisco,

D. 29: 60. in salvo relicta, pro futuro vero, tam Privati quam Fiscus ad ordinariam viam juris relegati sunt, ut Fiscus ex nota vel defectu agat.

§. 168. In negotiis ad sphæram Comitatus et aliarum Jurisdictionum pertinentibus, publicumque tangentibus, Fiscales Magistratuales supplent Fiscum Regium, qui absque determinatione, publica, in regula, nec fiscales Actiones erigunt, nec Actoratum pro illis, qui Actoratu personali destituti sunt, assumunt, nec pauperibus Actoratum personalem habentibus, prout nec Colonis per Fiscum dominalem, coram Sede dominali processu urbariali conventis assistunt. Nec honoraria in causis ex officio promotis accipiunt, D. 22. Sept. 1804. in causa Fisci Mag. Civit. Leutsoviensis. Nec permittit Fiscus D. ut Fiscus Mag. suo, vel Colonorum nomine levet processum urb. etiam si Coloni essent, qui se gravari quererentur. Quod quidem nihil interest, cum reconventioni locus detur.

LIBER II.

De Rebus.

CAPUT I.

De eo, quid positivi circa modos acquirendi naturales apud nos obtineat.

§. 169. Venatio Dominis in proprio, nonnisi naturali ratione restricta. §. 170. Secus ac Nobilibus in alieno, §. 171. Aut Officialibus militaribus. §. 172. Colonis vero plane interdicta. §. 173. Processus ex materia Venationis. §. 174. Inventio rei nullius, jacentis, derelictæ, deperditæ. §. 175. De sale et aliis fossilibus. §. 176. Accessiones apud nos sunt fere ex jure naturali metiendæ. §. 177. Meliorationes tamen non semper cum fundo vadunt. §. 178. Traditionis species, præter et ultra eas autem §. 179. Alii modi acquirendi, vel mixti, ut: testamentum, et successio ab intestato; vel mere civiles, ut: Donatio publica et Præscriptio.

§. 169.

Sunt illi: Occupatio, Accessio et Traditio. Species occupationis apud nos usitatæ sunt: Venatio et Inventio.

Domino terrestri, etiam si is ignobilis sit, exceptis diebus Dominicis, et festis S. Lad. L. I.

Cap. 12. Ulad. D. 5: 18. in bonis suis licita est Venatio, tantummodo per id tertio, v. gr. in segetibus, a satione usque finem messis, in vineis a 1. Febr. usque finem vindemiæ, in pratis a 24. Apr. usque collectionem fœni vel cordi peractam damnum non inferatur, 1802. 24. Hinc canes Anglicos Sincoran dictos ne intertenere quidem licet, 1729: 22.

§. 170. Omnibus Nobilibus, et prærogativa nobilitari gaudentibus, etiam in alieno, absque turba hominum, assumto vel misso uno alterove famulo, pro necessitatibus propriis, licita est venatio, exceptis perdicibus et phasianis, in eo terreno, in quo per Dominum aluntur. Exceptis præterea: fœtificationum temporibus respectivis, v. gr. cervum masculum a die 15. Sept. usque 1. Junii: cervam famellam a 1-ma Januarii usque 1. Septembris, damas femellas a 1. Martii ad medium Maji; lepores a 1. Febr. usque finem messis in alieno non licet trajicere vel persequi. Excepta denique media parte totius territorii illa, quam Dominus terrestris vel Compossessoratus pro necessitate propria exscindi fecerit medio Exmissorum ex Comitatu. Licet tamen prohibitam plagam fine eo ingredi, ut feram in non prohibita vulneratam, et eo, vel ad sata, prata, vineas, fugientem ibi persequatur quis et tollat, aut canes, feram eo persequentes revocet, quid quod licet iterfacienti Nobili feram de via trajectam auferre ex parte prohibita 22: 1729. 24: 1802. non itaque ex vivario, non item tempore fœtificationis respectivæ, et supra enarratæ, quia non potest plus licere in parte prohibita, quam in non prohibita.

§. 171. Militares officiales, incipiendo a vexillifero, possunt in loco sui quarterii recreationis causa, adeoque tantum in persona, venari, si Dominus terrestris ibi non habitet, verum nonnisi in campis et dumetis; arcentur enim a silvis majoribus, atque ultra restrictiones circa nobiles superius attactas, arcentur a venatione aprorum a festo purificationis usque 16. Octobris. Ita Regulamentum militare de anno 1751.

§. 172. Ignobiles prohibentur venari, si nefors incolas liberorum locorum, nulli Domino terrestri subjacentium, quoad suum territorium exceperis. Colonis ne quidem canes sagaces et vertagos intertenere licet sub pœna 5 fl. per Dominum terrestrem desumenda, qui si neglexerit desumere, et Colonos suos quacunque arte venari, et præcipue perdices, phasianos, et urogallos 1802: 24, cæsareosque aucupari permiserit, in ipso desumit V. Comes, Ulad. 5: 18. 1729: 22. Rusticus feram in damno occisam Domino restituere, Dominus autem damna per feras illata, sub pœna violentiæ 1802: 24. refundere debet.

§. 173. Processus ex venatione sunt:

Primus, ad pœnam violentiæ contra illum, qui Nobilem licite venantem impedit, quia turbat illum in exercitio juris sui.

Secundus, ad pœnam violentiæ contra illum, qui in silva prohibita, vel in libera quidem, verum tempore fœtificationis respectivæ venatur, feram trajicit vel persequitur. Actio fundatur in 24: 1802. Qui vero venationis exercendæ vel turbandæ causa sclopum in aliquem dirigit, fiscali Actioni est obnoxius. Rapacium ferarum, et noxiarum segetibus et vineis avium exstirpatio, pro-

ut etiam quaruncunque ferarum multiplicationem impediendi obligatio Comitatui incumbit, 1802: 24.

§. 174. Res nullius, v. gr. derelicta, illius est, qui primo apprehendit. Res jacens, idest, quam occupandi jus alteri jam competit, v. gr. piscis, illius est, cujus est fluvius. Piscari in alieno est violentia. Res pro derelicta habita, v. gr. thesaurus inventus, inter inventorem et Dominum fundi atque Fiscum dividitur. Camera judicabit ex quanta summa capiat Fiscus suam ratam. Res deperditas si inventor supprimat, publicæ criminali Actioni obnoxius fit, si vero Dominus nec post publicationem inveniatur, vel præscriptionis tempus impleatur, inventori cedunt: sic et pecora vagabunda, quorum Dominus nec post currentationem reperitur, cedunt Dominis terrestribus. Verum in plerisque Comitatibus Domini terrestres pro domesticis Comitatus necessitatibus transtulerunt.

§. 175. Res latens, præcipue sal, ubicunque inveniatur est Coronæ. De venditoribus salis publicis et privatis quod scilicet illi absque honorarii acceptione, secundum prioritatem insinuationis, hi vero, sub pœna confiscationis et 500 fl. cum lucro tantum duorum vel trium cruciferorum (a centenario computandorum) debeant salem vendere, vid. 5, 6: 1729. Reliquæ fodinæ, auri scilicet, argenti, ferri, cupri, et aliæ Lud. 15. Ulad 1: 50: si in bonis privatorum inveniantur, possunt per illos erga urburam excoli, vel bona per Fiscum in æquivalens 13: 1351. 49: 1486. cambium sumi. Nec desunt qui dubitent, an vel semimetalla et lapides pretiosi ab urbura eximi debeant, prout alu-

men, sulphur, et lapides non pretiosi eximuntur. Investitura mettallifodinalis a Rege debet peti.

§. 176. De Accessione (si jus Domini prioris in fluvium alveum suum repetente mutantem 1-mæ 87. exceperis) vix aliud leges nostræ statuerunt, quam quod ex ipsa recta ratione intelligitur; quod scilicet malæ fidei hominis nulla ratio habeatur 4: 1542. secus vero, accessorium sive illud naturale, sive industriale, sive mixtum sit, sequatur suum principale, si id absque læsione bonæ fidei hominis fieri possit, cui tamen, si petitorio agat, et a culpa non procul absit, jus externum non semper adsistit; si absit, alter ejus damno locupletari non potest, Prol. 5. eo quod in justo errore versetur. Ast si in possessorio est, etiam si rem alienam restituere debeat, omnes tamen fructus rite ac legaliter percepit, nec illos restituere tenetur.

§. 177. Quæ habeantur autem pro accessoriis, non semper plani juris est; v. gr. Instrumentum fundi aliquando est hujus accessorium, aliquando non est. Ædificia in terra civili per quemcunque posita semper sunt accessoria fundi, in regula etiam ædificia per Colonos, non item per Nobiles et libertinos in terra dominali posita, prout nec per ipsos Dominos terrestres exstructa semper sequuntur fundum, verum per successores defuncti a sexu femineo vel conjuge redimi debent. Quæ omnia suis locis exponentur.

§. 178. Traditio per priorem Dominum facta, hodie valde diversis contractibus potest fieri, de quibus suis locis dicetur. In rebus incorporalibus vocatur quasi traditio; v. gr. jus glandinandi, piscandi, quæ vere et corporaliter tradi

non possunt. Si res ipsa tradatur, realis, si signum rei, symbolica, v. gr. clavis cellarii pro vinis. Si quis rei suæ apud alium existentis proprietatem in eundem transferat, vel ut vulgo dicitur, res præsens detur de manu ad manum, traditio brevi manu, e longinquo autem traditio longa manu vocatur, v. gr. dum merces periculo emtoris viæ committuntur. D. 52: 159.

§. 179. Recensiti hactenus rerum acquirendarum modi, sunt ex naturalibus et civilibus acquirendi modis mixti; illis accenseri debet Testamentum, velut, quoad substantiam ut mihi videtur, juris naturalis, quoad formam juris civilis, et successio ab intestato, in præsumto amore fundata, et per jus nostrum etiam, illis, quos defunctus maxime amasse præsumitur, pro gradu amoris præsumti attributa. Mere civiles acquirendi modi vero apud nos sunt: Donatio publica, et Præscriptio.

CAPUT II.

De Donatione.

§. 180. Donatio publica, ejus Clausulæ, Tituli et Statutio, in genere. §. 181. Impetratio titulo Defectus, §. 182. Titulo Notæ, §. 183. Titulo Juris Regii generalis, clari, vel latentis, adeoque actualis, simpliciter vel accessorie. §. 184. Jus armorum tam parum est titulus devolutionis bonorum et impetrationis, §. 185. Quam incapacitas possessorii, qua nefors possidens laborat. §. 186. Pœna Jus Regium latens impetratum non probantium. §. 187. Impetratio titulo possessorii antiqui vel actualis, seu nova

Donatio. §. 188. Ruente jure regio speciali, titulis Defectus, Notæ vel Consensus Regii collato, potest Donatarius Juri Regio generali illis adnexo inhærere. §. 189. Sed ruente ob non edoctum possessorium nova Donatione, velut jus regium generale conferre intendente, ruit jus regium adnexum.

§. 180.

Donatio publica est collatio juris possessionarii, a legitimo Principe vel Palatino, privilegialiter et jure perennali Hungaro 19: 1741. facta. Requisita in genere sunt illa, quæ aliorum privilegiorum. In specie vero:

I.) Clausulæ usitatæ, idest, lege, consvetudine, et de stylo receptæ, v. gr. 1) Salvificatoria hæc: salvo jure alieno 2-dæ 9. etiamsi omittetur, naturaliter inesse censetur. 2) Præmissis ut præfertur stantibus, seque habentibus, idest, si expositio donationem petentis vera sit; v. gr. in nova donatione. 3) Si ad aliquam Arcem nostram vel Ecclesiam non pertineat. Hæc quoque naturaliter inesse censetur. 4) Haeredibus et Posteritatibus. Haeredibus et posteritatibus masculini sexus, vel utriusque sexus universis, de cujus sensu infra videbimus. 5) Haeredibus, Successoribus, Legatariis, Cessionariis. Cujus clausulæ ista vis est, quod etiam absque consensu R. possint talia bona cuilibet Nobili dari; quia in hac ipsa Donatione consensum suum Princeps prævie dedit, Cessionariusque ita considerabitur qua Donatarius. Item quod talia bona, licet haeredibus et posteritatibus tantum collata, u-

trumque sexum sequantur apud familiam impetratoris; quia, si voluit Princeps, ut etiam a sangvine extraneo possint dari, non censetur feminas ejusdem donatariæ familiæ successione bonorum excludere voluisse. D. 8. p. 56. 6) Maribus, iisque deficientibus, feminis, post defectum masculorum transibit bonum ad proximam ab ultimo deficiente feminam, ea deficiente vero, ordine retrogrado ad reliquas; si autem ulterior haec clausula adjecta sit: ad summam talem: bona sexui feminino aufert Fiscus post defectum masculorum, et nonnisi inscriptam donationi summam illi numerat, D. 11. p. 57. Observandum adhuc, clausulas insolitas, licet Donationi inserantur, illam non vitiare, verum pro non adjectis haberi debere, præcipue quod ad Donationes usuroboratas 122: 1647. D. 8. p. 62. attinet.

II) Titulus Donationis, idest, via ac modus, quo bona donata ad Fiscum devoluta ac collata sunt, clare debet in Donatione exprimi, ut si quis ex possessorio contradixerit, Donatarius titulum probare, Contradictor, extra possessorium existens, illum evertere, ac jus suum edocere valeat. Ordinarii bonorum ad Fiscum devolutionis, adeoque et impetrationis modi, duo tantum sunt, defectus scilicet et nota, imo cum omnis Donatio jus regium ex illis enatum conferre intendat, juris regii titulus sufficeret; quod cum vel speciale vel generale, illud vel actuale vel eventuale, istud autem semper quidem actuale vel absolutum, tamen vel conditionatum sit, adeoque diversis respectibus sumatur, ad illos proximius designandos, invaluerunt tituli 5. utpote: Defectus, Notæ infidelitatis (sub

qua et crimen læsæ Majestatis comprehenditur) Juris porro Regii, Novæ item Donationis, et denique Consensus Regii translationi bonorum superinducendi. Insertio tituli ad formam, validitas vero ejus ad substantiam Donationis pertinet.

III) Donatio solenni Impetratoris in bona introductione seu Statutione roborari debet, ut is, cujus interest, contradicere possit.

§. 181. Primus titulus impetrationis est ex defectu, qui potest extendi ad omnia per deficientem possessa bona, etiamsi non omnia specificentur in Donatione, D. 21. p. 58. huc pertinet etiam titulus exspectativæ gratiæ, in casum imminentis specialis alicujus defectus, 1609: 75: §. 15. cujus exempla multa occurrunt, v. gr. 9: 1655. Si bona solum sexum masculinum concernebant, licet filias deficiens relinquat, tamen per defectum seminis solet impetratio fieri. Si vero utrumque sexum concernant, per defectum seminis utriusque sexus 1-mæ 22. Defectus est antiquus, si a defectu 52 anni elapsi sunt, secus recens. Imo, licet a defectu nondum sunt 52 anni elapsi; si tamen amissi per deficientem, possessorii tempus 52 annos excedat, eadem est ratio habenda, quæ antiqui defectus. Qui ex defectu mortui possessoris impetrat, licet illum non probet, eo quod prætenso deficienti, collaterales, vel sexus femineus debeat succedere, tamen non punitur, 1-mæ 26. An ex defectu tertii impetrans puniri debeat? tacent leges.

§. 182. Secundus impetrationis modus est titulo notæ infidelitatis. — Nota, æque uti defectus est vel antiqua, vel recens. Qui ex

nota possessoris] impetrat, et illam non probat, et tamen pertinaciter litigat, puniebatur in perennali æstimatione bonorum, 1-mæ 25. §. 1. jam pœna talionis aut arbitraria, 7: 1715. An ex nota tertii, vel ex nota antenati hodiernorum possessorum impetrans, et notam ejus non probans, puniri debeat? de eo tacent leges. Donationes Regum Ferdinandi I-mi et Joannis ex nota mutuo factæ, etiamsi sententia octavali stabilitæ nihil valent 20: 1552. Decisio 5. p. 61. idem valet de adhæsione Bethleniana 59: 1622.

§. 183. Tertius titulus impetrationis est ex Jure Regio 1-mæ 24, 25. Jus Regium est Jurisdictio sacræ Regni Coronæ in bonis ad eam quomodocunque devolutis existens. Si bona et jure et facto devoluta sint ad Fiscum, vocatur jus regium clarum. Si vero necdum facto, sed tantum jure sint ad Fiscum devoluta, idest, non sunt in manibus vel sub Actione Fisci, vocatur jus regium latens. Donatio titulo juris regii emanare solet cum hac clausula speciali: Totum et omne Jus nostrum Regium conferimus, damus etc. Et quidem vel simpliciter tantum datur clarum, vel latens Jus Regium, vel vero latens alterutri ex reliquis quatuor titulis velut principali annectitur. Licet clarum sit jus regium, tamen, si est antiqua Fiscalitas, idest 52 annos excessit, sive speciali titulo devolutionis, notæ videlicet vel defectus, sive generali juris regii sit collatio, idem est, utrobique juris proba præstanda erit, ut dicetur suo loco. Si vero titulus devolutionis nesciatur, nonnisi juris regii titulus adhiberi debet et potest, qui tam notam quam defectum in se continet, et quidem cujuscunque

hominis generaliter, secus ac nota, defectus et consensus, quibus speciale jus regium datur, quod ex determinatæ personæ nota vel defectu enatum est, vel (relate scilicet ad consensum regium) aliquando enascetur. Formula in quibusdam antiquis Donationibus occurrens: damus, cum, vel prout ad collationem nostram pertinet, nihil aliud, quam jus regium designat.

§. 184. Etiam bona, extraordinariis modis, v. gr. ut suis locis dicetur, ex causa perjurii contra Fiscum, vel per hominem Regium de Statutione falsum referentem, commissi ad Fiscum devoluta, aut per illum jure armorum apprehensa, unice titulo juris R. possunt et debent valide impetrari. Nominatim jus armorum non potest esse titulus impetrationis bonorum, quia non est modus devolutionis ad Fiscum, verum tantum apprehensionis, ex eo enim, nonnisi jus expensas belli repetendi enascitur, (et ideo inseritur in Donationem super quibusdam bonis) quas si refundat adveniens et jus suum edocens antiquus Donatarius, jure regio ruente, bona vero Domino restitui debebunt 1715: 10. §. 9. Dec. 1. pag. 44. id quod etiam clausula salvo jure alieno indigitat, quæ illis Donationibus semper inseritur.

§. 185. Jus itaque armorum, qua modus devolutionis et impetrationis bonorum, simile est Juri R. ex incapacitate possessorii per Curiam derivato, atque Novo-Donatario titulum impetrationis non probante, adeoque licet possessorii incapacem Partem I. pro natura sui Instituti proba non gravante, Fisco (licet D. 4: 25, ante sententiam) se ingerenti D. 5: p. 25. adjudicato, ast D. 40: p. 75. cassato, nec pro titulo Impetrationis admisso.

§. 186. Si jus regium latens simpliciter impetretur et non probetur, imo Contradictor in pacifico possessorio existens jus suum sufficienter probet, Impetrator convincitur in perennali æstimatione bonorum eorundem 1-mæ 25. Si vero possessor jus suum non edoceat, absolvitur quidem, sed nec Impetrator punitur, quia tantum tunc punitur hac pœna, si alteri firmo jure possidenti insidietur, atqui hoc non scitur, quamdiu non probatur D. 8. p. 68. si vero annexive impetratum jus regium non probetur, non currit hæc pœna, nisi impetrator ampliori processu pertinaciter et temere egerit, idest, appellata, vel novo utatur, et nullibi triumphet.

§ 187. Quartus modus Impetrationis est titulo novæ D. seu possessorii, quæ donatio cum hac consveta speciali clausula solet emanare: In quorum (idest bonorum) pacifico possessorio majores suos perstitisse, seque persistere asserit etiam de præsenti, quamvis occurrant antiquiores, etiam absque illa 1-mæ 38. Pacificum vero possessorium, seu dominium Verbőczio explicante, non illud est quod firmo jure proprietatis tenebatur, verum tantum, quod in dubio firmo jure tentum esse præsumitur, eo quod v. gr. non probetur per adversarium possessorium violenter esse inchoatum. 1-mæ 57: 9, 10. Princeps novas donationes illis, qui literas suas deperditas esse, item possessorium longævum et pacificum probaverint, tenetur conferre Ulad. 1: 78. et quidem in sensu legum, et absque consensu et influxu Cameræ 19: 741. Nova donatio etiam super talibus bonis potest impetrari, quæ quis actu non possidet, verum antenati possederunt, quia

1-mæ 37. §. 9. disjunctive dicit, ut impetrator vel antenatorum, vel suum possessorium doceat, et edocto antenatorum possessorio, contradictores ad dandam contradictionis rationem adstringuntur, D. 16: p. 70. 10: p. 68. 42: p. 76.

§. 188. Si principalis titulus impetrationis, v. gr. defectus non probetur, vel probetur quidem, sed possessorium deficientis non doceatur per impetratorem, vel probetur quidem tam defectus, quam possessorium, verum jus deficientis evertatur per Contradictorem, tunc ruente hoc titulo principali, seu jure regio speciali, potest Donatarius annexo titulo generalis juris regii inhærere, et si probaverit illud tempore impetratæ per ipsum Donationis in bonis aliunde latuisse, triumphabit. Hoc idem sentiendum de reliquis titulis, v. gr. ubi impetratio non ex nota possessoris (nam tunc impetrator favorem non meretur) verum ex nota tertii facta est, et nota aut possessorium notorii non probetur per impetratorem, aut jus notorii evertatur per contradictorem, D. 54. p. 74. vel, impetratione titulo consensus facta, fassionis invalidatio metuatur, simulque infirmitas juris transferentis subversetur, aut, jus ejus non doceat impetrans extra possessorium existens, adeoque jus R. eventuale speciale ruat, potest generali actuali juri regio inhærere, 1-mæ 24, 65. D. 14. p. 69. Idem facere potest Fassionarius, cum (ut D. 50. p. 75. dicit) jus R. consensui adnexum latius patet, quam Fassio, idest, ultra bona emta extensum est.

§. 189. Quid quod etiam in ipsa nova donatione, licet titulus novæ donationis ob non edoctum possessorium, adeoque, etiam jus regium

per novam donationem sub conditione pacifici sive firmo, sive infirmo jure exerciti possessorii datum, ruat: tamen, nisi bonum donatum fuerit coronale, vel Ecclesiæ, aut violenter per donatarium occupatum 1-mæ 57. vel vero, ipsa donatio, per Principem, v. gr. propter falsam expositionem revocetur 2-dæ 12. Juri R. absoluto absque conditione possessorii accessorie collato, putant aliqui inhærere posse donatarium. Quamvis Tab. Septemv. Pl. Tab. pag. 68. D. 10. (ultimis verbis) contrarium supponere videatur, etiam præscindendo a revocatione Principis, de qua principaliter agebatur: nec non, utraque Tabula pag. 25. Dec. 5. D. 16. p. 70. si quidem per verba: jus regium donatario collatum, explicitum, adnexum, ut ego puto, et non implicitum jus R. intelligendum sit. Verbŏczi certe, juri R. novæ donationi adnexo, non adtribuit alium effectum, quam ipsi novæ donationi absque jure R. 57: 1-mæ, secus ac circa notam et defectum 24, 26: 1-mæ, circa consensum 65: 1-mæ, ubi per consensum regium distinctum jus dari supponit a jure regio. Idem prodit ex D. 55. p. 74. et 4. p. 25. quibus ad possessa restricta est nova donatio, quamvis, ut vulgo fit, cum jure regio data. Ob irrealitatem expositionis, novam donationem per Principem revocari posse asserit D. 10. p. 68. (licet Tabula R. id absque processu ad cassationem privilegii moto jure fieri potuisse negaverit) atqui, si ruente possessorio, juri R. inhærere posset donatarius non posset Princeps revocare; quia jam occasione dati privilegii supponere potuit, possibile fore, ut non probetur possessorium, et tamen adnexuit jus R. ergo non illa intentione adnectitur, ut illi

inhæreat, quia potest revocari; ergo, ruente primo titulo, ruit jus regium, velut illius interpretatorium, et ab illo non distinctum; illo vero stante superfluum evadit, l-mæ 57: 8. ut adeo, qui ultra possessorium juris quoque probam a novo-donatario exigunt, latensque Fisci jus accessorie conferri debuisse censent, novam donationem e serie donationum expungant.

§. 190. Respectu Fisci nova Donatio est acquisitio juris regii latentis, §. 191. Sed contra extraneum firmo jure utentem, tam parum valet, quam alia quæcunque collatio. §. 192. Hinc, nec contra novam Donationem possessoris antiquiorem valet, in regula. §. 193. Titulo violenter inchoati possessorii impetrata vero, plane nihil. §. 194. Respectu fratrum divisorum et indivisorum non est acquisitio privativa impetrantis; verum confirmatio communis prioris juris licet infirmi. — §. 195. Etiamsi jus regium accessorie collatum latere probetur. §. 196. Eadem est ratio novæ Donationis quoad sexum et sexum. §. 197. Illi enim sexui prodest jus regium annexive impetratum, cui jus regium nova Donatione collatum prodesset, si titulus ejus, idest, possessorium staret. §. 198. Quando punitur, et qua pœna Novo-Donatarius.

§. 190.

Nova Donatio respectu Fisci est acquisitio, et prima collatio, nec est confirmatio, quia fieri potest, quod antea nullum jus habuit Impetrator, ergo nihil adsit quod confirmari posset, ergo licet antea Fiscus potuisset auferre ob latens jus regium, jam ut primum novam do-

nationem dedit, se omni jure exuit, licet jus regium adnexive non dederit, ipsa donatio nova latens jus regium g e n e r a l e et a c t u a l e (prout impetratio titulo juris regii) semper involvit et confert, l-mæ 57. non ergo potest Ingessioni Fisci locus esse, quamvis fratres Novo-Donatarii contra sorores privilegium primævum producere non possint, licet Dec. 24. p. 65. ita videatur. Eo minus potest per contradictorem possessorem jus Fisci usurpantem, firmitas juris novo-donatarii, titulum, idest, possessorium probantis disputari, aut proba illius exigi, vel quod jus R. adnexum non sit, obverti.

§. 191. Contra privatum antiquius jus suum demonstrantem, aut Fassionarium ejus jus fatentis edocentem nova donatio prorsus nihil operatur, imo ex talis anterius jus habentis donatarii subsequo defectu valide poterit impetratio peragi, et novo-donatarius ejici, quia subseque enatum est jus regium, et tempore novæ donationis impetratæ nullum inerat bonis, ergo non potuit conferri. — Quod etiam de impetratione ex titulo juris regii, vel notæ aut defectus intelligendum est, quod videlicet, si tempore impetrationis nullum jus Princeps ad bona actu habuit, etiam nihil in Donatarium transferre potuerit, quia per hos titulos e v e n t u a l e jus Fisci non confertur, verum a c t u a l e.

§. 192. Is vero, qui fundamento antiqui sui possessorii, novam D. petitorio constitutus, subseque impetraverit, hoc solo, idest, antiquo illo quamtumvis longo possessorio contra anteriorem Novo-Donatarium ex possessorio impetrantem nihil proficiet, nisi majores suos per anteriorem No-

vo-Donatarium, vel majores illius, violenter e bonis ejectos esse, D. 42. p. 76. aut jus R. medio tempore enatum docuerit, vel primævam impetrationem produxerit.

§. 193. Inter novam D. itaque et alias impetrationes, hoc maxime, relate ad extraneos interest, quod violentus occupator cum nova D. non proficiet, etiam si jus R. latens probet: sed aliis titulis, secus validis, si non in possessorio, saltem extra possessorium positus, proficere potest, quamvis per ipsum ejectus 55: 1545. reponi potuerit, ac debuerit.

§. 194. Relate ad fratres congenerationales ejusdem familiæ juris et sangvinis communionem habentes, est juris præhabiti confirmatio, non vero nova acquisitio, eo minus bonorum alterius lineæ appropriatio, v. gr. si post divisionem una linea novam Donationem impetrans pro suo possessorio, nomina alterius lineæ fratrum in novam donationem inseri curet, tamen ex bonis nova donatione collatis, alterius lineæ homines portionem sibi prætendere non possunt, verum possessorio suæ lineæ contenti esse debent; per id enim tantum nexus sangvinis et juris inter duas lineas recognoscitur, et virtualis successio in casum defectus impetrantis lineæ sustentatur, quod quidem ad evitandam pœnam proditionis fraterni sangvinis fieri consvevit, quæ facile incurritur, si ex tali nova Donatione, bonis per communes antenatos acquisitis, et mutuæ successioni obnoxiis superinducta, nomina cointeressatorum exmitterentur 58: 1-mæ. Eo magis currit pœna dicta contra talem, qui fratres indivisos in possessorio existen-

tes vellet per novam donationem privative pro se impetratam excludere.

§. 195. Quid, quod vel ita metuendam haberet pœnam, si a jure familiæ, ante novam donationem præhabito prorsus recedat, familiam suam hactenus injuste possedisse, jus Fisci in bonis latuisse, idque sibi accessorie collatum esse doceat; quia jus regium non contra sangvinem adjicitur, verum, vel adjicitur (ut vulgo putatur) in casum ruentis primi tituli, ergo ex intentione conferentis, imo et (prout præ se tulit, et præ se ferre debuit) impetrantis, illi debet favere, cui nova donatio faveret, si titulus illius staret, atqui hic stat titulus novæ Don. et alioquin stante possessorio, jam latens jus regium per novam donationem collatum est, ergo adjectio juris regii est otiosa in hoc casu, prout esset si aliis tribus titulis validis adjiceretur; vel vero jus R. adnexum nihil aliud est, quam juris R. per novam D. collati declaratio. Versa vice, si quis bona per suam familiam infirmo titulo possessa, ex defectu vel nota, vel ex latente jure regio simpliciter, vel qualitercunque (præter novam donationem eique adnexum jus R.) aut plane a privato aliquo, firmum jus in illis habente, sibi soli acquirat, et probanda probet, proficiet; imo etiam si non probet, non punietur, quia non ita egit qua sangvis, sed novam D. impetrans jure sangvinis præhabito utitur. — Nec obstat nova donatio cum insertione filiarum vel uxoris emanata, quominus fratres condivisionales, novam donationem impetranti, et per illam fratrum successionem intervertere volenti, succedant. Etiam adjudicata, ex infirmitate juris in commissione neoacquistica, verum per unum

collateralem, via gratiæ, fundamento deperditarum literarum reacquisita bona, omnibus fratribus adjudicavit D. 43. p. 76. ergo eo minus potest novæ donationi adnexum licet probatum latens jus R. fratribus impetratoris nocere.

§. 196. Respectu sexus feminei impetrantis familiæ, pariter ex prioris juris corroboratio, et illius, si ne fors infirmum fuit quoad Fiscum, in privilegiale transmutatio, hinc non mutat indolem bonorum, nec dat plus vel minus sexui præ sexu, quam ante fuit, secus non esset corroboratio prioris juris; non ergo sufficit nova donatio pro solis maribus impetrata ad exclusionem sexus feminei in possessorio existentis, D. 18. p. 64. (licet jus regium, etiamsi annexive impetratum lateat in bonis, quia jus infirmum sangvis sangvini controvertere non potest, quamdiu ita agit, qua sangvis, atqui Novo-Donatarius ita agit, et jus regium etiam ita impetravit) verum primævæ acquisitionales, medio quarum scilicet bonum ad familiam devenit, producendæ sunt, et ex illis qualitas bonorum definienda est; nam non illa fuit intentio et finis novæ D. ut bona in familia regulet, verum ut contra Fiscum muniat. Nec intermissio contradictionis, idest, pura novæ donationis statutio feminis quidquam officere potest. Imo, licet feminæ extra possessorium sint, si tamen præhabitum ante novam donationem possessorium probent, etiam tunc nova donatio contra ipsas omni vi destituitur. Si vero nec id probent, tamdiu nova donatio ipsis obtendi potest, D. 17. p. 82. donec processu ad aequalitatem juris movendo, jura sua ex acquisitionalibus edoceant. Sic versa vice, si quo pacto bonis per solum sexum

masculinum sive firmo, sive infirmo, jure possessis, cum, vel sine jure regio nova donatio pro utroque sexu inducatur, mares contra sexum femineum ita agere poterunt, ac si nova illa donatio non existeret, non item Fiscus post defectum masculorum, si jus regium novæ donationi adnexum tempore impetrationis bonis inerat, quia hac ruente, illud stare potest. Mares privativam pro se titulo novæ Donationis impetrationem bonorum utrique sexui communium, licet infirmo jure possessorum dolose facientes, in proditione fraterni sangvinis facile convincuntur; non item, si infirmo jure possessa, alio quocunque modo sibi adseruerint.

§. 197. Sunt qui doceant, prout ego ipse antea docebam, jus regium adnexum per impetratorem novæ donationis sufficienter probatum contra condivisionales sororesve ejus militare, eo quod per id justis suis juribus non fraudentur. Pœnam fors non incurret, sed bona sibi non appropriabit, Jus R. si plus est quam stilus, vel declaratio juris R. per novam D. collati, adjectum est in favorem illius, cui nova donatio prodesse deberet, si firmo titulo niteretur, non contra illum. Et sane si fratres vi juris regii adnexive impetrati et probati possent excludere feminas, etiam feminæ possent æqualitatem petere, si bonis per solos mares manifeste infirmo jure possessis, nova donatio cum adnexo jure regio pro utroque sexu inducta fuisset. Quod ibi operatur jus regium, hic quoque debet operari. Atqui hoc sententiæ communiter receptæ, et Decisioni Curiali in processu Rádaiano latæ repugnat, prout et decisioni 18. 1. 82. in qua (præscindendo a latente vel non laten-

te jure regio) ruit impetrata per sexum fem. nova donatio.

§. 198. Si novo-donatarius clausulam impetrationis non probet, cassatur donatio, et præterea, si prodeat bonum coronale, vel Ecclesiæ, vel (ut aliqui dicunt) violenter per ipsum occupatum impetrasse, acriter punitur 1-mæ 37. idest, ut vulgo putatur, eadem pœna, quam sub jure regio diximus. Nos ex rationibus alias dictis arbitrariam statuimus.

§. 199. Consensus Regius ut translationi bonorum donationalium perennali inducatur, est necesse. — §. 200. Sed non semper. §. 201. Consensus, non actuale latens (adeoque adnexive impetrandum) verum eventuale et speciale ex defectu vel nota transferentis enasciturum jus regium confert. §. 202. Etiamsi vero penes consensum jus regium futurum exprimatur, per id jus regium per consensum dari solitum explicatur, et indigitatur, non generale, et undecunque enasciturum.

§. 199.

Quintus titulus Donationis impetrandæ, est Consensus Regius 64: 1-mæ, quod scilicet Princeps translationem perennalem boni cujuspiam, quoad Fiscum non liberæ dispositionis, sive sub authentico, sive sub privato sigillo D. 26: p. 72. factam rati habet, atque, jus eventuale coronæ, vel in casum defectus et notæ transferentis, si fuerit translatio inter vivos (v. gr. venditio) vel tantum defectus ejus, si scilicet fuerit mortis causa (v. gr. præfectio, adoptio, testamentum, aut contractus

successionalis 1-mæ 66.) confert. Ergo consensus regius semper supponit aliquem inter privatos contractum vel dispositionem, in quam Princeps consentire petitur; supponit præterea bona ea esse, de quibus, si quis absque consensu regio disponat, illius dispositio vel tractatus qualicunque infirmus sit relate ad Fiscum, ut sunt, quæ quis, donatione mediante, qualicunque demum titulo erant impetrata. D. 59. p. 75. Si quis ultimus deficiens non est, etiam de bonis donationalibus potest disponere, illa vendere, et hoc tantum successores ipsius possunt controvertere, (si ipse vendens simul primus acquisitor non sit) Fiscus vero non potest; quia quamdiu familia donatarii durat, non interest Fisci ubicunque vagentur bona. D. 56: p. 144. 26: 1715. Si vero bona apud illum, qui disponere de illis vult, extradonationalia fuerint, licet ultimus deficiens sit, tamen consensus regius non requiritur, et prorsus inutilis esset, præterquam quod, ut experimur, nobilitaret, quia ex ejus defectu vel nota in illis bonis nullum jus Fisco enascetur. Adeoque licet consensum fassioni vel qualicunque dispositioni per eum factæ daret; tamen vel ipse Fiscus, ex veri Donatarii defectu vel nota eidem bona auferre posset. Licet vero nonnisi in casu defectus vel notæ sit consensus regius necessarius, tamen ante imminentem defectum, licet adhuc plures in familia donataria fatente supersint, prudenter petitur, atque si clausula nullum jus fassioni inserta est, quo plures sunt, tanto majori cum Fisci commodo confertur, nam probabilius est fassionarium citius defecturum quam fatentem.

§. 200. Etiamsi ultimus deficiens fateatur bo-

na donationalia, tamen non requiritur consensus regius; si alienatio sit in extrema necessitate, uti est redemtio capitis, redemtio ex captivitate hostili l-mæ 59. nec in venditione inter fratres condivisionales, nec ad transactionem, quamdiu est dubius litis eventus; ast, si post notam vel defectum alterutrius transigentis, jus ejus per Fiscum probari possit, ruet transactio absque consensu regio inita.

§. 201. Si fassio invalidetur, vel jus fatentis evertatur, vel fassionarius petitorio agens (cum scilicet fatens id vendidit, quod tertius quispiam possidet) illud non probet, potest inhærere juri regio, si nefors accessorie datum sit, et actu latuerit tempore impetratarum consensualium literarum. Quia per solum consensum jus actuale regium, si quod aliter inesset, non dat Princeps, verum tantum jus eventuale, idque speciale ex defectu vel nota Transferentis enasciturum. Unde patet, quod si nec ipse fatens habuerit firmum jus, per consensum nihil datur, et in isto casu aut latet jus regium in bonis, aut superest familia, quæ firmum donatarium jus habet, adeoque vel Fiscus ex latente jure regio, vel qui illud a Fisco impetraverit, vel vero si jus regium non latuerit, privatus, qui jus suum edocuerit, potest sibi vindicare non obstante consensu: vel vero, si illa familia deficiat, aut notam incurrat, Fiscus, vel is, qui ex defectu vel nota impetraverit. Hinc sequitur, quod consensus tantum tunc sit efficax et validus, si transferens firmo jure gaudeat; quod item, licet consensui jus regium quoque adnexum sit, tamen possit casus dari, ut donatarius nihil acquirat: quia fieri potest, quod nec

fatens habuit firmum jus, nec ullum jus regium tempore impetrationis latuerit.

§. 202. Si consensui R. jus R. expresse futurum adnectatur, per id, non jus R. generale eventuale undecunque enasciturum conferri, verum jus R. speciale et eventuale per consensum collatum declarari puto; secus in ipso actu translationis atque consensus supponeretur, nec transferentis jus esse firmum, nec jus R. in bonis latere, adeoque et translationem et consensum inanem esse.

§. 203. Donatio pura et mixta. §. 204. Contractu camerali perennaliter alienari non possunt bona Fisci. §. 205. Statutio deficientis vel notorii Donatarii possessorio roborata dat materiam impetrationi, vel cum, vel sine proba juris, semper tamen absque proba tituli impetrationis ejusdem deficientis, vel notorii, §. 206. Quam possessorio destituta requirit. §. 207. Possessorium impetratoris absque Statutione, potest impetrationi locum dare post ejus defectum vel notam.

§. 203.

Donatio regia vel potest esse pura, idest, gratis tantum, et nonnisi pro meritis, vel mixta, idest, pro pecunia vel aliis rebus Fisco præstitis 15: 1-mæ inscriptio vocata, sive pecunia fuerit numerata, sive tantum inscripta.

§. 204. Si Fiscus contractu camerali, quin in formam privilegii redigatur, bona alicui vendat, etiamsi Rex, factum super illis per acquisitorem testamentum, velut perpetuo valiturum confir-

met, D. 19. p. 114. hoc tantum pignus sapiet, et tam per ipsum Fiscum regium relui, D. 4. p. 55. quam ante reluitionem alteri conferri possunt bona, eo magis nondum vendita, sed tantum resoluta et promissa D. 5: p. 55.

§. 205. Si impetrator penes legitimam Statutionem possessorium bonorum intravit, ex defectu et nota ejus debet impetratio peragi, et, si is in possessorio usque defectum vel notam permansit, non tantum a proba validitatis tituli quo impetravit, edoctione, verum etiam ab ordinaria juris proba posterior donatarius relevatur. Si vero non mansit, videndum, an tempus amissi per illum possessorii 52 annos excedat vel non? Si excedit, in regula jus illius debet edocere, uti etiam si impetratio post defectum vel notam 52 annis facta est.

§. 206. Si vero post Statutionem possessorium non est ingressus, de hoc casu Decisio Curialis 48. p. 77. dicit: quod si Statutio contradicta et non purisata est, non possit ex defectu vel nota illius impetrari, verum illam rationem dat, quod Donatio et Statutio usu destituta non constituat fundamentum impetrationis, atqui illa ratio etiam tunc valet, si Statutio pura quidem, sed possessorio roborata non fuerit. D. 38. p. 75. Favorabilius tamen videtur ex illius defectu debere impetrari, qui se statui curavit, licet possessorium illius non prodeat, sensu Decis. 52. pag. 73. Donationem ob non adeptum possessorium non evanescere asserentis, quia impetrationis fons et causa exhausta est; præterea, facile potuit fieri, quod ille primo possessorii suo momento, vel etiam antea, bona alteri vendiderit, vel cum possessoribus accordaverit, qui

usque defectum illius in bonis manere debent; verum tamen possessorio illius saltem repræsentativo, non eveniente, cum impetratio ejus vi D. 38: p. 75. ad legalem perfectionem nondum pervenerit, titulus impetrationis prioris donatarii edoceri debebit per posteriorem, quia frustra probatur defectus ejus qui non fuit in possessorio, frustra etiam jus regium ex illius defectu deducitur, verum idem est ac si posterior ex eodem titulo impetrasset, ex quo prior, ergo id debet probare, quod prior ad acquisitionem agens debuisset, non ergo ex nota vel defectu ejus, verum ex anterioris nota vel defectu proficiet. Nec obstat priorem impetrationem evolutis nefors a tempore impetrationis 52 annis obsolevisse, institutoque acquisitorio et probando titulo præscriptum esse; quia etiam prior impetrator posset, si viveret, Donationem ex eodem titulo, quo prius impetraverat, expediri, et se statui curare, et sic ad acquisitionem, si adhuc juri regio præscriptum non sit, procedere, titulumque impetrationis probare; idem facit nunc posterior Donatarius, qui ex nota vel defectu ejus impetravit.

§. 207. Quod si vero statutio prorsus non sit peracta, nec possessorium deficientis vel notorii probetur, ex prioris Donatarii nota vel defectu debet impetratio peragi, aut jus R. deduci et jus simul et possessorium illius doceri. Ast etiamsi Statutio non esset peracta, vel probari non possit; si tamen deficiens vel notorius possedit bona, ex defectu vel nota ejus valide impetrabuntur, posito eo, quod impetratio ejus firmo titulo nitebatur; nam impetratio posterioris, ejusque Statutio ita considerabitur, ac si prior reimpetras-

set, et tunc Statutionem peregisset. In casu vero præscriptionis contra Fiscum per deficientem vel notorium expletæ ad valorem donationis et impetrationis Statutionem neutrius requiri palam est.

§. 208. An Consensualista, vivo fatente quod ad Fiscum adtinet, Donatarius fiat in bonis? §. 209. Utique, si clausula: Nil juris, est inserta fassioni. §. 210. Non item si exmissa est. §. 211. Impetratio post defectum fatentis, vivo fassionario, si non adsit consensus. §. 212. Post defectum non alterutrius, verum utriusque, ex defectu tamen posterioris, licet adsit consensus. §. 213. Post defectum fassionarii, vivo fatente, etiamsi non adsit consensus, vel ex defectu alterutrius, qui prius defecerit si non adsit consensus. §. 214. Positio scilicet firmo jure fatentis. §. 215. Opinio de bonis per consensum semper in donationalia mutatis. — §. 216. Refellitur.

§. 208.

Quæri potest, an quoad Fiscum aliquem effectum producat consensus ante defectum donatarii fatentis? Seu quod idem est, an in privilegiale mutetur bonum apud fassionarium consensum superinducentem, ita ut etiam vivente fatente donatario, Fiscus succedat fassionario, (veluti qui per consensum Donatarius factus sit) vel vero fatens? Sciendum fassiones vel translationes quascunque perennales inter vivos factas, vel cum clausula: Nil juris reservando, vel absque illa fieri l-mæ 69. Si exmissa est clausula, intestato

deficienti fassionario fatens superstes, si inserta est, Fiscus succedit.

§. 209. Unde suapte apparet: Clausulam illam, an inserta sit vel minus, ita respici, si fassionarius prius defecerit, consensum vero tunc in considerationem (in regula) non sumi, nisi scilicet fatens nullum jus reservaverit, idest, juri suo renunciaverit; tunc enim libera fassionarii disponendi facultas a consensu inducto, vel non inducto pendet.

Si fatens prius deficiat, clausula non attenditur, verum hoc quæritur, an consensus adsit? et tunc negotium inter Fiscum et Fassionarium vertitur.

Si Fassionarius prius deficiat, et fassio cum clausula: Nil juris etc. sit, consensus non adest, potest Fassionarius deficiens disponere de bonis; si non disposuit, ad Fiscum devolvuntur. Cum hac limitatione intelligenda est Dec. 47. p. 77. cum dicit Fiscum succedere Fassionario cum clausula: Nil juris ementi. (Posito vero eo, quod talis Fassionarius disponere de bonis possit, nihil significare videtur pars reliqua ejusdem Decisionis, quæ asserit, bona per fratrem cum clausula Nil juris fratri vendita, et cum eadem Cl. revendita, ex defectu retrovendentis impetrari non posse; nam non tantum fratri retrovendere, verum cuicunque, et cum qualicunque clausula, vel sine illa, dare poterat). Si vero consensus adest, non potuit disponere, verum ad Fiscum debent necessario devolvi. Quia fassionarius facultatem disponendi cessit pro consensu, quo Princeps ipsum assecuravit de eo, quod, si nefors fatens citius deficeret, ad bona prætensionem non

formabit, sed apud ipsum manere permittet, et vicissim a fassionario sibi ipso facto stipulatus est, quod si nefors fassionarius deficeret, bona absque consensu Principis non transferet. Jam, sive adsit consensus, sive non, ad fatentem nihil adtinet, quod ille in his bonis non succedat fassionario, non consensus obstat, sed insertio clausulæ, per quam jure succedendi, bonaque redimendi se exuerit, adeoque ejus non interest an Fiscus, vel alter aliquis adipiscatur bona, quia sive disponat, sive non disponat fassionarius, tamen ad eum non redibunt.

§. 210. Si exmissa est clausula, longe alia est ratio, quia reservavit sibi jus fatens, et quamdiu illius jus in bonis viget, consensus prorsus nihil operatur, et pro non ente habetur, manetque res in statu illo, ac si non esset superinductus, et quidquid in priori casu operabatur, id nunc cessat, quia fatens jus succedendi sibi reservavit, adeoque habet successionem sperativam, ergo in hoc casu consensus superinductus liberam dispositionem fassionario auferre, et successionem Fisco in ipsis bonis procurare non potest, ultra vires pecuniæ.

§. 211. Ex his hæc deduci possunt: Ex defectu fatentis donatarii potest impetratio fieri, cum qualicunque clausula facta fuerit fassio, si consensus fassioni non sit superinductus.

§. 212. Si fassio est absque clausula: Nil juris, sive sit fassioni consensus superinductus sive non, tamen ex defectu fassionarii vivente fatente, non potest impetratio fieri, verum testari, vel aliter alienare potuit ultimus deficiens bona, (prout antenati ejus usque defectum suæ familiæ po-

terant) et ille, cui dedit, eodem jure possidebit, fatentis scilicet adhuc superviventis jure, usque eo donec ille, vel ab emtore, vel a legatario, soluta quam acceperat pecunia, reluerit, velut quæ evanescente fassione ad pignus reciderunt; si vero non abalienavit, ad fatentem, Fiscum exsolvere volentem, redibunt, qui exmissa clausula, jus succedendi sibi reservavit, et per id ipsum, consensus, etiamsi adsit, velut ob metum et in casum matutioris defectus fatentis impetratus, evanuit, ergo ante defectum utriusque non poterunt bona impetrari, verum postea ex defectu posterioris deficientis.—Pecunia vero ideo debet renumerari Fisco, per fatentem, quia evanescente fassione, ad statum antefassionalem debet res redire, ergo ita debet considerari, ac si in rebus deficientis mansisset. Exmissio clausulæ sapit pactum de retrovendendo vel redimendo, licet tempore incerto.

§. 215. Si fassio est cum clausula: Nil juris; licet non adsit consensus, ex defectu fassionarii potest impetratio fieri, si ultimus deficiens non disposuerit de bonis, (prout etiam ex defectu maturiore fatentis, si non adest consensus). Si disposuit, non potest impetratio fieri ante defectum fatentis. Si consensum superinduxit fassionarius, cessit liberæ dispositioni, et impetratio ex defectu ejus fit, non ideo quod consensus superinductus est, verum quia ob insertam clausulam: nil juris: non fatens successit ab intestato, verum Fiscus: consensus vero hic tantum id operatur, ne fassionarius disponere possit, verum Fiscus succedat, fatente se alioquin per insertionem clausulæ jure exuente, item hoc, ne Fiscus fassionario adimere possit, si nefors fatens prius defecisset.

§. 214. Ceterum in tota hac materia supponitur fatentem firmum jus habuisse; quia si infirmum habuerit, uti ipsi potuisset, ita fassionario ejus semper potest vel superstes Donatarius, vel Fiscus auferre, aut alter impetrare, non ex fatentis vel fassionarii, verum ex alio aliquo defectu, vel nota. Nisi illud latens jus regium accessorie collatum sit præter consensum; quod si factum est, semper ex defectu fassionarii debet impetratio fieri.

§. 215. Non est dissimulandum vulgarem opinionem esse, sensu D. 55. p. 74. et 11. p. 87. quod ut primum consensus superinductus est, semper cesset libera disponendi facultas, et semper ex defectu fassionarii debeat impetratio fieri, etiam vivente fatente. Nos dicimus hoc omne tunc verissimum esse, si fassionarius fatenti supervixit, et postea defecit, quia tantum in illum casum operatur consensus, quia tunc enatum est jus illud in Fiscum devolvendum, 64: 1-mæ, quod per consensum contulit. Hinc est, quod tantum tunc sit necessarium inducere consensum, si una persona existat e familia fatentis Donatarii, ergo antea ut necessarium non fuit, ita effectum nullum producere potuit. Vivo fatente vero tantum tunc verum esse dicimus, si fassio cum clausula: nullum jus est facta, et vel non disposuit ultimus deficiens fassionarius, vel se disponendi facultate in gratiam regis consensum dantis exuit. Huc facit, quod, quando quærebatur in Curia, an translationi particulæ, ex bono per Regem ultra 32 sessiones in corpore collato, decerptæ, Palatinus consensum dare possit? eo argumento etiam negabatur, quod consensus in casum defectus fatentis Do-

natarii operetur; atqui eveniente eo, non posset Palatinus bona talia discerpere, ergo nec ante defectum potest.

§. 216. Objectio 1) In privilegiale mutatum est bonum per consensum. Ergo.

Responsio. In privilegiale mutatum est, si fatens defecit, vel notam incurrit, aut fassioni cum clausula: nullum jus, consensus inductus est, secus non.

Objectio 2) Consensu impetrato recessit a jure fatentis, et inhæsit privilegio.

Responsio 1) Non recessit, imo illo se defendet, si illud firmum sit, adeoque erronee putatur ipsum ab evictione fatentis cadere.

2) Si privilegio inhæsit, per id demonstrat, se a jure fatentis non recedere, quia illud privilegium tantum ita valet, si jus fatentis valet et tantum Fiscum et fassionarium tangit, fatentem non, eo non obstante etiam invalidatoriæ successorum Actioni locus est. Decisio itaque 55. p. 74. ex defectu fassionarii consensu regio provisi impetrari posse absque limitatione asserens, non aliter stare potest, quam si fatens prius defecerit, aut cum clausula: nil juris, fuerit fassio, vel jus regium, quod accessorie collatum est, tempore celebratæ fassionis latuerit.

§. 217. Donatio Palatinalis et ejus limites.

§. 217.

De Donatione Palatinali vel Locumtenentiali observandum præter hactenus dicta:

I) Palatinus non potest mixtas donationes conferre, quia ad evictionem Fiscum regium ob-

ligare non potest, nisi probetur pecuniam in Ærarium illatam esse.

2) Ignobili non potest donationem conferre, hinc qui tali donatione uti vult, debet probare nobilitatem, etiam si tardius impetratam.

3) Non bona quæ Fiscus actu possidet aut oppignoravit, vel inscripsit Dec. 31. pag. 60. item: Fisci, contra Piber 27. August. 1793. aut inactionavit, verum tantum quæ solo jure, et non facto ad Coronam devoluta sunt, potest conferre, quocunque titulo.

4) Uni non potest supra 32 sessiones colonicales 30: 1659. (prout sunt pro diversitate locorum, et quarum vel maxima vix sextam partem sessonis regalis 1-mæ 133, descriptæ adæquat) dare, nec corpus 32 sessionibus majus dividere 1446: 108. 33: 1715. hinc

5) Quod rex in uno corpore 32 sessiones excedente contulit, licet successive per divisiones ad plurium manus pervenerit, et unius ex pluribus condivisionalibus nonnisi unam sessionem possideat, et illam vendat, Palatinus fassioni consensum in casum defectus valide dare non potest, quia ut Curia decidit, ita per partes successionem, et conferendi facultatem Fisco auferret (ex nota unius posset conferre valide latens jus R. ergo consensus quoque in casum notæ ejus valeret) consensum oppugnabit Fiscus ubi tota familia fatens donataria defecerit. Quia, ut Curia dixit, tunc incipiet penes illum possidere, antea penes fassionem possedit, quod Fiscus ante defectum controvertere non potuit, sive adfuit consensus, sive non. Si vero corpus per Principem collatum non excedat 32 sessiones, ita uni vel pluribus et-

iam sessionibus, Palatini consensus etiam in casum defectus totius familiæ superinduci potest. Nec omissio communicationis cum Camera vitiat donationem Palatinalem. 20: 1741.

CAPUT III.

De Statutione et Contradictione.

§. 218. Statuentes quot, qui, et quæ eorum qualitates. §. 219. Mandatum, vi cujus procedunt, quotuplex? §. 220. Annus intra quem Statutio peragitur, an semper ab emanata Donatione numerandus. §. 221. Statutio peragenda coram convocatis, vicinis, aliisque testibus. — §. 222. Atque si possibile est, in facie loci. §. 223. Aliæ observationes practicæ de loco, forma et duratione Statutionis. §. 224. Relatio Statuentium post 15 dies peragenda. §. 225. Pœna falsam relationem facientium. §. 226. De vitiose peracta vel omissa Statutione. §. 227. Statutio pura, vulnerata, purisata. §. 228. Specialia de Contradictione. §. 229. Statutio fassionum et pignorum olim usitata.

§. 218.

Statutio, seu introductio Donatarii in bona debet fieri per personas habiles, minimum duas, quarum una homo Regius, vel Palatinalis, aut Banalis, per conferentem, vel Judicem Regni ordinarium, Mandato statutorio denominatus, in illo Comitatu, in quo statuit, si vero in diversis Comitatibus sint bona, in singulis D. 22. p. 71. 4: 67.

debet bona, idest, hæreditatem nobilitarem habere 2-dæ: 19. Lud. 22. saltem sperativam et virtualem; secus tentum in illis Comitatibus peragetur Statutio valide, in quibus bona habet, quoad alia bona vero erit quidem nulla, verum possessorio post statutionem 52 annis exercito, illud vitium deletur. Homo Regius, in Mandato denominatus, eidem, sub pœna 6 marcarum per Judicem nobilem desumendarum parere debet, 43: 1492. verum plures solent, petente et designante impetratore, denominari, ut si qui nolint vel non possint, aliquis eorum fungi possit. Juratus Tabulæ Regiæ licet ignobilis vel impossessionatus, potest Statutionem peragere valide 2-dæ 19. Altera persona, homo Capitularis, vel Conventualis, debet lingvæ patriæ peritus esse, ut et legum patriarum, et exmissionem habere a Conventu vel Capitulo, quæ Mandato statutorio per alios Capitulares cum specificatione anni, diei, mensis inscribitur, et subscribitur, 1725: 59. Conventuales in vicinis Comitatibus, Capitulares vero in sua Diœcesi possunt statutioni testimonium præbere, saltem non in remotis a se locis, 1725: 40. et debent juramento pro talibus functionibus peragendis adstricti esse 59: 1725.

§. 219. Mandatum statutorium est duplex. Si sit cum clausula: Cum nos attentis etc. habet vim per annum integrum, et intra annum potest Statutio peragi, et probat jus in Judicio, quia inserta est donatio. Si vero sit cum clausula; Dicitur nobis quod etc. intra 60 dies debet Statutio peragi, secus aliud Mandatum peti, 1-mæ 53. et, cum non contineat donationem, ad acquirendum vel reacquirendum absque producta do-

natione, ad quam provocat, non sufficit, verum ad defendendum sufficit, D. 6. p. 62.

§. 220. Intra tempus lege definitum debet peragi, (secus obsolescit donatio, et noviter expediri debet) v. gr. donatio nullis conditionibus restricta, ut est impetratio ex jure regio, ex defectu, nota, nova D. imo etiam titulo consensus actuali translationi vel cessioni superinducti, intra annum ab emanata donatione debet Statutione roborari, consensus vero conditionatæ translationi, idest, praefectioni, adoptioni, testamento, contractui successionali 1-mæ 66. superinductus, intra annum ab enata conditione, D. 19. p. 70. Jus regium ei adnexum 65: 1-mæ, intra annum ab emanata donatione, adeoque consultum est, ut statutio bis peragatur, si incertum est, quis ex duobus illis titulis sit firmus et validus futurus. Licet donatarius ante statutionem vendat bona cum clausula: nil Juris etc. si tamen intra annum se statui curet, statutio etiam pro emtore valida erit. Turbulentis quibusdam temporibus, vel prorsus non, vel tardius peracta statutio, non vitiat rem, Sig. 1: 18. 1542: 25. 1608: 21. post cor.

§. 221. In præsentia incolarum ejusdem loci, nec non vicinorum Nobilium et Ignobilium, quos homo statuens citaverit, et qui sub pœna 16 marcarum per Vice-Comitem præscissis juridicis remediis desumendarum comparere tenebuntur, debet peragi.

§. 222. In facie bonorum debet peragi, nisi ibi sit pestis, vel hostes (non vero tantum prædones Dec. 21: pag. 71.) ibi grassentur, aut possessores non admittant: quia, in prioribus duobus casibus, in loco celebrari solitarum congregationum, in tertio vero casu, sufficit 156: 1647.

D. 28. p. 72. in loco proximiori securo, in præsentia Vice-Comitis et Judlium ejusdem Comitatus, uti etiam semper sufficit in loco illo, qui pro capite bonorum est in donatione positus, peragere, appertinentias recensere, et ad illas verbo extendere, D. 5: p. 67. Si plura corpora sint data, quin unum pro reliquorum capite ponatur, in omnibus illis corporibus aut portionibus in facie loci debet peragi, et in singulo loco tribus diebus debent statuentes commorari.

§. 223. Debet fieri palam, manifeste in loco propatulo et publico, secus perennalis æstimatio bonorum incurritur, 52: 1655. Debet esse actus solemnis, clara voce debet legi Donatio et Mandatum, et vernacula explicari, donatarius per statuentes manibus introduci, et illi publice bona assignari. Contradicentes debent connotari, qui per eosdem statuentes, ad 15 diem, de praxi antiqua, ad Tabulam Regiam, ad dandam contradictionis rationem evocantur, (licet postea iterum evocari debeant) et relatoriis nomina ipsorum, etiam si revocaverint contradictionem, (secus non poterit ex puritate statutionis agi, D. 5: p. 155.) ut et testium vicinorum et commetaneorum nomina inseri debent.

§. 224. Statuentes post tres dies (quibus festa non adnumerantur) de facie loci abire possunt, verum, usque 15 fatales dies simul manere, (ut coram illis valide interponi possit contradictio) elapsis 15 diebus totam rei gestæ seriem describere, ita Relatorias adornare, Conventui vel Capitulo præsentare debent. Homo Regius jurat se fidelem relationem facturum, Capitularis vero refert se ad illud juramentum, quod jam prævie

ex officio deposuerat 59: 1725. Literæ tales relatoriæ in authentica copia Donatario extradantur. Originale in Archivo Capituli vel Conventus reponitur; recognosci debet per Capitulum vel Conventum in testimonialibus super relatione extradatis, eam sub juramento factam esse 1559: 50. præterea Mandati statutorii totus textus inserendus est, ut et exmissionis. Si donatio quoque inseratur, probabitur jus relatoriis. Relatione peracta non coram statuentibus, verum coram ipso Capitulo vel Conventu, aut alio quocunque loco credibili, vel Judice Regni ordinario debet fieri contradictio. Alterutro statuentium ante relationem mortuo statutio iterari debet.

§. 225. Falsam relationem faciens Capitularis, amissione beneficiorum, stigmatis inustione, et perpetuis carceribus, Homo Regius amissione capitis et bonorum 45: 1492. 2-dæ 16. Capitulum vel Conventus, si scienter falsum testimonium extradet, amissione sigilli, quilibet, qui præsens fuit amissione beneficii, stigmatis inustione, et perpetuis carceribus punitur.

§. 226. Ex dictis apparet, quid sit Statutioni essentiale, quod si desit, illam nullam efficit, ut vel impetratio, vel tantum statutio iterum peragi debeat. Si vero sit error tantum accidentalis, v. gr. appertinentiæ recensitæ non essent clare, aut in relatoriis, vel earum expeditione vitium esset in ipsa re, non vero in scriptura, admissum, tunc sensu 2-dæ 12. §. 4. intra annum penes mandatum correctorium vel Statutio, absque nova privilegii expeditione peragi, vel relatio aut expeditio ejus corrigi potest. Qualiscunque sit error in statutione, si vel ipsa prorsus omittatur,

tamen Fisco, vel, ob defectum statutionis, D. 2. p. 55. vel ex eodem titulo quo bona contulit, ad eadem bona actio non datur, verum alter potest etiam ex eodem titulo, quo prior impetratio facta est, impetrare, qui si se statuerit, prior donatio cassatur, D. 28. p. 60. 22. p. 65.

§. 227. Si statutioni intra 15 fatales dies, a die inchoatæ statutionis, inclusis festis numerandos per possessorem contradicatur, vocatur statutio vulnerata. Si non contradicatur intra 15 dies, vocatur pura. Si vero contradictio interposita vel revocetur, vel contradictor deficiat, vocatur statutio purisata, prout etiam si transactum, vel juri contradictoris præscriptum est; quamvis unice per sententiam possit statutio valide purisari.

§. 228. Contradictio non annihilat, sed tantum vulnerat jus alterius, et finis illius est tantum præjudicii aversio, et juris sustentatio, ne quis taciturnitate sua consensisse videatur. Contradictio per possessorem interposita nocere nunquam potest, verum prodesse potest, per quemcunque, etiam non requisitum, interposita, eo magis, per requisitum aut pignoratitium possessorem, qui licet tantum intuitu summæ suæ investitæ contradicat, tamen per id etiam proprietario prodest, atque, si ei remittat bona, is debet citari D. 46. p. 77. D. 5. p. 155. licet contradictionem revocaverit, vel vero, si non sunt remissa bona, is potest agere contra impetratorem, ac si ipse contradixisset. Potest contradictio etiam per missiles literas ad hominem Regium vel Capitularem datas fieri, talis contradictor æque per missiles ad dandam contradictioris rationem per eosdem evocatur. Extra possessorium existens prudentius coram loco authenti-

eo, quam coram statuentibus contradixerit; sic enim, dum commodum fuerit, jura sua persequetur, nec per impetratorem cum minime vellet, imparatus citabitur. Si bona impetrentur quæ actu Fiscus possidet, non obstante ulla contradictione, donatarius bonorum possessionem ingreditur, et contradictores extra possessorium contra illum, vel sponte agent, per illum citati jura sua probare debebunt. Eadem est ratio, si quis ex possessorio impetret. Donatio, cui ex possessorio contradictum est, non habet vim privilegii, donec a contradictione depuretur.

§. 229. Olim etiam fassiones, (imo etiam pignora ultra summam 50 fl.) statutione roborari debebant intra annum. Si vero fassionarius occasione celebratæ sibi fassionis in possessorio fuit, etiam post annum potuit statutio peragi. Et nequidem pro pignore debebant successores vel Fiscus ultra communem æstimationem solvere, si consensus R. non fuit superinductus, 1-mæ 65. 65, 85. 1647: 125. quæ omnia jam aliter se habent.

§. 230. Donatarius extra possessorium existens titulum impetrationis, idest validitatem illius quomodo probat? §. 231. In casu impetrationis, ex defectu, §. 232. Et nota, in regula, defectum vel notam possessoriumque deficientis et notorii, raro jus illorum. §. 233. Ast ex jure regio si impetret, semper debet jus deficientis vel notorii probare, idest, donationem ejus statutione et usu roboratam producere. §. 234. Si possessorium ejus non probet, ex cujus defectu vel nota jus regium deducit, titulum impetrationis ejus debet probare. §. 235. Proba ti-

tuli impetrationis in casu novæ donationis, §. 236. Consensus item Regii, §. 237. Effectus probati tituli impetrationis. §. 238. Contradictor extra possessorium existens, juris anterioris probam debet, in regula, præstare, nam secus, etiamsi donationem producat, ad acquisitorium Institutum relegatur, §. 239. A proba juris tamen nonnunquam relevatur, prout et impetrator a proba tituli sui. §. 240. Peculiaria de utroque. §. 241. Quid si intra 32 annos non moveantur? §. 242. Pœna non acceptatæ contradictionis. §. 243. Processus ex puritate statutionis, §. 244. Ex non temere omissa contradictione. §. 245. Processus juris, quo jus in re, vel ex privilegio, §. 246. Vel absque eo quæritur. §. 247. Omnes modos et titulos alios revindicandorum bonorum supplet. §. 248. Ipsa vero per novam donationem suppletur.

§. 250.

Processus ex materia Donationis enascuntur sequentes:

Primus ad dandam contradictionis rationem, movetur in regula, contra Contradicentem intra 15 dies, per Donatarium extra possessorium constitutum, licet possit movere etiam illi contradicens, D. 15: 69. D. 51: 78. D. 2: 66. 11: 68. D. 8: 15. onere probandi extra possessorium existenti incumbente.

Actio fundatur in 30: 1-mæ Math. D. 5: 15. 6: 27. 46: 1563. 26: 1725. Licet contradictor post contradictionem interpositam bona alicui impignoraverit, aut nefors citatus per donatarium, in contumacia ob non comparitionem convictus, et

e bonis ejectus noviset, tamen donatarius, licet in possessorium positus debebit titulum impetrationis D. 1: 66. probare, quia per novum redit res ad primordium litis: atqui tunc contradictor erat in possessorio D. 49: 78. D. 50: 78.

§. 231. Si ex defectu impetravit, tenetur defectum illius ex cujus defectu impetravit, verum et naturalem probare, non civilem, v. gr. si ultimus in familia religiosum Ordinem ingressus sit, D. 12: p. 69. et quidem, nisi vox seminis adjecta sit, defectum utriusque sexus, D. 24: 72. ad defectum vero sexus masculini probandum, non sufficit vel testimoniales Comitatus, quod nemo ejus nominis exstet in Comitatu, vel recognitio sexus feminei. Dec. 29. p. 73. Porro possessorium deficientis, saltem repræsentativum, v. gr. per fassionarium vel pignoratitium ejus exercitum debet probare, et si portionem aliquam in possessione aliqua impetravit, tenetur impetrationem suam possesorio Incattorum applicare. D. 44. p. 77. 55: 74. Jus deficientis non debet probare, nisi per contradictores demonstretur possessorium, deficientis precarium vel pignoratitium, arendatitium, vel violentum, aut juris uxorei fuisse, aut si defectus est antiquus, etiamsi ex possessorio evenerit, vel recens quidem, verum deficiens ante defectum jam exciderat ex possessorio; D. 25. p. 72. quia in hoc casu et ipse deficiens, petitorio, jus suum debuisset docere contra possessores, (nisi vel violentam sui ejectionem, vel pignus aut fassionem docuerit) adeoque idem est, ac si titulo juris regii facta esset impetratio. Sic: contra sexum femineum in bonis existentem, aut contra illum, qui a feminis emit, donatarius, vel præfecta, D. 5. p.

67. D. 17. p. 70. D. 23. p. 71. D. 41. p. 76. Jus privativum masculorum deficientium debet edocere, quia hoc et ipsi mares ad exclusionem agentes debuissent, et quidem non sufficiet novam donationem pro maribus privative elargitam producere, aut exsolutionem quartalitii docere, verum primævæ acquisitionales literæ erunt producendæ.

§. 252. Si ex nota facta est impetratio, et nota est recens, sufficiet solam notam et possesorium illius, vel pignus aut fassionem ejus aut antenatorum, D. 9. p. 68. D. 44. p. 77. probare, ex cujus nota facta est impetratio, nisi possessorium ejus, ut sub defectu dictum est, per contradictores evertatur, quia tunc, ut etiam, si notorius tempore notæ et impetrationis in possessorio, saltem repræsentativo, non fuerit, aut nota prorsus antiqua sit, jus etiam notorii, producta illius donatione, statutione et usu roborata, probari debet, nisi contradictor fassionarius vel pignoratarius notorii sit D. 74: 59. aut illum violenter ejecerit. Notam tunc quoque docere debet impetrator, si Incattus gratiam a principe nefors petiit, aut cum aliis ex eodem titulo partem bonorum impetrantibus transegit D. 27. p. 72.

§. 253. Si ex jure regio facta est impetratio, specifice vel ad notam vel ad defectum debet deduci, D. 7. p. 67. D. 14. p. 69. et in regula notorii vel deficientis jus probari, idest, donatio et statutio usu roborata produci, fundoque impetrato D. 55: 74. applicari, genealogia ultimi deficientis vel notorii ad impetratorem necti; quia cum ex jure regio sit impetratio, aut defectus vel nota antiqua est, tunc dubia et valde obscura jura quæruntur, et præsumtio est contra deficientem

vel notorium, quæ militat pro jure distincto possessoris, qui a tam longo tempore possidet, in hoc casu, vel ipse Fiscus, juris probam deberet præstare, D. 16: p. 58. ergo etiam jure illius veniens impetrator.

§. 254. Usuroboratio vero donationis, seu possessorium deficientis vel notorii ideo debet probari, quia absque usu et possessorio jus illius in effectum non ivit; ergo, si illud non demonstretur, vel probetur ab adverso, quod licet in possessorio fuerit, non vi privilegii sit ingressus, titulum impetrationis illius debet probare impetrator, quia ad ejus defectum frustra reducit jus regium, qui non fuit in possessorio, adeoque jus ad rem tantum, et non jus in re habuit, verum idem est, ac si ex eodem titulo impetrasset, ex quo ille. — Ergo ejus titulum debet probare, seu potius, inde derivare debet jus regium, unde prior debebat. Si possessorium ejus probasset, non ipsi, verum contradictori incumberet proba contrarii, idest, quod donatio deficientis vel notorii infirmo titulo collata sit.

§. 255. Si titulo novæ donationis facta est collatio, probare debet donatarius extra possessorium existens præhabitum suum vel suorum antenatorum pacificum possessorium, atque, si I. solo possessorio se defendat, præterea nihil D. 18. p. 64. 16. p. 70. 44. p. 77. Si vero jus juri opponat, sola nova donatio Actorem non juvabit, v. gr. contra novam donationem per I. productam, violenter inchoatum D. 42: p. 76. et præscriptione nondum sanatum Incatti possessorium. tam contra eam vero, quam aliam impetrationem Incatti jus regium, medio tempore, inter scilicet impe-

trationem actoream et incatteam enatum probari, aut primæva impetratio, sicque radicalitas juris et ejus prioritas doceri debet, uti etiam contra feminas in possessorio existentes jus privativum masculorum docere oportet, quo fine nihil valet donatio antiqua statutione destituta D. 24: p. 65. imo licet extra possessorium sint, tamen si aliquod vestigium juris feminei occurrat, impetrator ad revelationem literalium instrumentorum sub juramento adstringitur. Nec sufficit unquam et contra quoscunque, sive extraneos sive feminas, ad probandum titulum impetrationis, priorem novam donationem suæ familiæ factam, licet vi Dec. 24. et 55. p. 79. statutione pura firmatam producere, verum titulus illius, scilicet possessorium edoceri debet, et quidem diuturnum, sufficit vero docere terminum, a quo ad quem, quia pro intermedio tempore præsumtio militat.

§. 256. Si titulo consensus regii facta est impetratio, fassio, vel instrumentum aliud, cui consensus superinductus est, cum consensu produci, jus transferentis (v. gr. fatentis) per impetratorem extra possessorium existentem D. 20. p. 65. doceri, idest, donatio illius, sensu D. 13. p. 69. produci, per genealogiam eidem applicari, et possessorium ejus demonstrari, et fundo applicari debet, quia hæc omnia ipse etiam fatens præstare teneretur, si ad reacquisitionem procederet, jusque ejus per I. in dubium vocaretur adeoque etiam tenetur, qui illius jura repræsentat, D. 15. p. 69. Extra possessorium contradicentes fatentis successores non possunt hoc processu, non factam præmonitionem, vel præjudicium Actori fassionario obvertere. D. 11: p. 68.

§. 237. Impetratore titulum impetrationis probante, et contradictore illius probas evertere nequeunte, cassatur contradictio, Restatutio decernitur, illaque per Judicem et Capitularem, aut Conventualem ex eodem Capitulo aut Conventu, quo prius penes Mandatum Judicis Regni ordinarii Restatutorium exmittendum, in forma executionis, cum refusione deteriorationum et fructuum a die statutionis D. 10: 45. Matth. D. 5: 16. 6: 27. peragitur, imo licet transactio vel revocatio contradictionis sub lite intercesserit, tamen restatutio peragi solet, non jam cum tantis solemnitatibus, nec observandi sunt illi 15 dies fatales. Restatutioni judiciali non contradictione, verum repulsione obviandum est, qua etiam proprietarius ad dandam contradictionis rationem non evocatus uti potest, si pignoratarius illius contradixit. Contradictore juri temporaneo et investitionibus tantum suis inhærente, hæreditateque bonorum donatario adjudicata, causa pro liquidatione remitti potest ad Judicem pignoris, nec fuit necesse ipsum ad Tab. R. evocare Dec. Cur. 20: p. 202. Contradictio per ignobilem interposita nihil ultra investitiones opitulatur, nisi jure materno teneat vel pignus materni juris probet.

§. 238. Secundus processus est: ad recipiendam rationem contradictionis. — Movetur æque coram Tabula Regia, in regula per illum, qui extra possessorium contradixit, licet conditionate, D. 5. p. 52. 20: p. 70. verum, etiam impetrator in possessorio existens potest movere, si sibi fidat. In eo convenit cum priori processu, quod utrobique non necessario Actori, verum extra possessorium existenti incumbat proba, hinc prout in prio-

ri processu Incattus impetrator, titulo impetrationis probato, bona actionalia acquirere potest, ita in hoc, sensu D. 8. p. 15. Incattus contradictor, si prioritatem juris probet, Actio, ut quælibet alia potest erigi, quin in ulla lege fundetur: potest tamen fundari in iisdem legibus, quibus processum ad dandam contradictionis rationem fundari diximus. In eo differt a priori processu, quod in regula, ibi ad acquisitionem agebat donatarius, hic vero ad reacquisitionem agit, atque jus in re, non jus ad rem quærit contradictor extra possessorium existens, est etiam juris processus, adeoque probari debet jus, per donationales, statutione et usu roboratas, (si usus non probetur, vel possessorium non penes privilegium exercitum esse ab adverso doceatur, condescendit Institutum, atque ad acquisitoriam litem, ad probandum scilicet titulum impetrationes relegatur A.) præterea genealogia ad impetratorem deducenda est, D. 11, 12, p. 63. 19. p. 64. 15. p. 69. 52. p. 78. D. 2. p. 21. D. 18. p. 70. ad propriam vero expositionem factæ in expeditionibus Capitularibus genealogicæ deductiones probam non faciunt, verum desiderant, D. 5: p. 21. Hic processus ergo in casu illo cum juris proba requiritur, eo tantum differt a juris processu per excellentiam ita dicto, quod donatio per alterum bonis superinducta instituto huic occasionem dederit. — Hinc, is tantum potest ad recipiendam contradictionis rationem agere, vel ad eam reddendam, ubi impetrato libuerit stringi, qui intra 15 dies contradixerit, qui vero post 15 dies contradixit, quod potuit intra 52 annos, aut qui contradictionem revocavit, vel illam intra 52 annos

prosequi neglexit, verum, ubi necesse fuerat, jura sua aliter sustentavit, juris processu agere debebit.

§. 239. Licet vero, in regula, juris probam teneatur præstare contradictor extra possessorium constitutus, in ipso etiam ad recipiendam rationem contradictionis moto processu: tamen, etiamsi non violenter esset ejectus, sæpe hoc Instituto alleviari potest, v. gr. si ex defectu facta est impetratio absque specificatione seminis, sufficit ipsi demonstrare se esse feminei sexus hominem ex familia deficientis, et hac data per ipsum ratione, donatarius sensu D. 24: p. 72. privativum jus masculorum edocere debebit. Sic licet ex defectu seminis sit impetratio facta, tamen si contradictor semet cum deficiente connectat, vel illum suum condivisionalem fuisse clare probet, D. 37: p. 75. D. 45: p. 76. vel se jure deficientis venire demonstret, D. 47: p. 77. non adstringitur ad probam juris, quia jus juri non opponit, quia eodem jure venit, quod donatarius prætensive impetravit, et quod ille in dubium non revocat. Idem obs. si contradictor probet impetratorem suum pignoratarium, vel bona eadem per antenatos suos cuicunque oppignorata esse, D. 8: p. 13. (in hoc casu pignus, eodem processu contradictorio recipiet) prout si impetrator probet, contradictores, pignoratarios ejus esse, ex cujus defectu vel nota ipse impetravit, vel jus R. deducit, aut cujus jure secus utitur, non debet titulum impetrationis probare, D. 74. p. 59. quia jus illius non possunt negare.

§. 240. Si femineus sexus contradixit v. gr. novæ donationi, hoc instituto ad recipiendam rationem contradictionis, æqualitas vel inæquali-

tas juris disputabitur, et revelatio literarum sub juramento fieri debebit, D. 56: p. 74. Si intra 15 djes non contradixerunt, Instituto æqualitatis juris agent. Utroque collitigantium partem bonorum actionalium possidente, quoad partem non possessam, non Actori, verum Incatto imponitur primo proba, ut scilicet, vel titulum impetrationis, si fuerit impetrator, vel prioritatem juris, si fuerit contradictor, probet. D. 51: p. 78. Si contradictor violenter est ejectus per illum, qui subseque impetravit bona, potest repositorio processu agere, 35: 1545. et sic ad possessorium repositus a proba relevabitur.

§. 241. Tam ad dandam, quam ad recipiendam rationem contradictionis intra tempus præscriptionis debet lis moveri, secus litis motioni præscribitur, ita quidem, ut quoad donatarium extra possessorium existentem donatio prorsus obsolescat, contradictor vero instituto juris debeat agere, si identidem jus suum contradictione sustentavit, quia ob non prosecutionem litis, evadet Statutio purisata, et eadem erit ratio, ac si non esset intra 15 dies contradictum; atqui tunc juris processu utendum esset in regula.

§. 242. Tertius processus est: ad revindicationem bonorum, non obstante contradictione per donatarium occupatorum. Movetur coram Vice-Comite. Actio fundatur in Matth. 6: 22. 27. Ulad. 1: 59. 655: 91. Ad Actoratum debet probari contradictionem interpositam, verum ea non obstante bona occupata esse, præterea Actorem tempore statutionis, vel paulo ante Dec. p. 155. in possessorio fuisse. Incattus convincitur in communi

æstimatione bonorum, in restitutione illorum, et fructuum perceptorum.

§. 243. Quartus est: ex puritate statutionis. Movetur intra 32 annos contra possessorem bonis cedere nolentem, secus obsolescit donatio, debet probari statutionem rite peractam, et per possessorem non esse intra 15 dies contradictum. Hæc probantur relatoriis Statuentium. Actio fundatur in 32: 1-mæ 28: 1715. 34: 1725. Judex est Tabula Districtualis. Eveniente eo, quod possessor intra 15 dies non contradixit, ejicitur ex possessorio, ut extra dominium probet prioritatem juris et sic evertat titulum impetrationis. Si probet sibi inpossibile fuisse contradicere, manebit in possessorio, impetratori incumbet proba tituli. 46: 1565. Neque habet hic processus locum contra sexum femineum in possessorio existentem, cui nihil nocet novæ donationi masculorum non contradixisse, D. 1: p. 152. nec contra illos, qui in reipublicæ negotiis absunt, imo talis impetrator, prout etiam clancularie se statuens, in perennali æstimatione bonorum convincetur, 32: 1655. non habet porro locum, si impetrator bona, in quibus se statui fecit, violenter occupaverit 35: 1545. aut denique, sede vacante, bona per Ecclesiam possessa impetraverit, D. 4: 155.

§. 244. Quintus movetur contra impetratorem, qui intermissa per possessorem contradictione se ad possessorium posuit. Si Actor probet se, nec per se, nec per suos homines potuisse contradicere, et se in pacifico possessorio fuisse, impetrator ex possessorio ejicitur, et suum jus, ac si esset contradictum, extra Dominium prosequetur.

Actio fundatur in 46: 1565. Decurrit processus coram Tabula Regia.

§. 245. Sextus est processus juris; sciri debet, alios esse mere facti processus, ubi nihil aliud nisi de facto, et illius ad legem applicatione agitur, alios esse juris processus, ubi disquisitio et discussio literarum privilegialium subversatur. — Species hujus juris processus sunt plures; præcipuum locum inter illas sibi vindicat ille processus, qui per excellentiam processus juris vocatur, et quo jus in re privelegiale quæritur, alias processus ex privilegio, qui si sit contra posteriorem donatarium, vocatur processus ex prioritate juris radicalis. Movetur per donatarium aut successores vel fassionarios illius. Donatarius, vel illius successores debent producere ad Actoratum consequendum privilegium, illudque per genealogiam sibi applicare D. 23. p. 65. adeoque non obstante D. 5. p. 6. hic juris processus necessario est successionalis, præterea usu roboratum esse privilegium, idest, non tantum statutio, verum etiam possessorium debet probari, Dec. 1. p. 60, 7. p. 62. 19. p. 64. Si possessorium non prodeat, vel illud non ex privilegio, verum ex alio titulo, v. gr. pignore profluxisse per Incattum probetur, tunc Institutum, seu ut D. 5-tia p. 6. dicit, Actio condescendit, et a lite hac reacquisitoria ad acquisitoriam (idest, ut jus ad rem quærat, vel ex puritate statutionis, vel ad dandam contradictionis rationem agat, et titulum impetrationis probet) relegatur Actor. Donationes iteratas, cum declaratione adsignationis bonorum editas, statutorias, metales reambulationes privilegialiter expe-

ditas, sententias adjudicatorias, possessorio non probato ad probam juris sufficere negavit Tab. Sept. D. 11. p. 65. affirmavit Tab. R. Pl. p. 208. Jure et possessorio in abstracto probatis, Actoratus stabilitur, deinde in merito, corporeitas, quantitas et localitas (si de portionibus sit impetratio) debet doceri, et hæc omnia possessorio Partis I. applicari, D. 55. p. 74. quamvis D. 3. p. 52. hæc prout Dec. 1-ma p. 44. limitationem sumtuum, qui in meliorationem bonorum facti sunt, ad actum executionis rejiciat. Fassionarius fassionem producere, jus et possessorium fatentis modo prædeducto probare debet D. 20. p. 65. D. 1: 135. Cessionarius etiam Regis, licet in forma privilegii facta sit cessio, v. gr. de bonis familiæ Regiæ, tamen jus regis et possessorium debet probare, Dec. 5. p. 62. Quemadmodum fassione cum clausula: nil juris etc. de recuperandis celebrata, fatens suo nomine, absque refassione sibi facta, D. 7: p. 19. 15. p. 65. litem prosequi non potest, Dec. 1-ma et 9-na de Actoratu reali, verum cessionarius vel fassionarius, et quidem non qua fatentis Plenipotentiarius; ita, mortuo ante litis sub Actoratu cessionarii inchoatæ conclusionem fatente, cessionarius amplius agere non potest 77: 1-mæ. Actio fundatur in 13: 1-mæ 54. 1-mæ. Ulad. 1: 54. ad removendos vero obices in 59: 60. 1-mæ 52: 2-dæ 47: 1723.

§. 246. Processus juris potest etiam erigi fundamento sententiarum adjudicatoriarum Judicum Regni ordinariorum, aut Curiæ, quæ sententiæ executione firmatæ usu et possessorio roboratæ debent esse, sensu D. 11. p. 65. et Actori ac fundo applicari; fundatur Actio in Lud. I. Articulo 20.

52: 2-dæ. Privilegium vero, vel sententia curialis usu roborata, per subsequas involationes, occupationes nunquam obsolescit, (nisi præscriptum sit) D. 10. 12: p. 65. licet Tab. R. tale privilegium ad probam juris non sufficere declaraverit Pl. 208.

§. 247. Juris processus habet locum, si bona, ad quæ quis solidum et firmum jus habet, non scitur quali modo et titulo ad alienas manus devenerint, vel scitur quidem, verum per intermedii temporis possessores multis involutionibus, v. gr. fassionibus, donationum superinductionibus sunt affecta. Idem processus habet locum in antiquis quoque pignoribus, si realitas, idest, usuroboratio pignoris non possit probari, quod, si Pars I. producat, sicque jus actoris agnoscat, potest Actor ad reluitorium relegari, vel liquidatio Incatti eodem foro Tabulari audiri; habet porro locum in antiqua successione contra Fiscum vel extraneum cum non potest A. assignare et probare titulum, quo ad I. pervenerunt bona, ut sic ad illum pandendum adstringatur. Imo, Fiscus quoque ex defectu vel nota antiqua procedens juris probam præstare tenetur, idest, jus et possessorium deficientis vel notorii docere.

§. 248. Is vero, qui nec privilegium producere, nec titulum deventionis bonorum, per antenatos suos nefors firmo jure (vel re quidem ipsa infirmo, sed eo titulo, cujus infirmitatem si in possessorio esset, per Fiscum doceri posse non metueret) possessorum, ad alienas manus factam adsignare, sicque nec instituto juris, nec alio posset agere, unice ita bearetur, si novam donationem impetraret, contradictores autem, eidem, tantum

possessorium, (saltem non jus distinctum, vel contractum solidum cum antenatis Actoris initum, aut denique præscriptionem) opponerent, nam in dubio jure ejus possidere præsumerentur, et ad liquidationem adstringerentur.

§. 249. Quædam Decisiones in materia donationali expenduntur. §-phis 250. 251. 252. 253. idem continuatur.

§. 249.

Non miror perplexos redditos esse adolescentes, ubi contrarias traditæ hic donationali doctrinæ Decisiones Curiales legissent, nam ego ipse rationes earum non perspicio, atque absque piaculo in dubium revocari posse puto. Speciminis causa aliquas adduxisse juvabit. Pag. 56. Dec. 9. huc redit: Impetrat Petrus pro solis maribus, impetitur per Paulum transactioni cum eodem initæ, et ad utrumque sexum extensæ (vi cujus partem bonorum retinet) superinducit consensum regium absque jure regio. Deficientibus maribus, Fisco regio sunt bona addicta per utramque Tabulam. Hoc jure potuisset fieri, si Fiscus primævam donationem firmo titulo impetratam, adeoque, Pauli jus nullum, consequenter cum eo initam transactionem ineptam fuisse demonstrasset; ast Curia illam rationem Decisionis adsignat, quod jus regium consensui non sit adnexum; ast, si illud necessarium erat adnectere, nihil potuit ex defectu masculorum ad Fiscum redire, si vero ex defectu masculorum Fisco adjudicari debuerunt bona, ita tempore consensus impetrati nullum jus regium inerat in bonis. Curia ergo supposuit, et

firmum jus masculorum fuisse, quia illud Fisco adjudicavit, et infirmum, quia ante defectum illorum jus R. in bonis eorum latuisse, et consensui adnecti debuisse adseruit.

§. 250. Pag. 65. Decisio 14 ta, celebratæ per filiam super bonis solos mares concernentibus, sed per utrumque sexum possessis, fassioni consensus cum jure regio superinducitur, per mares Statutioni contradicitur, filia ultimi deficientis in juribus sexus masculini præficitur; ab impetitione hujus utraque Tabula absolvit fassionarium. Etiam hoc jure potuisset fieri, si fassionarius probasset tempore celebratæ fassionis jus R. ipsi collatum latuisse, non tantum feminas, verum et ipsos mares infirmo jure possedisse, præfectionem nihil valuisse; ast Curia istam rationem Decisionis suæ adsignat; quod eventuale jus regium fassionario collatum sit, adeoque supponit, nullum jus regium fuisse in bonis tempore celebratæ fassionis, verum familiam fatentis filiæ firmo jure possedisse; per jus regium eventuale itaque, illud jus regium collatum est, quod consensus regius solet conferre; atqui per consensum non aliunde enasciturum jus regium confertur, quam ex defectu vel nota fatentis; in dicto vero casu, etiam si bona utrumque sexum respexissent, et filia fatens in sua linea defecisset, tamen filia ultimi deficientis masculi adhuc superstite, nullum jus regium redivisset ad Fiscum; ex subsequo defectu vero masculorum, firmo, et (prout præfectio ostendit) privativo jure utentium enatum jus regium, non potuit prævie conferri, per consensum, fassioni, non per mares, verum per sororem nullum jus ad bona habentem, celebratæ superinductum.

§. 251. Pag. 65. Dec. 21. negat Curia impetrationem ex defectu vivi hominis anticipari posse; cum tamen D. 18: p. 58. item, pag. 77. Dec. 45. bona per solum sexum masculinum firmo jure possessa, per ultimum deficientem pro utroque sexu impetrari, nec post defectum masculorum illa amplius conferri posse, utraque Tabula stabiliverit. Hæc ultimi deficientis filiabus facta et stabilita donatio, vel anticipata impetratio, adeoque, etiam si illud nomen ipsi inditum non sit: exspectativa gratiæ fuit, vel nihil valuit, eo quod jus regium adhuc enatum non erat, adeoque conferri non poterat.

§. 252. Pag. 65. Dec. 24, masculis, penes novam donationem, statutione (quod quidem relate ad sexum et Fiscum observasse nihil adtinebat) destitutam, ad exclusionem sexus feminei (alioquin inoperose) agentibus, per utramque Tabulam imposita est, non privativi possessorii, aut juris præhabiti, sive firmi sive infirmi, ut D. 41: p. 76. desiderat, verum solidi, prout contra extraneum, non possessorium possessorio, verum jus juri opponentem, edoctio, secus ingessio Fisci metuenda intentabatur, quasi inter sexum et sexum de effectu novæ donationis disputantem, infirmitas juris subversari posset, quasi item, nova donatio, stante possessorio, ideo quod jus regium in bonis fuerit, stare non posset.

§. 253. Decisio 2. pag. 155. negat fassioni, super bonis per fatentem partim possessis, partim non possessis celebratæ superinducti consensus et juris regii statutionem, ad non possessa extendi, atquæ, contra possessores eidem non contradicentes ex puritate statutionis agi posse, (cui etiam

Dec. 29-næ Jan. 1805. in causa Eszterháziana consonat) quod quidem, relate ad consensum, Decisioni 15. p. 69. (ubi ad non possessa extenditur statutio, et processus contradictorius admittitur) relate ad jus regium vero Decisioni 50. p. 75. qua ad non emta extenditur jus regium consensui adnexum, contrarium est etc.

CAPUT IV.

De æqualitate vel inæqualitate Juris, inter sexum et sexum.

§. 254. Præsumtionem quoad bona donationalia pro maribus, quoad alia vero pro utroque sexu militantem, clausula acquisitionalium vel confirmat, vel evertit. §. 255. Si ea pro sexu masculino vel utroque clara est, in favorem feminarum, non vero masculorum potest præscriptione enervari. §. 256. Eandem mutans primus acquisitor, suis successoribus, non vero Fisco ponit legem, cui nec prodest, nec nocet. §. 257. Absente clausula, vigor præsumtionis, pro maribus et fisco militat. §. 258. Ast contra claram in fundamentali pro hoc vel illo sexu clausulam, contraria et clara in alio instrumento clausula non inter sexum et sexum, verum inter Fiscum et sexum femineum valet.

§. 254.

Extradonationalia bona utrumque sexum concernunt, donationalia vero solum sexum masculinum; nisi contrarium certo constet; quo fine attendendum

Primo, ad clausulam acquisitionalium literarum ut sunt: donatio, fassio, inscriptio, donatio privata, testamentum, pignoratitiæ literæ etc. 1-mæ: 21. §. 6. Dec. 24: p. 65.

§. 255. Si clausula sonat expresse pro solis maribus, bona solum sexum masculinum concernunt, nisi feminæ præscripserint 1-mæ 46. §. 6. 60. §. 9. D. 16. p. 82. quia in talibus bonis habentur pro extraneis, et possunt præscribere; nam quod præscriptio inter sangvinem non currat, hoc de bonis indivisis et communibus intelligendum est, verum Fiscus auferret bona donationalia (non item alia) feminis, nisi a defectu vel nota masculorum centum annos in bonis expleverint. Si vero clausula expresse pro utroque sexu sonet, concernunt utrumque sexum, et contra feminas nec præscriptio 1-mæ 78: §. 5. nec ullum molimen masculorum valet. Dec. 22: p. 59.

§. 256. Primus acquisitor potest contra clausulam acquisitionalium bona regulare vel testamento, vel aliter, idest bona vi clausulæ solos mares concernentia potest utrique sexui dare, quæ regulatio durat in donationalibus, donec mares defecerint Dec. 56. p. 144. vel notam incurrerint, tunc Fiscus auferret feminis, nisi consensus pro utroque sexu esset superinductus, vel a defectu masculorum 100 anni expleti essent. Versa vice, bona utrumque sexum ex clausula concernentia potest pro solis maribus regulare, et illis deficientibus non Fiscus, verum feminæ succedent. Si non regulavit, verum tantum filio legavit, filius potest regulare; secus apud descendentes hujus utrumque sexum concernent D. 24: 141. et Adonyiana 1805. item Meszlényiana 21. Maji 1806.

§. 257. Etiam si nulla clausula sit in donatione, tamen censetur Princeps successoribus impetratoris dare voluisse, verum solis maribus. Idem valet de bonis, quæ impetrator vigore clausulæ, absque subsequo consensu regio aliis potuit dare, apud cessionarium solos mares concernent, relate ad Fiscum, secus quam si apud impetrantem mansissent.

§. 258. Si vero diversæ literæ super eodem bono utraque cum claris et expressis, verum sibi contrariantibus clausulis adsint, v. gr. fassio sonat pro utroque sexu, consensus pro solis maribus expresse, si in possessorio sint feminæ, non possunt per mares vi talis consensus ejici, quia et radix adeptionis 21: 1-mæ, et usus pro illis militat. Ergo inter sexum et sexum quidem si sit quæstio, bona talia utrumque sexum concernent, verum si fatens et masculi fassionarii defecerint, Fiscus feminis controvertere poterit. Versa vice: fassioni pro solis maribus celebratæ, superinductus pro utroque sexu consensus, non maribus, verum Fisco nocet. Radix adeptionis, hic sumitur pro origine adeptionis, idest, originaria acquisitione, alias sumi solet etiam pro principali causa et motivo adeptionis, 75: 1-mæ uti jam dicetur.

§. 259. Dubiam clausulam: Hæredibus et Posteritatibus, radix acquisitionis, idest, præcipuum collationis motivum interpretatur. §. 260. Tandem natura honorum, prout scilicet privilegialia fuerint vel non. §. 261. Porro: clara clausula in alio instrumento, v. gr. consensu vel mandato statutorio. §. 262. Et denique usus, quod quidem circa novam donatio-

nem, relate ad Fiscum cum grano salis accipi debet. §. 263. Erroneæ quædam interpretationes dubiæ clausulæ. §. 264. Præsumtionem supra attactam evertit dispositio primi acquisitoris, confirmat vero, quoad extradonationalia, natura bonorum, quod posterius exemplis illustratur. §. 265. Ad exclusionem sexus feminei per mares §. 266. Ad transumta literarum autem, §. 267. Et ad æqualitatem juris per feminas agitur, atque si aliqui ex Co-Incattis juri sexus feminei inhæreant, pro parte marium reconventioni locus datur.

§. 259.

Clausula: Hæredibus et posteritatibus, tam ante Verbőczium, quam post illum dubia semper est ad quam explicandam attendi debet 1) Ad radicem adeptionis, non ad ramum, seu appendiculam, v. gr. si bona donatione mixta, idest, partim pro pecunia, partim pro servitiis sunt collata, dubia illa clusula solos mares indigitat, (eo magis si pro solis servitiis sit donatio) 1-mæ 17, 18, 21. quia merita sunt radix adeptionis, pecunia vero est tantum appendicula. Sed tamen feminæ ex pecunia participabunt 1-mae 21, (nisi pecunia tanta data sit pro bonis, ut vix tantum valeant, quia tunc secundum communem aestimationem exsolventur) licet illa acquisita, verum per impetratorem testamento regulata non sit.

§. 260. 2) Attendendum ad naturam et indolem bonorum, v. gr. si bona sint pecuniis emta, dubia illa clausula utrumque sexum denotat, D. 25: 141. Quia pecunia ex natura sua, velut res mobilis, utrumque sexum sequitur, 19: 102. 1-mæ.

§. 261. 3) Si diversæ literæ de eodem bono adsint, v. gr. adest et fassio et consensus cum clausula dubia, donatio contra Fiscum, fassionem, ad quam refertur, ejusque naturam sequi debet, ac si clare pro utroque sexu sonaret; si consensus contra dubiam fassionis clausulam clare pro maribus sonet, contra feminas, non maribus, verum post eorum et fatentis defectum Fisco prodest. Si vero fassio cum clausula pro utroque sexu sit, consensus autem cum clausula dubia, hæc vel ratione Fisci utrumque sexum designat, D. 17. p. 58. clausulam etiam fassionis maribus faventem in suo esse relinquit. Si quis tamen acquisita pro solo sexu masculino bona regulet testamento pro utroque, consensus cum dubia clausula testamento superinductus relate ad Fiscum solos mares concernet, ita Dec. Cur. 18. p. 58. quamvis, non a privilegio primævo, verum a testamento, velut correlato et proximo instrumento deberet interpretationem sumere, adeoque iste consensus inanis est; nam pro feminis, contra masculos, dispositio primi acquisitoris sufficeret. D. 56: 144. Sic: Mandatum statutorium, licet cum clausula: Cum nos etc. adeoque a donatore datum, clausulam donationi contrariam habens, non attenditur quidem (quia Mandatum non est gratiale, verum judiciale; et quamvis in genere et abstracto, jus de quo incidentaliter agit, probet, tamen pro objecto principali statutionem habet) clara tamen clausula ejusdem mandati, dubiam privilegii, tardius etiam extradati, interpretabitur.

§. 262. 4) Attendendum ad usum; si penes acquisitionales, vi divisionis, uterque sexus ingressus est possessorium, clausula illa utrumque

sexum denotat, etiamsi divisionales in simplicibus tantum paribus producerentur per feminas, D. 4: p. 50. Sic: si femineus sexus in usu bonorum fuit tempore emanatæ cum illa clausula novæ donationis, tunc quoque utrumque sexum significat quidem, ast Fiscus, jus anterius, idque privativum masculorum probans, feminas præhabito possessorio, et nova donatione, licet clare pro utroque sexu impetrata provisas, post defectum eorum e bonis ejiciet, quia et per mares potuissent ejici, nisi præscripserint. Versa vice: si novæ donationi, pro utroque sexu impetratæ, verum (eo quod soli mares possederint bona) solos mares juvanti, jus R. adnexum latuisse probetur, post defectum masculorum non Fiscus, verum feminæ succedent. — Bona per notam amissa cum dubia clausula, vel absque ulla recuperata, ejusdem naturæ erunt, cujus prius erant, sic in præfectionalibus quoque pro solo sexu masculino interpretanda est dubia clausula.

§. 265. Monent aliqui, etiam interesse, an femina vel mas fuerit impetrator? quia si femina sola impetravit, dubiam illam clausulam, utrumque sexum denotare dicunt: si vero mas, meritis castrensibus impetrata cum tali clausula bona solius sexus masculini, civilibus vero impetrata utriusque sexus esse contendunt. Verum Verbőczius 17. 18. 88. 1-mæ, omnia bona servitiis acquisita solius sexus masculini esse dicit. Licet itaque præter nomen mariti, etiam uxoris nomen inseratur donationi, id tamen, nisi clausula pro utroque sexu posita sit, filiabus non inserviet 48: 1-mæ: eadem est ratio, si filiæ nomen insertum est donationi per patrem impetratæ, quia filia non tam

virtute successionis, quam donationis, possidebit, quia vi 43: 1-mæ, bona in tot partes debent dividi, quot personæ sunt in donatione. Si femina sola impetravit, pariter vel mariti defuncti, vel antenatorum merita et servitia subversantur, adeoque inde non sequitur, bona, eo ipso, utrumque sexum concernere apud successores.

§. 264. Secundo. Attendendum ad dispositionem primi acquisitoris, qui non tantum immobilia, verum etiam mobilia D. 26: 141. contra naturam illorum potest regulare.

Tertio. Si nec clausula, nec dispositio primi acquisitoris adsit: attendendum ad indolem et naturam bonorum, sic. v. gr.

1) Cambium sequitur naturam cambiati, D. 20. p. 122. idest, bonum, quod acceptum est in cambium, erit illius naturae, cujus erat illud, quod datum est. Si tamen bonis solum sexum masculinum concernentibus in cambium datis superaddita fuit pecunia, ex ea feminæ per mares exsolvendæ erunt, 1-mæ 75. Si testamento, vel amica divisione, acquisita, avita, utrumque vel solum sexum masculinum concernentia, mobilia et immobilia commassentur et dividantur, etiam tunc cambium sequetur naturam cambiati; idest, apud posteros fratris, qui nulla bona sexus masculini accepit, ratæ ex illis debitæ æquivalens pars acceptorum bonorum, solum sexum masculinum concernet, et vice versa, ut suis locis dicetur.

2) Si bona sunt praescriptione acquisita, semper ille sexus habebit, qui sub annis præscriptionis possedit, 1-mæ 78.

3) Res mobiles ex natura sua utrumque sexum concernunt, D. 25: p. 141. exceptis utensili-

bus et meliorationibus ad bona solum masculinum concernentia pertinentibus, quæ filiis cedunt præ filiabus, D. 8. p. 138. 20: 140. licet per communem patrem positæ sint, (non item collateralibus patris præ filiabus ejus, eo minus Fisco) Tabula Regia ex meliorationibus filias cum fratribus suis concurrentes exsolvit. Pl. p. 212.

4) Etiam pignora habentur pro rebus mobilibus: ast pignus per condivisionalem fratrem æque condivisionali fratri de bonis solum sexum masculinum concernentibus celebratum, solum masculinum concernet in dubio. Ex pecunia pignori tali, aut secus pro maribus regulato, investita, sorores exsolvi debere decidit Curia 51: p. 143, 45: p. 145. Tabula R. in ipso pignore dedit successionem filiabus Pl. 215.

5) Utriusque sexus sunt perennaliter emta, quia pecuniam repræsentant. Nisi expresse ad liberam dispositionem emta sunt, et consensus pro solis maribus inductus est, quod si factum est, et pecunia ementis, et consensum inducentis, acquisita fuit, nec ille quidem de ea disposuit, illa vi Decis. Cur. sub Nro 1-mo p. 136. solos mares concernet. Aliter est in bonis donatione mixta acquisitis 1-mæ. 21: §. 2. feminæ de pecunia participant, si illa non sit regulata. — Si vero donatio mixta ita est regulata, ut post defectum marium succedant in pecunia, Fiscus tunc exsolvet, D. 6: p. 157. licet D. 5. p. ead. supponat, cujusque deficientis lineæ sexui femineo solvi debere per collaterales masculos. Tab. R. vero, primi acquisitoris, non vero ultimi deficientis filiabus voluit solvi, Pl. p. 212. Bona per fratrem a fratre emta, et solos mares vi donationis concernentia,

nec apud emtorem erunt utriusque sexus; quia ex radice adeptionis solum sexum masculinum concernunt, 21: 1-mæ, ex pecunia tamen feminæ participant.

6) Bona quoque in homagium interemti Nobilis, 1-æ 17. 3-tiæ 5. aut quartalitii titulo, 1-mæ 17. aut in redemtionem capitis 1-mæ 59. 2-dæ 55, 56. vel titulo dotis data, (quia sunt legalia pignora, et quia dos feminas concernit) utriusque sexus sunt.

§. 265. Processus hinc enascuntur sequentes:

Primus ad exclusionem sexus feminei. Movetur per mares, contra femineum sexum, qui in bona solum sexum masculinum ex radice concernentia irrepsit. Actio fundatur in 17. 18. 21. 48. 1-mæ, fundamento adjudicatoriarum Judicum Regni ordinariorum, aut Curiæ, in 52: 2-dæ. Ad Actoratum consequendum, debent se mares, præcipue si feminæ genealogiam ipsorum controvertant, ad primum acquisitorem deducere, D. 5: p. 79. Literas bona actionalia tangentes sub juramento revelare, elenchum illarum producere, quas feminæ voluerint communicare, et quidem non solus literarum conservator, ut D. 2. p. 109. habet, verum omnes mares debent jurare, D. 2. p. 79. imo etiam feminæ, si aliquod vestigium sit ad illos, vel illas literalia devenisse, D. 12. p. 81. — Tandem jus privativum masculorum, præterea possessorium eorum privativum initio habitum, id-est, quod initio in illis bonis feminæ non diviserint, edoceri debet. Quia licet postea diviserint, per id tamen non juris, verum tantum sangvinis communio probatur inter sexum et sexum. Observandum tamen, non semper debere mares priva-

tivum originarium usum probare, nam si et radix adeptionis et clara clausula pro maribus solis militet: excutiuntur feminæ ex possessorio bonorum, licet diviserint, nisi præscriptio intervenerit, Dec. 16. pag. 82. Ergo, tunc maxime probandus est ille privativus originarius usus ad exclusionem, si clausula sit: hæredibus et posteritatibus. His per mares probatis, liquidatio feminis imponitur, et illis meliorationum ædificiorum, exstirpaturarum pretium refunditur, D. 11. p. 81. quarta exsolvitur, D. 4. p. 80. non item aliæ expensæ possessoribus incumbentes, D. 7. p. 80. Movetur processus coram Tabula Regia, quia est juris processus; etiamsi non essent bona privilegialia, nam inter sangvinem omnis litera acquisitionalis privilegio æquivalet, sive valida sit contra extraneos, sive non. Feminæ se præscriptione defendere possunt, si possessorium illarum non pignoratitio, verum divisionario, vel alio ad præscribendum habili titulo inchoatum fuerit. — Si fassionem producant, agnoscunt jus privativum masculorum, qui ad invalidatorium Institutum relegantur, D. 5. p. 80.

§. 266. Secundus processus est ad transumta literarum. Movetur æque coram Tab. R. per feminas. Fundatur Actio in 42: 1-mæ et 15: 2-dæ; probari debet sangvinis nexus cum maribus, D. 1: 109. Actoratu stabilito, juramentum revelatorium per feminas et per judicem elaboratum maribus imponitur, D. 1. pag. 79. et quidem si nemo literarum conservator sit, omnibus maribus, qui elenchum omnes subscribent, et Judicio exhibebunt, ex quo selectæ per A. literæ per Curiam quoad formam externam, an aliquid valeant, examinan-

tur, transumuntur, et in transumtis sub sigillo judiciali Regis per Personalem extradantur citra discussionem valoris interni, D. 10: p. 110. Incattus non potest eodem processu petere, ut Actor quoque revelet, hic non datur reactio, D. 4. 109. 3-tiæ p. 184. Verum alio processu etiam mares possunt petere transumta literarum apud feminas nefors existentium. Ante juramenti depositionem non datur appellata, D. 1: p. 166. quia non est litis decisorium, verum super nexu qualiter probato post juramenti depositionem, ante tamen revelationem dabitur D. 11, 12. p. 110. Ex eadem ratione datur locus novo, quia non fuit juramentum litis decisorium, verum revelatorium. Processus hic pro causis passivis defendendis motus, est extraserialis, non item pro activis movendis D. 8, 9. p. 10.

§. 267. Tertius processus est: ad æqualitatem juris, seu successionali divisionalis ex jure, nam in bonis manifeste utriusque sexus, divisio ex usu quæritur. Dec. Cur. 9: pag. 81. Movetur per feminas quæ exciderunt ex possessorio bonorum ex radice utrumque sexum concernentium, evocantur omnes mares actuales bonorum possessores, D. 8: 80. probatur nexus sangvinis, et si adhuc ad transumta non est actum, petitur, Actoratu stabilito revelatio sub juramento, D. 6. p. 80. tandem debent feminæ jus commune ex originalibus aut transumtis probare, et, si id probaverint, licet adhuc non diviserint in bonis, tamen triumphare possunt, (nisi sit clausula dubia, tunc enim possessorium seu usuroborationem debent probare) quia inter sangvinem ad exclusionem non currit præscriptio per pri-

vativum usum inducendæ; solvere debebunt meliorationum per mares procuratarum pretium. In hoc processu datur reconventioni locus, nam si aliqui ex Coincattis juri sexus feminei inhæreant, mares Incatti habent jus probandi contrarium relate ad bona per Coincattos possessa, et per ipsos Actores liti substrata D. 5. p. 80. non ergo quoad bona nefors per ipsos mares possessa, nisi in quantum revelatio illis incumbit. D. 6. p. 80. Æque decurrit processus hic coram Tabula Regia, fundatur Actio in iisdem legibus, in quibus ad exclusionem fundari diximus. Æqualitate agnita vel adjudicata, ad forum divisionis relegari possunt, D. 15: 82. et 9: p. 81.

In processu ad æqualitatem juris sæpe alternativa est petitio, vel enim æqualitas juris petitur, vel, illa ex acquisitionalibus non eveniente, quartalitium.

CAPUT V.

De Quartalitio et Jure capillari.

§. 268. Quarta per quem, cui, unde, et quoties præstatur, et quibus beneficiis gaudet? §. 269. Imitatur naturam successionis, §. 270. Factum unius ex sororibus, aut antenatorum non obstat æqualitati vel quartæ petendæ §. 271. Ex quibus bonis non datur. §. 272. Non tollit successionem feminarum in meliorationibus. §. 273. Modus eam exsolvendi pecuniis. §. 274. In mobilibus, et quidem dupliciter. §. 275. Processus quartalitii. §. 276.

Jus capillare quibus, per quos, et unde datur. §. 277. Differentia ulterior inter quartam et jus capillare. §. 278. Processus juris capillaris, et observationes quædam practicæ.

§. 268.

Quartalitium est quarta pars jurium possessionariorum, pura donatione maribus collatorum, mulieri uni vel pluribus, ad primum acquisitorem proximis, aut illarum successoribus, per mares, vel Fiscum semel præstanda. Quarta non est successio; hinc cum onera veri tantum successores ferant, filiæ, quibus quarta datur, non obligantur ad debita patris solvenda, D. 4. p. 84. Nec potest tolli testamento, licet acquisitor bona alienare non vetetur.

§. 269. Imitatur tamen naturam successionis in eo, quod nec remotiori ante vel cum proximiore D. 10. p. 81. (v. gr. pronepti primi acquisitoris, filia carentis, ex uno, pariter filiam non habente, cum nepte ejusdem ex altero filio nata) nec filiis vel filiabus vivente matre, cui quarta debetur, detur Actoratus ad excisionem ejus contra fratres matris, uti nec ipsi matri vivente patre, verum post fata hujus, quia viventis nulla successio, item in eo, quod filiæ quæ quartam accepit, vel accipere debuisset, deficienti, sequentis generationis filiæ succedant, v. gr. filiæ primi acquisitoris, neptes ejus ex filiis; et denique, quod prout alia bona indivisa, ita et quarta a Præscriptione immunis sit.

§. 270. Etiamsi aliqua ex feminis contenta fuit rata parte ex quarta ipsi obtingente, tamen reli-

quæ possunt ad æqualitatem juris, imo etiam successores earum, quæ quartam ex bonis utrumque sexum concernentibus acceptarunt, ad invalidationem illius facti, agere, æqualitatem juris petere.

§. 271. Quarta non datur ex bonis, quæ ita regulata sunt in donatione, ut post defectum masculorum bona, vel summa nefors inscripta ad feminas transeat, D. 1: p. 84. quod quidem beneficium filia ultimi deficientis accipit, sed ea deficiente, ordine retrogrado, penultimi succesores, et sic porro. Ex extradonationalibus pro solo sexu masculino regulatis non datur quarta, ut nec ex bonis Episcopalis collationis, nec ex bonis Majoratus in ipsa donatione instituti.

§. 272. Licet vero ex donationalibus pro solo masculino regulatis quarta jam extradata sit, tamen ultimi deficientis filiæ in meliorationibus bonis investitis succedunt, et per Fiscum exsolvi debent, quia talia sub regulationem donationis non cadunt.

§. 273. Quarta dupliciter potest exsolvi, vel pecunia scilicet, vel in natura.

1) Pecunia sic: conscribuntur omnia bona, ex quibus quarta debet dari, cum omnibus appertinentiis, v. gr. fundis colonicalibus intravillanis (verum agri colonicales præter exstirpaturas per colonos factas et possessas eo non conscribuntur) et in quatuor partes sequestrantur, quarta pars communi æstimatione æstimatur, et vel statim pecunia illa puellis deponitur, 1-mæ 89, vel in pignus eadem quarta pars illis relinquitur; aliud nihil debent acceptare pecuniæ loco, nisi equos 1-mæ 101. velut apud bellicosam gentem facile vendibiles.

§. 274. In natura etiam duplici modo, primo: perennaliter, si puella, consentiente patre vel fratribus, nupsit impossessionato, quam nec Fiscus poterit ejicere ex bonis, licet pater vel fratres defecerint; si vero ipsa defecerit, bona ad fratres: vel Fiscum redibunt, sequentis generationis filiabus pecunia satisfacturum. Modo redemtibili sic: si quis acquisitor absque hæredibus masculis deficiat, filias innuptas vero relinquat, quarta pars bonorum cum domo paterna apud ipsas manet, donec nupserint, tunc Fiscus vel alii in 43: 1-mæ 47: 1723. et 60: 1-mæ quærendi, communi æstimatione rediment 1-mæ: 29. §. 5. etc. Eadem est ratio, si filius primi acquisitoris filia carentis deficiat, et filiam relinquat, cui per fratres ejus (v. gr. ex bonis in statu indiviso per deficientem impetratis, aut postea cum fratribus coimpetratis) vel per Fiscum 4-ta debeatur.

§. 275. Processus est ad excisionem quartalitii. Potest etiam in processu ad æqualitatem moto peti quartalitium. Si separato processu quæratur, vel quæritur coram foro successionalis processus, et tunc fit ex mero usu, si fratres non difficultent quartam, et feminæ contentæ sint illa, verum tantum de modo excisionis et quantitate sit lis. Si vero fratres difficultent quartam dare, disquisitio literalium instrumentorum acquisitionalium subversatur. Quod nonnisi coram Tabula Regia fieri potest, ergo ibi movetur processus. — Actoratus quæstio est, ut se demonstrent filias primi acquisitoris, vel proximi ad primum acquisitorem, aut ex talibus filiabus condescendere, bonaque talia esse, ex quibus debeatur quarta. Talia sunt etiam præfectionalia. Actio fundatur in 29. 88, 89. 1-mæ,

si mares agant ad exclusionem, possunt excisionem quartalitii offerre, vel eam feminæ via reconventionis petere, eo quod divisionem sapiat.

§. 276. Jus capillare consistit in habitatione, intertentione et emaritione puellis præstanda. — Ex illis bonis datur jus capillare, quæ feminas quoad proprietatem non concernunt. — Debet dari per omnes generationes, licet quarta alicui ex præcedentibus puellis exsoluta sit. — Mortuo patre habet locum. Quæ bona utrumque sexum concernunt, ex illis non jus capillare, verum æqualis rata datur puellis. — Uti quartalitium, si adhuc non sit extradatum, ita jus capillare, (quod utrumque eidem personæ competere potest) omnes debent dare, qui in bonis succedunt, adeoque non tantum filii et collaterales defuncti condividentes vel coimpetratores, verum et Fiscus, si ex defectu vel nota succedat, et Donatarius, cui bona, ex defectu vel nota collata sunt.

§. 277. Licet bona extradonationalia vel plane mobilia sint, si tamen solum sexum masculinum concernant, debet jus capillare per fratres ex illis dari, licet quarta non detur. Ut etiam ex illis bonis, in quibus feminæ sive ante, sive post totalem defectum marium in summa inhærente succedent, vel filiabus ultimi deficientis, eo magis aliis debet præstari jus capillare Dec. Cur. 2. p. 84. 21: p. 165. 5. p. 137. licet Tabulæ R. contrarium placuerit Pl. p. 210. et 215. Si Ordinem religiosum ingressa sit puella, nec quarta, nec jus capillare illi competit. D. 5. p. 84.

§. 278. Si is, qui in bonis successit, nolit jus capillare præstare, potest moveri Processus coram Judice successionis, D. 18: 164. Actio fundatur in

l-mæ 29. 30. 67. doceri debet Actricem esse filiam defuncti, cui Incattus successit, vel Actorem ex illa descendere. In quarta et jure capillari, nec liti, nec juri præscribitur. Emaritationis autem qualitas a parentum arbitrio pendet, per successores vero pro exigentia bonorum præstari debet, D. 17. p. 140. 54: 145. l-mæ 67. Ejecta e bonis puella, si repositionem petat, et prius nubat quam processus terminetur, fine bonificationis juris capillaris neglecti ad aliud Institutum relegatur. D. 7: p. 193.

CAPUT VI.

De Jure viduali, Allatura ac Parapherno.

§. 279. Jus viduale quid sit, per quos, et ex qualibus bonis detur? quæ sint bona non juri viduali, verum successioni viduali vel conjugali obnoxia. §. 280. Ulterior differentia inter jus viduale et successionem vidualem, vel conjugalem. §. 281. Modi præstandi jus viduale. §. 282. Et illud amittendi. §. 283. Viduo non competit.

§. 279.

Jus viduale consistit in competenti habitatione, intertentione, et (cum vidua ita considerari debeat, velut filia familias) si nubere velit, 67: 1. §. 2. emaritatione viduæ, item in dotis exsolutione. Hæc omnia dantur ex talibus bonis per maritum possessis et relictis, in quibus vidua non succedit, qualia sunt quoad descendentes, omnia avita mariti, item acquisita perennali titulo absque insertione nominis uxoris; quia in aliis,

utpote mobilibus acquisitis, item, quæ titulo pignoris maritus acquisivit, aut perennaliter quidem, verum cum insertione nominis uxoris, l-mæ 48. 102. Vidua ab intestato succedit marito, vel sola, vel si proles adsint, cum illis dividit. Si cum prolibus dividit, vocatur successio vidualis. Si illis absentibus sola succedit, successio conjugalis. Et hæc conjugalis est mutua inter uxorem et maritum; conjugi ab intestato absque prolibus morienti, in rebus prærecensitis, et omnibus disponibilibus, superstes conjux succedit 1687: 11. verum vidualis successio solas viduas concernit, vidua in rebus prærecensitis succedit marito cum prolibus ab intestato; maritus non succedit uxori, si proles adsint. Quoad ascendentes et collaterales, avita tantum, (in regula scilicet; nam addi debent etiam bona in statu indiviso absque inserto uxoris nomine, licet per fratrem defunctum solum, item in statu diviso cum fratribus coimpetrata) quoad Fiscum donationalia tantum cadunt sub ictum juris vidualis, D. 21. p. 165. reliqua ad conjugalem successionem spectant.

§. 280. Successio vidualis et conjugalis, nisi testamento sublata fuerit, est cum jure proprietatis, jus viduale vero regulari tantum, et non plane tolli potuit testamento, estque temporaneum, et consistit in solo usu fructu, usque tempus viduitatis vel vitæ duraturo, nisi quod dos cum jure proprietatis et plene dominii viduæ competat, et tam per viduam aliis legari, quam vero per successores viduæ, etiam ab intestato, in successoribus mariti desumi possit.

§. 281. Habitatio viduæ datur in residentia mariti, si proles adsunt non in splendidissima,

verum in alia honesta, l-mæ; 98. Sustentatio pendet a charactere et numero prolium mariti, quæ etiam provideri debent, et simul quantitate bonorum, non a quantitate dotis, ut l-æ 98. §. 5. dicitur. Si successores et vidua, eadem domo et mensa uti, aut super annua, vel semel præstanda solutione convenire non possint, vel nolint, pars bonorum exscindi et viduæ dari debet, quam, licet emaritata, non tenetur remittere, nisi dos ipsi, allaturaque et paraphernum cum investitionibus propriis et nefors maritalibus deponatur, vel, in securitatem horum omnium, 16. p. 164. in defectu parati æris, aliqua pars bonorum in pignore apud ipsam, etiamsi nubentem, relinquatur.

§. 282. Jus viduale ante mortem mariti non habet locum (quia maritus alio titulo tenetur suam uxorem alere) nisi culpa mariti divortium factum sit, quia tunc jura vidualia vivente marito exscindi debent, ob culpam itaque mariti vel delictum illius nunquam amittit vidua jus viduale, imo nec propter suum, licet deserat maritum, et cum eo usque mortem non convivat, nisi prævie, petente marito, per forum competens, illa derelictio pro culposa judicialiter declaretur, ita D. 5. p. 161. refragante Tab. R. Pl. 215. Propter adulterium vero amittitur jus viduale, nisi maritus illud vel expresse, vel tacite condonaverit, idest, cum uxore cohabitaverit, et illam affectu conjugali tractaverit; porro: amittitur, si ob aliam culpam uxoris divortium adinveniatur, vel illa se pro debitis coobligaverit, D. 19: p. 164. aut bona mariti, etiamsi sepulturæ ejus vel filiorum causa, 25: 1655. distrahat, debitis oneret, desola-

ri permittat, D. 12. p. 163. literalia familiæ sub juramento revelare nolit, 61: 1618. 67: 1622.

§. 283. Jus viduale viduo non competit, quia maritum uxor intertenere non debet, verum maritus tenetur uxorem, prout ex bonis ad eam non devolvendis et successores ejus, licet vidua propria bona avita, aut successione viduali vel conjugali ipsam concernentia habeat. Viduus ergo nonnisi qua tutor vel curator immanet bonis suæ uxoris aut titulo investitionum suarum, absentibus prolibus vero etiam uxorearum, aut plane titulo successionis conjugalis, et proprietatis.

§. 284. De Dote in genere. §. 285. Vidua est vel dotalista simplex, §. 286. Vel jure coacquisitionis gaudens. §. 287. Quod si legalibus modis eversum non est, consistit cum successione viduali, colliquescit vero cum conjugali. §. 288. Dos legalis in specie, vel maxime avitis bonis inhærens. §. 289. Et modus eam exsolvendi, item quantitatem ejus, si non est clara, eruendi. §. 290. De dote cum quarta quærenda, §. 291. Et amissione ejus.

§. 284.

Dos vel pecunia dotalitia est certa summa feminis legitime copulatis vel secundum legem, vel secundum contractum ex bonis maritalibus pendi solita. Datur in solatium viduitatis, ob fidem conjugalem; ergo, ob infidelitatem ita amittitur, sicut de ceteris juribus vidualibus diximus. Debet dari ut primum matrimonium ratum vel legitimum est, licet non sit consummatum, idest, ante

copulam carnalem maritus mortuus sit. Eadem est ratio reliquorum jurium viduæ competentium.

§. 285. Uxor, quæ in bonis mariti præter jus viduale et dotem, summum, præter ratam ex acquisitis mariti mobilibus et pignoribus ante matrimonium partis cum prolibus æqualem nihil habet quod prætendat, vocatur dotalista simplex.

§. 286. Si vero durante matrimonio res mobiles vel pignora, cum vel sine nomine uxoris, vel perennalia quidem, verum cum insertione nominis uxoris acquisivit maritus, in illis vocatur coacquisitrix, et medietas ad illam spectat, nisi maritus qua principalis acquisitor testamento de toto aliter disposuerit D. 4: p. 124. 11: p. 158. 30: p. 142. 5: p. 162. (quod potest præter colonos 5-tiæ 29. §. 5. et cives, sensu contrario 1-mæ 18. omnis nobilis, vel nobilitari et liberali modo acquirens maritus 1-mæ 18. 102.) aut debita vel alia onera reliquerit, D. 19: p. 140. 23: p. ead. 1: p. 161. 19: p. 140. vel porro: coacquisita ad avitorum per maritum abalienatorum redintegrationem debeant converti, vel denique coacquisita durante matrimonio consumta sint; D. 8. p. 162. licet Tabula R. coacquisitorum consumtorum medietatem per collaterales mariti defuncti ex avitis compensandam ordinaverit Pl. 226. In his quatuor casibus coacquisitio uxorem non juvat.

§. 287. Si vero maritus absque testamento, D. 11: 158. absque debitis, absque bonorum avitorum abalienatione mortuus proles reliquit, non potest quidem vidua de omnibus coacquisitis disponere, D. 22: p. 122. ast, vi coacquisitionis, suam medietatem ex mobilibus et pig-

noribus durante matrimonio cum vel sine nomine suo, perennalibus item cum nomine suo inserto acquisitis; vi successionis vidualis autem, ratam suam in capita, ex mobilibus et pignoribus ante matrimonium coacquisitis capit, (melior enim ejus conditio esse debet, quam non coacquisitricis, quæ tamen in mobilibus et pignoribus mariti acquisitis cum prolibus ejusdem in capita divideret) et hæc quidem clara sunt, verum, ut videtur, etiam in alia dictorum coacquisitorum medietate cum prolibus mariti dividit, vi ejusdem successionis vidualis, quia non in rata sua, verum in rata mariti debet succedere, atqui medietas etiam vivo marito fuit et mansit ipsius, marito ab intestato moriente, et coacquisitionales non evertente, vel evertere nequeunte: ideo vocatur coacquisitrix proprietaria) 67. 1622. hinc proles coacquisitricis, dictam medietatem velut privative matrem ipsorum mortuam concernentem, solæ, vi Decisionis 50: pag. 142. auferent, in alia medietate vero, velut paterna, cum prolibus ex alia conjuge per defunctum susceptis divident, quod quidem de nobilibus et libertinis tantum ab intestato, de civibus vero et colonis simpliciter verum est.

§. 288. Dos est 1) legalis, quam lex nobilium bona talia, in quibus vidua non succedit, relinquentium viduabus determinavit: et quidem, viduæ Regni Baronis 400 florenos, viduæ Magnatis, vel Nobilis 50 sessiones vel plures habentis, ex 1-mæ 95. (ex usu vero, etiamsi non habeat, tantummodo bene possessionatus fuerit) 200, in Transylvania 60 in Sclavonia 100 florenos. Primo nuptæ dos integra, secundo nuptæ media,

tertio nuptæ quarta pars, quarto nuptæ octava pars dotis legalis datur. Dotis hujus exsolutio fit vel rebus mobilibus, vel (si scilicet vidua bonis maritalibus jure viduali immaneat) immobilibus.

§. 289. Si quantitas summæ dotalitiæ ex lege clara est, in rebus mobilibus sic fit exsolutio: summa dotalitia, vel prorsus parata pecunia, vel, in parte, in rebus facile vendibilibus juxta condignum et verum illarum valorem pendi debet. In rebus immobilibus vero sic: ad vires summæ dotalitiæ ubi illa ex lege clara est, æstimatur pars quædam bonorum cum omnibus beneficiis et appertinentiis communi æstimatione, et bona, quæ tanti æstimabuntur, quantum summa dotalistica facit, viduæ in summa eadem impignorantur. — Quod ad minoris facultatis nobiles vero, quorum viduabus lex dotis quantitatem non determinavit, sic fit rebus mobilibus: bona omnia, præter extravillana beneficia, communi æstimatione æstimantur, et summa, quæ prodit, (v. gr. a singula sessione colonicali populosa 4 fl.) partim ære parato, partim rebus facile vendibilibus viduæ deponitur. Rebus immobilibus vero sic: pars quædam bonorum, cum omnibus extravillanis sumta, communi æstimatione æstimantur, et bona quorum communis æstimatio, priori summæ (ex æstimatione intravillanorum prodeunti) æquivalebit, viduæ in eadem summa in pignus relinquuntur 1-mæ 93. 154.

§. 290. Filia mea, cum dote matris suæ, potest suam quartam a fratribus suis, a Fisco, aliisque meis successoribus petere; quia utrumque meis (licet non iisdem) bonis inhæret; non item dotem aviæ suæ paternæ, licet meis bonis inhæ-

rentem; quia si illam ego ipse et solus debuissem præstare, et non præstiti, in bonum filiæ meæ cessi; nec dotem aviæ suæ maternæ, quia illam cum quarta matris suæ e bonis soceri mei ab avunculis suis petet Tit. 97: 1-mæ.

§. 291. Præter adulterium, 105: 1-mæ amittitur dos 1) si mulier secundo nupta ad eam levandam judicialiter admonita, bona, vel titulo juris vidualis, vel titulo dotis ipsi relicta non remittat et oblatam dotem non levet, 2-dæ 24. 2) Si judicialiter admonita literalia familiæ extradare nolit. 3) Si bona familiæ desolari faciat vel alienet, D. 12: 165. 4) Si mariti, vel filiorum corpora sepelire differat, etiam judicialiter admonita 1655: 25. tunc enim excisionem jurium vidualium differre, et omnia bona mariti diutius retinere vellet; eadem lex etiam de viduis maritis, uxores suas sepelire differentibus sonat, ne scilicet collateralium uxoris bona eo prætextu detineant. 5) Ob actum majoris potentiæ. 2-dæ 43.

§. 292. Dos contractualis a legali differt in plurimis. §. 293. Cum illa in aliquibus convenit, v. gr. quod utraque præmortuo conjuge cujus bona tangit, adeoque, quod mulierem attinet, viduæ vel successoribus ejus debeatur. — §. 294. Ratio hujus asserti. §. 295. Difficultates contra dotem nonnisi viduæ vel successoribus ejus debitam. §. 296. Una cum responsionibus ad illas. §. 297. Continuantur. — §. 298. Dotem successoribus mulieris marito præmortuo tribuentes, et in diversa abeuntes §. 299. Difficultatibus non contemnendis premuntur. §. 300. Eædem difficultates § 301. Porro quo-

que continuantur. §. 302. Argumenta quorundam ex illis pro dote præmortuæ uxoris, mortuo demum marito desumenda, a simili petita, cum §. 303. Decisione quam allegant, §. 304. Continuative excutiuntur.

§. 292.

Secunda dos est contractualis, seu scripta, de qua lex nostra tacet, nisi quod in genere contractus contrahentibus legem ponere dicat, et rei inhærens obligatio etiam ad successores transeat. Differentia inter dotem legalem et scriptam est, quod legalis solis Nobilium, nisi fors vi statuti vel consvetudinis (prout v. gr. apud quasdam Civitates, et apud Cumanos et Jaziges) aliter esset, et quidem possessionatorum viduabus competat, scripta vero omnibus. Dos legalis competit viduæ, scripta potest etiam per uxorem marito obligari, D. 5: 124. et D. p. 166. et vocatur contrados. Szegedi ad 12: 1222. Matth. 6: 27. Contradotem vocat ipsam dotem, fors quia doti Romanorum contraria est. Legalis non debet probari, contractualis vero debet per testes, vel contractum. Dos legalis ut privilegiata, exsolvitur ante omnes creditores mariti, nisi semet mulier Dec. 19. p. 164. coobligaverit. Dos scripta vero consideratur ut debitum quodcunque Decisio 20. pag. 164. 56: 160, et tantum ita præcedit reliquos creditores, si sit antiquior vel intabulata, et uxor semet non coobligaverit posterioribus creditoribus. — Dotem legalem solvere debet in defectu aliorum bonorum etiam is, cui maritus bona post matrimonium initum non perennaliter vendidit, verum oppignoravit, datamque hoc titulo summam pot-

est superinscribere, atque tempore reluitionis bonorum liquidare. Imo D. 25: 165. pater vel mater etiam, viduæ filii sui indivisi cum consensu suo ductæ, aut divisi quidem, sed inprolis, adeoque eidem succedens, prout jus viduale, ita illam ex avitis præstare tenetur (non item contractualem, Dec. ead. cui tamen Tab. R. refragabatur. Pl. 216. nisi subscripserit D. 2: 97. et acquisita habeat, D. ead.) quia inhæret avitis bonis; quamvis si vidua ante assignationem bonorum jure viduali tenendorum nubat, ex acquisitis (si adsint) exsolvi possit, D. Cur. 26. p. 166. ducto Tit. 95: 1-mæ. Dos contractualis vero acquisita tantum ferit, quæ si non adsint, possunt agere mariti defuncti successores, ut illa invalidetur, et vel ad legalem, vel saltem ad minorem summam reducatur, D. 1. et 5: p. 97. 2: p. 156. 1-mæ 161. Dos contractualis potest præscribi, non item legalis. Dos legalis tollitur per scriptam, idest, mulier quæ acceptat dotem scriptam, non potest prætendere legalem, Dec. 9. p. 162. 16. p. 164. quamvis Dec. 1. p. 97. aliter sonare videatur, verum potest ita intelligi, ut dos legalis ex avitis reviviscat, si non sit fundus acquisitus, pro dote scripta, v. gr. creditores eam præcedant.

§. 293. Dos legalis in eo convenit cum scripta, quod nec legalis, nec in regula, contractualis excludat aut jus viduale, idest habitationem etc. (licet D. 16. pag. 164. contrarium innuere videatur) aut vidualem, vel conjugalem successionem, quia successio est ex lege, dos scripta vero ex contractu; adeoque si immobili fundo est irradicata, is cui legatus fuerit, debet præstare D. p. 166. Porro: quod quemadmodum dos legalis tunc

habeat locum, si uxor superstes sit marito, Matth. 6: 27. etc. atque ex bonis mariti exivit, Dec. in causa Szeleczki. 17. Sept. 1806. ita dos scripta post mortem mariti debeat solvi superstiti viduae aut ejus successoribus, contrados vero, post mortem uxoris, superstiti marito.

§. 294. Quod dos præmoriente uxore evanescat, illa es ratio, quod debebatur sub conditione mortis mariti, sive naturalis sive civilis. Nulla lex tribuit uxori præmorienti, aut ejus successoribus dotem. Sunt tamen aliquæ, quæ huic opinioni occasionem dedisse videntur.

§. 295. Prima est 1-mæ 95. §. 6. quæ dicit: Mortua muliere (non dicit præmortua) consangvineos ejus, dotalitium ejus, per illam non desumtum, desumere posse. Per mulierem intelligenda hic est relicta, de qua præcedenti §-pho sermo erat, quae si dotem a successoribus mariti non vindicavit, utique jus illud ad successores suos transmisit. — Spiritus ergo et tenor legis, dotem semper viduabus et relictis, in solatium viduitatis tribuentis, distingvere jubet, an mulier ante vel post maritum mortua sit?

§. 296. Secunda lex est 109: 1-mæ, quae dicit in tribus casibus uxorem marito dotem remittere; inde inferunt, deberi, si ea non remissa præmoriatur uxor. Ast, cum lex viduabus et relictis dederit dotem; remissio illa in casum viduitatis intelligi debet, si ipsam marito superstitem fore, et viduam manere contingeret. In specie, in casu tertio, si uxor dotem sub ista conditione marito remittat, ut ipsa decedente, maritus saluti ejus amimæ consulat, contractum

aleatorium init cum marito hunc: si te obligas pro salute animæ meæ missam celebrari facturum: vicissim ego me obligo, si tibi superstes fuero, atque vidua mansero, a tuis successoribus dotem non exacturam. Etiam præter casus gratitudinis et proprii commodi in lege recensitos, adeoque unice in gratiam mariti, dicit Verbőczi posse mulierem dotem valide relaxare, si suspicio tollatur, quod metu viri relaxaverit, v. gr. et vel maxime, cum in articulo mortis constitutum maritum, dos per successores suos, (in ista raritate æris, quae antiquis temporibus erat) praestanda anxium reddit. Non enim ad mulierem, verum ad virum, proximum videlicet subjectum, mortis articulus referri debet; nam unice tunc tollitur omnis suspicio, qud metu viri relaxaverit. De morte uxoris in casu tertio jam dictum erat. Mortis articulus itaque ad mulierem non potest referri, cum vel minima sollicitatio per maritum adhibenda, coactionem saperet. Si quis inde vellet probare mortis articulum ad mulierem debere referri, quod §-pho sequenti dicatur uxorem in humanis agentem, ad relaxandum coactam, revocatione uti posse, is mulierem, dotem in mortis articulo relaxantem, in humanis adhuc egisse negare deberet. Quin imo, eo ipso, quod relaxatio metu extorta revocetur, illa in casum mortis mariti, adeoque viduitatis facta esse censeri debet: nam relaxatio metu mariti facta, majore ejusdem adhuc viventis metu non revocabitur. Vidua ergo esse debet quæ revocet, et cui dos debeatur. Ast si etiam mortis articulus ad mulierem referretur, relaxatio dotis viduabus destinatæ semper in istum casum fieret, si ipsam con-

valescere et marito supervivere contingeret, (sæpe enim fit, ut qui in mortis articulo versari videbatur, convalescat) ut eo magis animetur maritus ad opem, si qua fieri possit, uxori suæ ferendam et procurandam. Lex itaque illa, prout et aliæ de dote sonantes leges, si obscuræ sunt (v. gr. 105: 1-mæ, vi cujus mulieri ob adulterium morti datæ, fratres in dote exigenda non succedunt) a legibus de Relictis sonantibus, velut claris debent explicari, et ex usu; atqui successores mulieris marito præmortuæ dotem periisse inauditum est.

§. 297. Tertia lex, quæ doti unice in casu viduitatis debitæ quibusdam officere videtur, est 2-dæ 43. §. 4. quæ dicit: mulierem, propter actum majoris potentiæ, in amissione dotis, triumphanti cessuræ, convinci posse. Ast non mulieres vivo marito jus sperativum dotis habentes, verum viduæ, titulo dotis, bona maritalia, ad vires ejusdem trumphanti adsignanda, tenentes, vel tenere queuntes, ibi intelligendæ sunt. Is est commodissimus ejus legis sensus, quæ multo majorem molestiam debet parere illis, qui ex hac lege inferunt, dotem etiam præmortua uxore locum habere; quomodo enim vivente utroque conjuge, id quod ipsi in casum mortis alterutrius conjugis uxori tribuunt, adeoque quod nondum habet, eidem adjudicabunt, quomodo et quando exequentur? an virtute ejusdem legis, etiam quartam puellarum, si filia deliquit vivo patre, amitti statuent? etc.

§. 298. Adversæ sententiæ Patroni in diversa abeunt: aliqui enim ex ipsis (ut glossator ad 1-mæ 93. §. 6.) præmortuæ uxoris dotem marito accrescere, adeoque nec vivo, nec mortuo marito per pro-

pinquiores uxoris quæri posse, alii vero (qui sibi magis constant, et quorum opinio, si dos præmortua uxore stare debet, mihi utique arridet) dotem etiam in vivo marito desumi posse adserunt. (Honni Törvény M. K. §. 202.) alii negant, actionemque unice contra successores ejus successoribus mulieris admittunt; atque adeo, dubitanter quidem, executionem latæ in processu actus majoris potentiæ sententiæ, ultra mortem mariti differunt.

299. Quid si mulier convicta infidelis marito facta fuerit, eo non obstante exequentur post mortem mariti, id, cujus spem mulier crimine suo pridem amisit, et quæ virtualitas ejus nunquam in realitatem abivit? Quid si maritus adhuc vivens bona et quidem perennaliter vendiderit? et mulier convicta non contradixerit, vel quod noluerit (et si sapuit, debuit nolle) vel quod post convictionem, ante tamen venditionem mortua sit, vel etiamsi contradixerit, juvabit hoc triumphantem, quod nec ipsam juvaret? cum tacitam et non specialem hypothecam in bonis mariti habuerit? verum, etiamsi contradictio venditioni perennali bonorum tempore initi matrimonii possessorum opposita triumphantem (quod absurdum est) juvaret, quid si bona doti obnoxia post matrimonium initum sunt (v. gr. perennaliter, absque uxoris nomine inserto) acquisita vel statuendum erit, ex iis non deberi dotem, vel maritum sua haec acquisita alienare non posse, vel denique quod non vivo marito, verum post mortem ejus posse mulierem in amissione dotis, propter actum majoris potentiae convinci.

§. 300. Ob idem delictum eadem lege dicitur mulier convinci in amissione quartalitii, quæ

scilicet titulo proprietatis, aut titulo reluibili, vigore 1-mæ 29. §. 5. et 8. item 1-mæ 89. bonis immansit. Non ergo ita intelligi debet, quasi vivo patre, filia in sperativo jure quartalitii convinci, et post mortem patris executioni subjici possit: hæc enim sententia multis difficultatibus premitur, v. gr. 1) quod quarta non tantum in casum defectus, ut lex dicit, verum etiam notæ patris impetratoris, cum præjudicio Fisci, et contra naturam successionis, quam imitatur, currat, atque adeo filiæ, et eam convinci curantium conditio, saltem ante 1791: 56. melior, quam filiorum notorii fuerit; nam quod quarta, ut vulgaris fert opinio, in casu criminis læsæ Majestatis non amittatur, ex eadem statim dicta ratione, non de quarta sperativa, verum reali, nec de nota impetratoris, in cujus bonis tantum virtualiter inerat quarta, verum de nota successorum ejus, in quorum bonis actu inerat quarta, jam antea per illos debita, intelligendum videtur. 2) Quod pater acquisitor, bona sua acquisita, cum præjudicio filiæ et (si diis placet) triumphantis, vendere, pro majoratu regulare, aut plane ad vires omnium bonorum, eadem debitis onerare non possit, aut quod quartalitium vivo patre, per eundem, aut bona ejus ementem, debeat præstari. — Nam quod quarta debitis patris non sit obnoxia, id contra fratres, non contra creditores est; prout legata possunt et debent absorberi debitis legantis, ita et quarta, si bona hæredum (vel respective fratrum) non sufficiant.

§. 501. Quod 3) si mulier convicta vivo patre deficeret, is, ad quem quarta deberet devolvi (mea sententia neptis ex filio acquisitoris nasci-

tura) suo jure, culpa illius, cui velut nec possidenti, nec actuale jus rei vindicandæ habenti) non successit, fraudaretur, quod multo indignius esset, quam si nepos patre præmortuo, avo succedens, propter debita vel delicta patris executioni subjiceretur. Quod 4) si tempore convictionis, nulla adhuc bona, doti vel quartæ obnoxia aderant, etiam bona post convictionem mulieris per patrem vel maritum acquirenda, aut ex defectu collateralis ad maritum devolvenda, post mortem (relate vero ad quartam post notam eorundem) executioni obnoxia esse possint, cum quoad successores, utrorumque, acquisitorum scilicet, sed alienari queuntium, et acquirendorum tardius, eadem sit ratio; nam si amittere potest mulier virtualem quartam vel dotem in possessis per patrem vel maritum, debet etiam amittere in virtualibus ejus, ante executionem in realitatem abituris aut acquirendis, cum alioquin, ob actum majoris potentiæ, non tantum bona tempore commissi delicti, vel convictionis existentia, verum etiam tardius, ante scilicet executionem acquirenda, amittantur. 5) Vel statuendum erit: renovationem sententiæ, in hoc casu non esse necessariam, vel quod aut renovatorio Instituto, in genere, aut in casu juris ad rem, in specie (si v. gr. maritus vel pater post convictionem 52 annis vivat) nunquam præscribatur, vel quod si præscribatur, præscriptio, in hoc casu, non a die latæ sententiæ, verum a morte mariti, vel patris currere incipiat; vel denique quod per sententiam, executione destitutam, jus ad rem in jus in re mutatum sit, adeoque protestationibus sustentari possit.

§. 302. Has, et alias his similes difficultates ego hactenus extricare non potui, et ob id ipsum coactus sum, non leges detorquere, verum novam interpretationem legum, quæ veteri opinioni favere videntur, quærere: quam posteaquam me invenisse mihi videor, similitudines a creditoribus ante diem contractu denominatam, pecunias suas repetere nequeuntibus, reale tamen jus ad easdem habentibus; a descendentibus item, nonnisi post mortem parentum in bonis eorum successuris; ast illis etiam viventibus, jus hæreditarium in eisdem foventibus, petitas, parum vel nihil moror. Nam creditor quidem in genere mansit dominus pecuniæ, licet se contractu ligaverit, mulierem vero, vivo marito, reale jus et proprietatem dotis habere, ipsi adversarii negant. Similitudo vero a descendentibus petita, magis meæ, quam adversæ partis sententiæ favet. Prouti enim proles in bonis viventium parentum jus virtuale et sperativum habent; ita mulier, quoad dotem in bonis mariti, et prout proles in amissione juris virtualis, viventibus parentibus convinci non possunt; ita nec uxor vivo marito: alias enim sequeretur neptem non succedere, si pater convictus, (cui dies nunquam venit) avo præmoriatur.

§. 303. Palam notum est, Curiam Pl. Tab. pag. 162. Nr. 7. propinquioribus uxoris, marito præmortuæ, contra successores mariti (quia non maritus, verum illi videntur fuisse in casu) actionem ad desumendam dotem dari docuisse. — Verum an etiam decidisse? non æque irrefragabile est. Forma certe didactica illius Decisionis, de objectis diversis, ad diversos processus pertinentibus, agentis, valde peculiaris est, et in

suo genere unica. — Ast, etiamsi dotem, præmortuæ mulieris successoribus deberi decidisset, non video quo jure eliciatur ex hac Decisione, quod successoribus uxoris præmort.æ denegetur actio vivo marito; nam quod mulieri ipsi denegetur, illa est ratio, quod adhuc dubium sit, an in futurum fidem marito servatura sit, sed de mortua non est amplius dubium; adeoque non deberet plus ex Decisione elici, quam in se habet. Si itaque præmortua uxore currit dos, probabilius est illam etiam vivo marito, per successores uxoris (aut in processu actus majoris potentiæ triumphantem) desumi posse, et quidem, per hunc posteriorem, etiam vivente uxore, cum enormi mariti præjudicio, qui scilicet nonnisi sub conditione fidelitatis usque mortem suam servandæ tenetur dote. Sed hoc adversarii debent inter se transigere, quibus omnibus officit Dec. in causa Szeleczki 10. Septemb. 1806. dotem præmortuæ uxori denegans.

§. 504. Jam glossator Verbőczii ad §. 6. gō: 1-mæ (fors, quod legem, quæ dotem viduæ adsignat, cum jure successorum mulieris mortuæ dotem desumendi, cum relaxatione item dotis, nec non cum amissione ejusdem propter actum majoris potentiæ conciliare nequiverit) dotem, etiam præmortua muliere locum habere supponit; Curia tamen id quod Glossator de dote legali scribit, quod scilicet vi successionis conjugalis marito superstiti cedat, idest, præmortua muliere evanescat, ad dotem contractualem restringit, ne scilicet præjudicium familiæ mariti, ex opinione dotem præmortua muliere præsup-

EGYETEMI KÖNYVTÁR

ponente enatum præjudicio cumulet; allegata enim in Decisione differentiæ ratio, quod dos legalis sit necessitatis, scripta vero voluntatis, parum vel nihil valet: id enim quod prius fuerit voluntatis, per contractum pariter fit necessitatis, porro: facto suo (obligatione scilicet dotis scriptæ) ultra id quod lex postulat, gravatus, (nisi expresse dotem ad casum viduitatis restrinxisset) qui possit gaudere beneficio, quod vel ipsa lege gravatis, per legem denegari putatur, ego quidem non capio, illo scilicet beneficio, quod obligatio dotis dandæ præmortua muliere cesset. Qui igitur fatentur, dotem contractualem tantum viduæ ejusque successoribus competere, idem de dote legali fateantur, oportet. Unde enim probabunt naturam dotis in contractum redactæ, nisi id diserte fiat, mutatam esse? contractus ille in favorem mulieris initus est, quomodo ergo potuisset tollere eximium illum favorem, quem doti legali attribuunt, quod scilicet etiam non viduæ, vel ejus collateralibus, aliisque successoribus competat dos? nam, quod alia quædam minora beneficia dotis legalis per contractualem tollantur, id, securitas avitorum, ne onerentur, creditorum item, ne eludantur, poscebat, et magnitudine summæ sufficienter sunt mulieri compensata.

§. 305. Allatura et paraphernum §. 306. Cujus sint, et quis in illis succedat? §. 307. Quomodo probentur? §. 308. Quando restituuntur, et quando non? §. 309. Eadem fere ratio prætensionum mariti erga bona uxoris præmorthæ. §. 310. Septem processus ex hac materia.

§. 305.

Allatura in genere significat res omnes, quas uxor ad maritum adtulit, sive illæ avitæ, sive acquisitæ, sive mobiles sive immobiles fuerint. Sub nomine allaturæ comprehenditur etiam paraphernum, quod significat vestes aut alias res mobiles, quas nuptæ occasione subarhationis vel nuptiarum quiscunque donavit 1-mæ 100.

§. 306. Harum rerum omnium mansit mulier domina etiam durante matrimonio, nec illas aut ob divortium sua culpa factum, aut ob ullum mariti crimen amittit, adeoque etiam mortuo marito, a successoribus ejusdem repetere, et secum auferre potest 100. 105: 1-mæ. Verum, si nefors, ad res suas paraphernales levandas et bona maritalia remittenda admonita, non levationis et bonorum non remissionis rationem legalem non det, illas amittit 24: 2-dæ, prout etiam propter desolationem bonorum D. 12. p. 165. Si uxor marito absque prolibus præmoriatur, res paraphernales, prout omnes ad condecentem emaritationem pertinentes, (præter clenodia familiæ) ad maritum, aut nec illo existente, posteriores ad condivisionales uxoris, priores vel ad eosdem, vel ad Fiscum (prout divisa vel indivisa fuerit, 11: 1687. 26: 1715.) avita vero allaturalia, ad congenerationales defunctæ devolventur. His accensuit D. 5-tia p. 157. clenodia quædam, velut per antenatos defunctæ mulieris regulata, licet Tabula R. eadem clenodia, velut titulo paraphernali per parentes data, marito adjudicaverit.

§. 307. Verum ut allaturam vidua e bonis mariti rehabere possit, requiritur, ut realitatem,

idest, quod revera attulerit, sensu 110: 1-mæ per testes, aut instrumenta probet: neque ad id probandum aut juramentum viduæ D. 14. p. 165. vel c ndivisionalium ejus (velut successionem in allatura sperantium) testimonium, aut sola recognitio mariti sufficit, D. 10. pag. 162. (licet Tab. R. Pl. 226. aliter senserit) cum ex nimio conjugali amore in præjudicium legitimorum successorum per maritum facta esse præsumatur 1-mæ 110. nisi præter specificam mariti tam super allaturæ realitate, quam et investitione illius recognitionem omnes circumstantiæ contrarium clament. Deinde, (exceptis nefors mercatorum viduabus, pro quibus præsumtio militat) debet probari vel investitio in bona mariti, vel actualis illarum rerum existentia, D. 13. p. 139. 19. p. 140. D. 10, 11, 14. p. 162.

§. 308. Si hæc probentur per successores mariti, idest, collaterales illius, vel Fiscum, aut privignos viduæ, mulieri restitui debent etiam ex avitis, una cum expensis, per viduam, licet ex proventibus bonorum maritalium, in redemtionem bonorum, (non item in funus mariti) factis, Dec. 13. 139. Si vero actualis existentia quidem probari non possit, præexistentia tamen et deventio ad manus mariti prodeat, non quidem ex avitis, verum ex acquisitis mariti (si quæ adsint) refundi debent, et nonnisi tunc habebuntur pro consumtis, si nullus redintegrationis fundus ex acquisitis adsit, D. 2. p. 161. vel in fundo redintegrationis ipsa et sola succedat vidua, D. 24: 165. Allatura vero uxoris primæ, præcedit in defectu fundi allaturam et dotem, vel coacquisitionem secundæ uxoris, D. 19: 140. 15: 165.

§. 509. Haec eadem observanda, si maritus vel successores illius id quærant, quod maritus nefors in bona uxoris, ad ascendentes, collaterales vel proles illius devoluta investivit; nec tenetur maritus bona quantacunque eo usque dimittere, donec investitio vel sua, vel uxoris, vel prolis, cui intestatæ et cælibi atque improli successit, etiamsi exigua refundatur, Dec. 14. p. 159. aut contrados eidem exsolvatur D. 5: p. 124. quæ cum successione conjugali consistere potest, D. p. 166.

§. 510. Processus sunt:

Primus. Ad acquisitionem juris vidualis, dotis, allaturæ, et parapherni. Quae omnia possunt una eademque Actione quæri, quia et successio vidualis, aut respective conjugalis; movetur contra successores mariti per viduam, aut si nefors illa obiverit, per illos, qui illi in allatura, dote, parapherno successerunt, imo, si jus viduale, id-est, intertentio ipsi non erat præstita, successores etiam compensationem ejus quærere possunt. Fundatur actio quoad jus viduale, in 29. 50. 67: 1-mæ, quoad dotem legalem æque in 29. 50. 95. usque 98. 1-mæ, quoad scriptam, 126: 1647. quoad allaturam et paraphernum, 1: 100. 105. 110. 126: 1647. Judicatus est, si bona doti legali, aut allaturæ vel juri viduali obnoxia in pluribus Comitatibus sint, Tabulæ Districtualis. Si in uno, Vice-Comitis vel Judlium, ut in successionali processu; quoad dotem scriptam vero, ut in liquido debito, pro quantitate substrati. Marito, bona, in securitatem pecuniae paraphernalis obligata, cum scitu, et citra reclamationem uxoris vendente, sensu Tit. 12. 2-dæ cessat prætensio viduæ D. 13: p. 163. Expensæ in processu dotis et juris vi-

dualis non currunt, D. 25: p. 166. etiam contrados, per viduum aut ejus successores in successoribus uxoris foro debiti quæritur, atque in defectu acquisitorum, etiam ex avitis (salva actione invalidatoria) adjudicatur, Dec. 22. p. 165. 5. p. 124. D. p. 166.

Si vidua per successores mariti bonis ejus ejiciatur, potest mandato repositorio in 5: 1542. fundando intra annum uti, imo, vi legum recentiorum 22: 1802. 13: 1807. per V. Comitem cum fructibus, D. 18: 164. reponi, quia lex 98: 1-mæ, quæ ipsam in bonis mariti vult manere, simul ab onere jus viduale processu quærendi relevavit, D. 7: 162. ne quoad dotem quidem vult lex ut illam vidua processu quærat, quia bona titulo juris vidualis excindenda, in securitatem dotis, paraphernı, et reliquæ allaturæ apud ipsam in pignore vult manere. Si ante terminatam repositionalem litem moriatur, vel nubat, alio instituto debet vel successor ejus, vel ipsa, bonificationem non præstiti juris vidualis quærere, D. 7: p. 195.

Secundus. Ad restrictionem viduæ. Movetur per successores mariti directos vel collaterales, si bona longe plus inferant, quam ad vivendum pro charactere mariti requiritur, vel æstimationem dotis longe superent, D. in causa Beleznai 10. Septembris 1796. Fundatur actio in 98: 1-mæ. Decurrit processus coram eodem foro, quo successionalis, scilicet vel coram Comitatense Judice, vel coram Tab. Districtuali. Bona, quæ viduæ relinquentur, non erunt metienda a magnitudine dotis, verum ab amplitudine bonorum et charactere mariti. Viduæ ante litem terminatam nubente, successio diverso processu quærenda D. 26: 125.

Tertius. Ad invalidationem dotis scriptæ excessivæ. Actio fundatur in 1-mæ 59- 49: 1725. 26: 1715. Movetur processus per successores dotem obligantis conjugis, sive maritî, sive uxoris, coram Tab. Regia, D. 1-ma et 5-tia p. 97. Si non adsint acquisita, invalidatur contrados, per maritum obligata vero ad minorem summam reducitur, quia avita non possunt in præjudicium successorum onerari, D. 2: p. 156. (Si loco et in vicem parapherni, sponsus, super aliqua summa obligatoriales det mulieri hoc differt a dote contractuali, nec potest invalidari, Dec. Cur. 5. p. 97. præcipue tamen acquisita ferit, Dec. 24. 165.) Ad actoratum probari debet aviticitas bonorum. — Debita vita comite contracta debent successores etiam ex avitis solvere, verum mortis causa contracta, qualis est dos contractualis, in regula, non debent. (Inter vivos enim plus potest quis in præjudicium successorum tam circa mobilia, quam immobilia disponere, verum in casum mortis, circa avita, nihil. Mobilium avitorum distractio inter vivos facta tolerari debet, nisi via redintegrationis ex acquisitis distrahentis reparari possint, immobilia avita vero, non tantum redintegrationi, verum reluitioni quoque, vel invalidationi obnoxia sunt).

Quartus. Ad amissionem dotis, propter causas supra recensitas. Fundatur actio, pro varietate casuum, in variis legibus. Coram Judice processus principalis, v. gr. coram Judice divortii, accessorie, dos etiam an amitti debeat? judicatur; secus coram Judice processus successionalis petitur.

Quintus processus pignoris Reluitorio-Ad-

monitorius, contra mulierem ad alia vota transeuntem, præcedere debet admonitio cum summa integrali dotis, ut bona titulo juris vidualis tenta remittat, postea erigitur actio ad bona revindicanda, et ad amissionem dotis, si rationem non det non levationis, et non remissionis bonorum, v. g. quod investitiones repetendas habeat. Fundatur in 98: 1-mæ, defluit coram Judice pignoris, idest, vel coram Judlium, vel Vice-Comite, vel Tabula Districtuali.

Sextus. Ad revindicationem bonorum per simplices dotalistas alienis a sangvine traditorum. Movetur processus pro situ bonorum vel coram Judicibus Comitatensibus, vel coram Tabula Districtuali 47: 1725. Actio fundatur in legibus de successione Actoris sonantibus. Item in 61: 1618. 105: 647. 25: 1655. Si ad vires dotis oppignoravit vidua bona, illa per actorem solvi debet, non item ultra.

Septimus. Mulier, quæ unice titulo juris vidualis tenebat bona, si nupta e bonis exire nolit, prout via facti, ita etiam per Vice-Comitem ejici potest, 61: 1618. nisi investitiones, vel maritales vel prolium sub tutela vel curatela in statu cælibe deficientium quibus intestatis successit, vel proprias in bonis habeat, aut coacquisitionem, 67: 1622. 25: 1655.

CAPUT VII.

De Juribus Regalibus minoribus.

§. 311. Jura regalia in genere, §. 312. In specie jus nundinarum. §. 313. Educillum com-

petit in regula solis Dominis terrestribus. §. 314. Curialistis vero, §. 315. Et colonis sub certis respectibus et limitibus. §. 316. Processus propter educilla §. 317. Et macella §. 318. Enasci soliti recensentur.

§. 311.

Quemadmodum bona, ita quædam eorum beneficia accidentalia, quæ jura regalia vocantur, potissimum privilegio acquiruntur, vel vero præscriptione retinentur et nonnulla ex illis vi legis, (quæ privilegio et præscriptioni prævalet) exercentur. Species

§. 312. Prima jurium regalium jus nundinarum, acquiritur privilegio, retinetur præscriptione 100 annorum. Jus nundinarum habens 1) potest contradicere illi, qui in loco vicino pro eadem die privilegium nundinale impetraret 10: 2-dæ, verum pro diverso tempore in loco quamlibet vicino valide impetratur. 2) Habet jus certam vel privilegio vel per Comitatum, vel usu determinatam taxam a vendentibus ignobilibus desumendi 1715: 63. 1765: 20. pro pascuo vero a quibuscunque a singulo pecore 2 denarios 1725: 15. §. 6. quæ taxa jam hodie fere arbitraria est. 3) Jus pro usibus et necessitatibus suis res venales pretio per alios convento præemendi, 15. 75. 725. secus præemtio rerum venalium, actione Fisci magistratualis, amissione rerum, in una tertia denuncianti cedentium vindicatur 1751: 16. exemplo a rebus ligneis petito. Habet jus minores excessus puniendi, etiamsi jure gladii careat. Majores tamen delicti reos Comitatui debet resigna-

re 5-tiæ: 52. sub pœna 500 fl. 16: 1659. D. p. 187. nisi jus gladii habeat. Sig. 2: 5.

§. 513. Secunda, educillatio, seu jus in minutis mensuris vina et alios potus continuo vendendi, in regula proprium est Domino terrestri, qui totum corpus possidet, si vero plures sint compossessores, proportione omnibus competit, nisi quis illorum exclusivum usu roboratum privilegium habeat. Justum pretium deberet observari, 56: 1550. et justa mensura.

§. 514. Competit præterea illis, qui corporis quidem Domini, adeoque compossessores vere ita dicti, non sunt, verum curiam privilegiatam habent cum expresso jure educillandi, vel saltem juribus regalibus; alias sola immunitas a condescensionibus et præstationibus data, et ordinaria tantum vel colonis usitata beneficia (v. gr. pascuatio) fundo relicta esse censentur. Hinc, curialistas potest Dominus corporis edocta corporeitate (ut in causa Aspermont) stringere ad producendum privilegium, vel præscriptionem, secundum qualitatem Actoris edocendam, v. gr. contra Fiscum 100 annis, in bonis cameralibus, et quidem 100 illi anni ab illo tempore numerantur, a quo bona ad Fiscum devoluta sunt, anni vero sub priori Domino terrestri expleti in nullam considerationem veniunt. Braxatorium non pertinet ad jura regalia D. Cur. 5. pag. 156. cuique Domino fundi competit.

§. 515. Colonis, ut alias dictum, lex tribuit educillandi facultatem. Si Dominus diversorium publicum habeat, in illo etiam eo tempore potest educillare, quo coloni educillant. Coloni præter vinum nihil possunt educillare. Si Dominus

per colonum suum educillet, interea temporis colonus nihil servit, imo ab urna 4 cruciferos accipit 550: 36. in quo articulo hoc quoque habetur, quod vina colonorum vendere volentium præemendi jus Dominus habeat pro necessitatibus suis (non pro quæstu, nisi fors præ quæstoribus) Oppidi cujusdam sub Domino terrestri existentis prævigent educillum, refragante Tabula Regia, cassavit Tabula Septemviralis, eo quod in privilegio in genere tantum erant jura regalia collata, D. 5. p. 156.

§. 316. Processus ex materia educilli sunt:

Primus, Actore Fisco Regio ad sublationem educilli citra privilegium exerciti. Actionem fundat in Prol. 10, 1mæ 23. 78. 2-dæ 7. quod jura, quæ originaliter penes Regem sunt, absque privilegio, lege vel præscriptione in privatum transire non possint. Movetur hic processus coram Tabula Regia contra talem, qui licet corporis Dominus non sit, tamen educillum exercet, quia Dominis terrestribus qui totum possident, sive unus sit, sive plures, licet educillare 1567. 58. In pagis omnis possessor censetur, donec contrarium probetur, partem dominii corporis, adeoque beneficiorum toti territorio inhærentium habere. Non item in civitatibus et oppidis, in quibus passim curiæ nobilitares totidem corpora distincta facientes existunt, nisi in quantum privilegium et usus evincatur.

Secundus movetur per Dominum terrestrem sive is privatus sit, sive Fiscus, contra Curialistas absque privilegio educillantes, non ergo contra sexum femineum qui eodem jure utitur quo mares utebantur, quibus in parte bonorum Fiscus suc-

cessit ex nota, D. 1. p. 55. Fiscus Civitatis etiam potest movere, relate ad fundos liberos in gremio Civitatis existentes, D. p. 202. experimur Fiscum R. movere. Fundatur Actio in 1598. 55. æque coram Tabula Regia; debet produci vel privilegium usu roboratum D. 1: p. 135. et non contradictum, vel præscriptio doceri per I. vel denique contra Dominum terrestrem privatum; id debet probari, quod expresse collatum sit educillum, per antiquos dominos terrestres, Actoris progenitores, D. 10. p. 152. cum enim fundus per eos collatus esse præsumatur, in dubio censetur quam minimum beneficium cum eo collatum esse, idest, negativum tantum, v. gr. immunitas a taxa (non positivum) (quamvis T. R. non quidem jura regalia et molendinum, ast venationem et piscationem collata esse censuerit. Pl. 225. Si I. novam donationem producat, usum educilli antea præhabitum debet probare Dec. 2. p. 156.

Tertius. Æque per dominum terrestrem contra Curialistam, qui privilegium quidem habet, verum contradictum, movetur ob præjudicium per posterius privilegium illatum actione in 1-mæ 59. et præcipue in 2-dæ 9. 10. fundata.

Quartus. Competit Domino terrestri contra Communitatem absque expresse collato educillo illud exercentem, ut supra. Item contra Colonos tempore illegali, aut aliud quam vinum educillantes coram Sede dominali. Fundatur in legibus de violentia sonantibus, et in 51: 655: coloni convincuntur in pœna violentiæ, idest, in suis homagiis, quia involant in jura aliena. Vig. Urb. punct. 8. §. 15. pœna est contrabanda, et tridui labor.

Quintus. Fisco magistratuali contra eos, qui

illegalibus mensuris utuntur in educillando (mensuræ vero legales, tam in liquidis, quam in aridis, tam quoad ulnas, quam alias mensuras ac pondera, sunt Posonienses 63: 1715. 22: 1807.) pœna est confiscatio, si vero excedat res valorem 12 florenorum, 12 fl. desumuntur, vel pro circumstantiarum ratione, etiam major pœna dictatur. Actio fundatur in 659. 71. duæ tertiæ cedunt Comitatui, una tertia vero exequenti Vice-Comiti; lege citata, Judicis Nobilium dictam pœnam, ipso facto, idest, absque processu et citatione exequi jubentur, resistentes ad Sedriam citari, Nobiles in 100, ignobiles in 40 flor. convinci, et per. V. Comitem executioni subjici ordinantur, qui etiam per Civitates fine inspectionis mensurarum, sub pœna violentiæ debet admitti 63: 1715.

Sextus. Compossessoribus contra illum, qui educillum suum, licet admonitus extraneo locat. Eadem actio competit etiam vicinis. Actio fundatur in 655: 91. 650: 47. pœna est eadem quæ violentiæ. Imo compossessores, deposita ad manus Vice-Comitis, arenda, post admonitionem, via facti possunt talia educilla sibi occupare, et arendatorem extraneum ejicere.

§. 517. Tertia species jurium regalium est macellum, seu facultas, carnes, juxta minuta et legalia pondera continuo vendendi. Domino terrestri competit etiam absque privilegio, nisi alter exclusivum privativo usu roboratum privilegium habeat. Secus acquiritur privilegio vel præscriptione. Pretium carnis Comitatus limitat, 71: 1659. etiam pro liberis regiisque Civitatibus, ut et aliorum accessoriorum, v. gr. sebi. Ex macello extraneo colonis carnes inferre sub pœna confiscatio-

nis prohibent Resolutiones urbariales, de vino et cremato tacent.

§. 518. Processus sunt:

Primus. Fisci Regii ad cassationem macelli non privilegiati, ut supra de educillo.

Secundus. Privato contra talem, qui recenter inducit usum macelli penes privilegium, ad invalidationem privilegii illius. In iisdem legibus fundatur Actio, in quibus sub educillo diximus. Si vero absque privilegio inducat, præcipue si admonitio præcessit, potest moveri violentialis processus, ante annum vero via facti turbari potest, et hoc etiam de educillante verum est. — Si vero antiquum usum habet quis macelli, licet absque privilegio, contra talem privatus non potest agere, D. 4. p. 156. verum Fiscus. Quia nulla lex est, in qua fundet privatus suam actionem, imo licet Fiscus agat, si tantum in legibus de Domino terrestri sonantibus fundet, condescendet.

Tertius. Fisco magistratuali coram sedria contra illos, qui falsis ponderibus utuntur, vel limitationem Comitatus excedunt. Pœna est vel confiscatio, vel 12 floreni. — Actio fundatur uti sub educillo dictum est. Hic quoque pœnam ipso facto desumere jubentur Judices Nob.

Quartus. Fisco magistratuali contra illos, qui limitationem Comitatus, aut dictam Judicis Nob. executionem non admittunt, sive Civitas sit, sive Nobilis, sive rustici. Pœna est eadem, quæ violentiæ, contra Civitatem et Nobiles, 100 flor. contra rusticos homagium, singillative; defluit processus coram Sedria abscissis omnibus juridicis remediis, una tertia birsagii cedit exequenti Vice-Comiti, duæ tertiæ Comitatui. Quæ hic dicta sunt de

limitationem excedentibus, vel non admittentibus, valent etiam de limitatione pretii rerum venalium opificum, mechanicorum, quæ omnia Comitatus limitat, etiam pro Civitatibus, Cives tamen transgredientes Civitas punit, ea negligente, Comitatus 71: 1659.

§. 319. Juris telonii et nauli §. 320. Publico vel privato non præjudicantis. §. 321. Taxa et arenda. §. 322. Contrabanda illud defraudantium. §. 323. Exemtiones a telonio et naulo. §. 324. Processus ex hac materia. §. 325. Tricesima, aut tricesimatores, §. 326. Exemtiones ab ea, et quædam aliæ observationes. §. 327. Processus.

§. 319.

Quarta species jurium regalium est telonium et naulum; acquiritur privilegio; secus non potest exerceri per ullum Dominum terrestrem. Licet quis, pro propriis suis usibus, propriis expensis vias et aggeres procuravit, et itinerantes ob suum commodum libenter illis utantur, et libenter solvant, tamen, quamdiu privilegium non adsit exigendi, via pro libera et publica declaratur in tali loco, in quo frequentior et necessarius est transitus D. 1. et 2. p. 188. Si vero ab invitis exigatur solutio, violentiæ pœna currit, D. 14. p. 175.

§. 320. Privilegium telonii et nauli debet publicari in Comitatu, ut vel privatus, si cui, velut in vicinia privilegiatum telonium habenti, vel Fiscus magistratualis, si publico et plebi contribuenti, veluti superfluum et minus necessarium, præjudicet, contradicere possit. Privato præjudicat

telonium, si ab antiquiori privilegiato uno milliari non distet; verum si valde necessarium sit, etiam in loco viciniori potest admitti, v. gr. si illud antiquius non sit continui usus, propter exundationes.

§. 521. Taxa exigitur vel secundum privilegium a Comitatu ratihabitum, 715: 15. vel tantum Comitatus limitat Sig. 6: 22. Ulad. 1: 87. 29: 1655. Tabella taxam specificans sub sigillo Comitatus penes telonium asservari, et cum quæstoribus et itinerantibus communicari debet. Non mercium, verum currus et jumentorum habenda est ratio 28: 1741. Si teloniator est Judæus, nemo tenetur solvere telonium 1723: 15. imo præterea Dominus terrestris punitur, si post admonitionem non dimiserit Judæum. Hæc lex ita eluditur, quod Judæus telonii arendator, exactionem telonii Christiano committere soleat.

§. 522. Ob fraudulenter vel violenter intermissam telonii solutionem, est pœna confiscationis rerum vectarum 725: 15. Ulad. 3. 55. quam pœnam incurrunt etiam illi, qui transitus non privilegiatos quærunt. — Verum res confiscatæ conservari debent per teloniatorem usque sententiam in Sede dominali Domini telonii ferendam; si distrahantur prius, incurritur pœna violentiæ, et damnorum refusio. Si vero occasione defraudationis res confiscari non poterunt, Dominus telonii movet processum coram Judice lædentis, ad amissionem rerum in specifico per Actorem probandarum Ulad. 3: 29.

§. 523. Eximuntur a telonio Nobiles, pariter et naulo, etiamsi quæstum cum rebus emtis exerceant, ut deduci potest ex Ulad. 3. 35. §. 6. et 15:

1723. Verum si in societatem quæstus assumant ignobilem, et sic illum a solutione vellent liberare, res omnes, utrique, per teloniatorem auferri possunt lege citata. Obscuri Nobiles debent se passualibus legitimare Ulad. 4: 42. Eximuntur Ecclesiastici, Scholares et Ecclesiarum servitores 1458: 10. Cives liberarum regiarumque Civitatum, si se passualibus legitiment, et propriis occasionibus in negotiis propriis pergant, aut res suas vehant 1741: 28. Nobiles prædiales, Coloni Primatiales 41: 1599. Quorundam oppidorum privilegiatorum incolæ, æque ut de civibus dictum est. Quoad Communitates quidem attendi jubet 41: 1500. utrum privilegium sit antiquius, an telonii vel exemtionis? ast hoc videtur fuisse temporalis tantum instructio Revisoribus teloniorum data, alias sequeretur, cives recentiorum Civitatum a teloniis antiquioribus non eximi, item, lege posteriori, qua v. gr. Civitates recipiuntur, non posse legem priorem non fundamentalem, aut privilegium limitari. Decisio tamen 58. p. 179. eo inviare videtur, ut si occasione privilegii Civitati collati, super immunitate a naulo et telonio contradicatur, atque illud a civibus exigatur, prius agat Civitas ad depurationem, quam ad pœnam violentiæ, ductu Ulad. 4: 41. Eximuntur porro ad molam proficiscentes cujuscunque sortis homines Ulad. 1. 86. 725: 15. Coloni in negotiis Dominorum, Nobilium vel Ecclesiasticorum proficiscentes, et illorum res vehentes, noti vel passualibus provisi D. 57. p. 179. 71: 1655. Ignobiles in confiniis, idest ut usus hodiernus explicat, circa territorium telonii habitantes, et ibi vias et aggeres reparantes 47: 1609. 725: 15. pro sponsa ducen-

da pergentes et redeuntes Matth. 6: 56. Ulad. 1: 86. In negotio regio et publico proficiscentes. Omnes pedites cujuscunque status et conditionis a telonio eximuntur 15: 1725. (circa naulum aliter usus invaluit) et denique qui telonium transeunt, sed ulterius ad aliud territorium non pergunt, verum inde redeunt, pro reditu non solvunt Lud. I. art. 8.

§. 524. Processus sunt:

Primus. Fisci Regii coram Tab. R. D. 14. p. 57. vel Fisci magistratualis coram Sedria D. 1. p. 188. ad cassationem telonii vel nauli non privilegiati. Actio fundatur in 10: 2-dæ. 87, 88: 1492. 59: 1565. 15: 681. 15: 1715.

Secundus. Competit Fisco magistratuali ad sublationem telonii sicci et non necessarii, licet privilegiati, coram Sedria. Actio fundatur in 15: 1715. 15: 1725. Telonium cassatur, rota dejicitur, si scilicet beneficio naturæ factum est telonium siccum, quia si Dominus telonii suis expensis effecit id, ut siccitas sit circa telonium, manet jus exigendi.

Tertius. Fisco magistratuali primo quidem ad pœnam 100 floren. secundo ad pœnam 200 flor. tertio ad amissionem loci, in quo telonium est. In his casibus 1) si posteaquam cassatum est telonium, tamen exigatur solutio. 2) Si quis Judæum teloniatorem post admonitionem servet. 3) Si ultra taxam limitatam exigat. 4) Si quis itinerantes e longinquo ad telonium compellat. 5) Si quis nec ad judicialem admonitionem reparat pontes, vias et aggeres. Prima et secunda pœna cedit Comitatensibus Judicibus exequentibus. Tertia Fisco Regio. — Locus amissus redimitur communi aestimatione. Actio fundatur in primo casu in 11: 1566. 29: 1655. 15: 1725. In se-

cundo casu in 15: 1650. 91. 1647. 15: 1723. In tertio casu in 12: 1566. In quarto in 15: 1566. 1625: 54. Matth. D. 2. art. 15. In casu quinto vero, Ulad. 1: 87. 1566. 12. 1725: 15.

Quartus. Violentialis, 1) contra illum, qui in tali desumit taxam, qui se immunem a taxa solvenda esse legitimaverit, prout contra illum, qui erronee desumtam judicialiter admonitus detinet, D. 57: 179. quid quod, Tabula R. et teloniatores desumentes, et Dominum detinentem singillative convicit Pl. Tab. 226. — Fundatur in legibus de violentia, et lege quæ eximit. Item in 15: 1725. Hæc tamen Actio non subsistit, si v. gr. privilegium Civitatis contradictum, non depuratum, nec in usum deductum erat, Dec. Cur. 38: 179. 2) Contra illum, qui res confiscatas ante sententiam distraxerit. Fundatur actio in 15: 725. 3) Contra illum, qui cassato per Comitatum telonio vel naulo, taxam exegerit. Fundatur in 625: 54. 625: 15. 4) Contra illos, qui itinerantes ad potum emendum adigunt, fundatur in 725: 15. 5) Contra illos, qui itinerantes a longe cogunt ad telonium transeundum, nisi parte viarum et aggerum jam usi sint, 54: 1625. 91: 1647. Fundatur in 15: 1566. 725: 15. ubi omnes excessus teloniatorum pœna violentiæ puniendi dictantur, v. gr. verberationes etc. Contra teloniatorem, defluit processus coram Sede dominali, qui si solvendo non sit, adsignatur manibus triumphantis 655: 29. Contra arendatores vero coram Vice-Comite. Processus violentialis movetur etiam 6) contra talem, qui plus exigit, quam limitatum est, ex 655: 75. et 1725: 15. 7) Contra illos, qui viam, pontem, aggerem propriis sumtibus exstruendo

ab invitis, citra privilegium taxam desumunt, Dec. Cur. 14: 173. 8) Contra illos, qui per glaciem, vel in sicco transeuntes taxant, 1725: 15.

Quintus processus competit Domino telonii, vel arendatori, ad amissionem rerum vectarum, contra illos, qui defraudarunt telonium fugiendo, aut dolo, vel falsa vada et trajectus quærendo, Fundatur in Matth. 6: 55. Ulad. 1: 88. 15: 725. Ulad. 5: 35.

Sextus. Domino telonii contra illum, qui falsa vada, idest, telonia non privilegiata et trajectus servat, ad amissionem loci. Fundatur in Ulad. 1: 88.

Septimus. Domino telonii contra illum, qui posterius privilegium præjudiciosum habet, in 2-dæ 9, 10. ad cassationem illius coram Tabula Regia.

Octavus. Illi, qui in pontibus propter malam illorum conservationem damnum patitur, contra Dominum telonii competit processus damni. Fundatur actio in Ulad. 1: 87. 725: 15.

Nonus. Contrabandato, seu illi, cujus res confiscatæ sunt, ad recuperationem illarum coram Sede Domini telonii 1725: 15.

§. 525. Tricesima licet non ad jura regalia minora, verum ad coronalia pertineat, adeoque inalienabilis sit; tamen hic pertractari potest. Solvitur a rebus in regnum inducendis vel educendis, juxta illarum qualitatem et quantitatem. Administratur per Cameram quæ cum Regio annutu constituit Tricesimatores, non tamen quoscunque, v. gr. Judæos vel extraneos, verum Hungaros possessionatos 650: 15. 715: 15. Ulad. 5: 35. 681: 44. Tricesimatores ratione officii subsunt

Cameræ, 741. 14. In aliis vero negotiis subsunt Judiciis Regni. Tricesimatores in persona insurgere non obligantur, verum insurrectionem pecunia redimunt.

§. 526. A tricesima eximuntur res, quæ neque collective efficiunt valorem unius floreni Ulad. 1: 27. 5: 29. Eximuntur Nobiles, a rebus pro suis necessitatibus in hæreditarias Ditiones inductis, vel inde eductis, 1725: 14. item: ab allodialibus productis quorsumcunque eductis 17: 1659. verum si quid quæstus gratia inducant, vel non sua producta efferant, debent solvere, 1599: 54. 25: 1547. ut etiam pro vinis licet allodialibus 49: 1658. cujus quidem legis rubrum de omnibus fructibus sonat. Domini terrestres, in locis, in quibus Rex tricesimam erigere vult, debent dare pro pecunia jure hypothecario fundum, uti et pro depositorio salis. — Tricesima solvitur tantum semel, sive solvatur in finibus Regni, sive in meditullio, idem est. Sed antequam solvatur, merces vendi non possunt sub pœna confiscationis, Ulad. 5: 29. 609: 17. 725: 13. Mercium prohibitarum, seu contrabandarum judex est Camera 1725: 15. Non licet sub specie rerum pro propriis necessitatibus inductarum alias inducere 559: 44. 599: 54. aut socium non exemtum Tricesimæ subducere Ulad. 5: 35. 1625: 30.

§. 527. Processus hinc sunt:

Primus. Fisci R. ob defraudationem tricesimæ, ad amissionem rerum, quæ non potuerunt confiscari. Movetur, coram Judice Incatti. Fundatur in Ulad. 5: 29. 609: 17. Ulad. 5: 35.

Secundus. Propter tricesimatoris excessus coram Vice-Comite ad pœnas violentiæ. Fundatur

in 681: 44. et in legibus de violentia sonantibus, in cameraticis vero coram Camera conveniri debent, 13: 1723.

Tertius. Processus ad res confiscatas rehabendas. Defluit coram Camera, 1715: 15. 1725: 15.

§. 328. Decima regia, quibus competit, et quibus non? §. 329. Ex quibus rebus? §. 330. Exemtiones ab ea. §. 331. Jus eas in arendam sumendi. §. 332. Modus arendæ §. 333. Jus, in natura, §. 334. Ac modus, §. 335. Et tempus exigendi. — §. 336. Processus decimales.

§. 328.

Quinta species jurium regalium sunt: Decimæ regiæ, quæ lege S. Stephani libr. II. 52. Episcopo diœcesano competunt, vel Sacerdotibus catholicis, qui speciale privilegium super iis habent, aut præscripserunt in exactione decimarum, vel eas ab Episcopo obtinuerunt. Seculares et Ministri Evangelicorum, ut Curia decidit, nec præscriptione possunt acquirere jus decimas exigendi; quia incapaces sunt vel possidendi decimas episcopales, nam dicimæ, quas aliqui Evangelicorum utriusque Confess. Ministri percipiunt, vel ejus originis esse putantur, ac quorundam catholicorum Parochorum decimæ, quod scilicet prout antiquorum Diplomatum fide certo constat, Reges et Domini terrestres alii, terras suas allodiales culturam desiderantes hospitibus exteris assignando, decimas alendo sacrorum ministro per populum eligendo destinaverint, in quarum usu Ministri, etiam post Reformationem permanserunt; (cum, tamen nec decimæ episcopalis in ipsa donatione Laicis col-

latæ exempla desint, v. gr. familiæ Com. Károlyi in Dom. Ecsed) vel vero ex art. 26: 1681. §. 19. quibusdam Evangelicorum Parochiis, quæ tunc in usu decimarum erant assistente, repetuntur.

§. 529. Dantur decimæ 1) ex frugibus, v. gr. tritico, siligine, milio, hordeo, avena, spelta, non itaque ex omnibus (ut lex loquitur) terræ nascentiis, Ulad. 7: 18. 2) ex vino, 3) ex agnellis, hædis, et apibus, Matth. 5: 1. Ulad. 3. 51. 54. Si alvearia vel agni decenarium numerum non adæquent, pro singulis datur unus denarius, seu, ut hodie vocatur, grossus Ulad. 1: 54.

§. 530. Eximuntur a decimis 1) Nobiles a propriis allodialibus aut exstirpatitiis seu novalibus terris, 22: 1574. 1-mæ 9. Alb. 28. Ulad 1: 50. (verum ab alienis, 69: 1563. quæ scilicet cuicunque præstationi dominali subsunt, aut plane urbarialibus terris, debet solvi, licet per nobilem D. 6: p. 84. colantur ex frugibus et vinis, non item ex agnis etc.) 70: 1563. supponit etiam ex illis decimam solvere debere Dominos terrestres, quas terras colonis suis ademerunt et ipsi excolunt, verum hoc non est in usu, et Decisio Cur. 4. pag. 197. contrarium statuit et 40: 1-mæ, item 1715: 77. §. 1. admittit, ut in casu necessitatis Curias legales ex colonicalibus terris faciant, quod quidem absque scitu Consilii L. vel plane Majestatis hodie fieri prohibetur. Qui allodiales, aut (ut Dec. Curia. 8: p. 198. habet) exstirpatitias Domini alicujus terras colit, ex illis non solvit, cujuscunque status et conditionis sit. Si tamen in usu fuit Prælatus, sub pœna dupli denegari non potest, verum immunitas processu quæri debet, sensu ejusdem Decisionis. Non solvitur decima a

prædiis, licet olim sub decimis fuerint, atque olim desolata, iterum impopulata sint. Nobiles Comitatus Sümeghiensis hucdum solvunt decimam in pecunia Abbati Montis Pannoniæ, 45: 1729. Nobilitas Scepusiensis anno 1776. est absoluta a decimis per Curiam Regiam. Nobiles qui ob metum hostilem sua deseruere, non solvunt decimas licet terras colonicales colant, 59: 1638. 2) Eximuntur Ecclesiastici et Scholares, quoad tales fundos, quos ex fundationibus possident, 22: 1574. 647: 95, non item quoad alios, S. Lad. 1: 27, 3) Excipiuntur Rasciani, Rutheni, Valachi, a terris, quæ non fuerunt sub decimis, et ad quas evocati sunt, quia si alias terras colant, debent solvere, Ulad. 2: 45. Matth. 5: 3. 4) Nobiles prædiales quoad fundos prædiales, Ulad. 4: 29, 4. 5) Excipiuntur messores, si rata ipsorum ex talibus frugibus obveniat, quæ non sunt sub decimis, vel si domi ex frumento vel vino decimas solvunt. 6) Eximuntur etiam Judæi, Turcæ, nisi terras colant quæ sub decimis sunt. Catholici vero et Evangelici, licet nullas terras colant, pecuniam Christianitatis, 2 grossos debent solvere, Ulad. 3: 52.

§. 551. Jus decimas in arendam sumendi, si Dominus decimarum illas in arendam dare velit, competit

1) Domino terrestri 546: 55. 55: 1547. 1655: 89.

2) In Confiniis, pro usibus belli, durante bello præ Dominis terrestribus competit Fisco 715: 11. verum

3) Domini terrestres reliquis suis bonis per hostes pulsi, in confiniis quoque in bonis propriis præcedunt Fiscum, 574: 22. (Confinia erant loca Turcis partem regni tenentibus vicina.)

4) Illis, qui privilegio jus præarendandi habent 647: 95.

§. 552. Dominus decimarum non potest usque festum S. Georgii alteri dare in arendam, præterquam illi, qui jus præarendandi habet. Si certa, ac determinata est arendæ summa, illa ad semel deponi debet. Si incerta est, et jus præarendandi habens cum Domino decimarum convenire non possit, per Comitatum debet determinari, aut vero nemini licebit exarendare, sed ipse Prælatus colligat in natura 61: 1548. 1655: 89. Si Domini terrestres se intra fatales dies 1715: 11. usque festum S. Georgii, vel duabus septimanis tardius non insinuent et non exarendent, et summam non deponant, potest cuicunque exarendari 546: 55. Si vero ante festum S. Georgii alteri in arendam datæ sunt decimæ, Dominus terrestris doposita, apud V. Comitem, post admonitum Prælatum, summa, potest pro se colligere decimas, quem si arendator turbet vel impediat, erit violentus 1622: 70. 1647: 95. 1655: 89. Si autem sub illo prætextu data est alteri arenda, licet post festum S. Georgii, quod convenire inter se non potuerint, gratis potest colligere decimas dominus terrestris, 61: 1548. 95: 1647. Si Dominus terrestris nolit exarendare, exarendatio colonis competit, quo jure, per nulla statuta Comitatus possunt privari, D. 5. p. 84.

§. 555. Decimæ, de lege, in natura competunt Prælato, et nisi expresse renunciaverit juri in natura exigendi, semper potest in natura exigere, vel nisi usus constans, et a seculis vigens aliud svadeat, 1565: 72. 95: 1647. aut solutio constans pactata fuerit, Dec. 2. p. 85. Si renunciavit, aut

usus solvendi semper in pecunia fuit, vel est determinata arenda, vel non est. Si est, non potest vel augeri vel minui absque mutuo consensu 647: 95. 715: 97. si non est, et mutuo consensu determinari, vel super temporanea arenda inter partes conveniri non possit Matth 5. 8. §. 1. Comitatus se interponit. Si post annum 1647. facto partium est aucta, Dominus terrestris non habet actoratum, ut ad summam anno 1647. præexistentem reducatur, D. 10. p. 198.

§. 334. Decimæ desumuntur post nonam, ne scilicet nona decimæ, sed potius decima nonæ subjiciatur, Ulad. 2: 44. 4: 29. Ex frugibus in mergitibus desumitur, non in granis, 625: 45. nisi usus vel contractus aliter velit. Colonus decimas intra territorium tenetur convehere pro certa mercede, v. gr. decimalitate decimæ Ulad. 5: 51. vel uti conventum est, aut usus invaluit, 618: 45. 659: 56. In vino decimando mensuris legitimis utendum sub pœna violentiæ, v. gr. urna 64 mediarum, 655: 51.

§. 335. Vigore 7: 1802. si ab insinuatione finitæ per omnes ejusdem loci et Domini colonos falcationis vel messis autumnalium, vel respective vernalium frugum per ejusdem facta, intra 8 dies nona vel decima non desumatur, possunt rustici fruges suas domum portare, relicta in campo nona et decima. Adveniente decimatore tenetur rusticus jurare, quod decimam rite et competenter extradederit. — Juramento decimator non contentus, potest acervum disjicere, si plus non inveniatur quam revelatum est, solvit rustico aureum, secus rusticus equum ejus potest adimere; si quid plus inventum est, confiscatur Matth. 6 41. Ulad. 5: 51.

De vino sub vindemiis est desumenda, modo et tempore per Comitatum determinando (etiam singillative, si ita moris fuerit) 7: 1802. sub pœna amissionis illius anni, 95: 1647. Ex agnis et hædis, ante festum Joannis Baptistæ 647: 96. Ex apibus ante festum S. Michaëlis, Ulad. 2: 59.

§. 556. Processus ex decimis enascitur:

Primus. Prælato jus decimandi habenti contra illos, qui decimam in natura dari solitam denegant, si in natura exigendi usum D. 1: p. 196. 5. pag. 197. habuit Prælatus. Dec. in causa Cler. Quinque Eccles. 15 Februar 1798. Vel contra illos, qui collectionem decimæ impediunt D. 7: p. 196. aut illas violenter auferunt, ad pœnam dupli. Actio fundatur in 1548: 61. 1609: 17. Debet probari pacificus usus, non tantum integræ possessioni vel territorio, aut, (ut loquuntur) promontorio, verum in specie agris et vineis applicandus, D. 2, 5: p. 197. licet Tabula Regia, probato relate ad aliquos agros et vineas usu, ex omnibus ejusdem territorii agris et vineis desumserit Plan. 229. Si arendatitia pecunia denegetur, non habet locum pœna dupli. Defluit non jam coram S. Sede, ut 55: 1596. verum 5: 1608. coram Vice-Comite, vel Judice Nobilium, pro ratione valoris rerum denegatarum 55. 1729. Citatæ leges tacent de illo qui denegat decimas, verum Decisiones 1, 2, 3, 9. pag. 196, et sequ. etiam illi pœnam dupli dictant. Ex officiolatu etiam potest agi ad pœnam dupli Dec. 6: 198. quam sua natura repositio sequitur. Expensæ non currunt, Dec. 9: pag. 198. et 20-ma Sept. 1806.

Secundus. Eidem competit actio violentialis,

non contra denegantes decimam, verum contra ablatores, vel collectionem impedientes, 29: 1609.

Tertius. Illi, qui præarendandi jus habet, æque ad pœnam violentiæ, coram Vice-Comite, contra illos, qui collectionem decimarum præripiunt, aut impediunt. — Fundatur actio in 622: 70.

Quartus. Processus violentialis. Per illum moveri potest, qui fuit in usu non solvendi decimam, eo non obstante ab illo extorta est, aut per illum a quo illegaliter et excessive exacta est, uti etiam propter quoscunque decimatorum excessus. Actio fundatur in 1655: 89. 715: 97. Compensantur etiam dolores corporis ob verberationem perpessi 659: 51.

Quintus. Ad desumtionem pecuniæ, si arendam quis nolit solvere, via et Judice debiti.

Sextus. Contra Prælatum ad octavam vel sedecimam, (vel prout usus est) Parochis competentem desumendam. — Fundatur actio in S. Lad. 1: 55. 725: 71. 1557: 12. et Ulad 5: 50. Octava vel decimasexta semper per illum Prælatum debet præstari, qui decimas colligit, etiamsi in pecunia accipiat decimas, nisi expresse exclusa sit contractu, quod si sit, illi debent octavam vel decimamsextam dare, qui Prælato tenentur.

Septimus. Processus juris. Si Prælatus non sit in usu, ex jure debet procedere, adeoque privilegium in usum deductum docere, D. 1: 85. 4: 84. huic usui obverti potest præscriptio, nec pœna dupli habet in hoc processu locum, D. 5: 85. Defluit coram Tabula Regia. Ibidem movet etiam juris processum, qui virtute privilegii exemtorii, et olim usu roborati, nec tardius usu contrario et præscriptione per Prælatum obvertenda infirmati, vult se a decimis, quas nunc præstat, liberare, ex 2-dæ 9. 52.

§. 337. Nona et jus montanum Dominorum terrestrium quando, quomodo et unde præstatur? §. 338. Processus ob nonam vel jus montanum. §. 339. Jura dominalia a Regalibus distincta.

§. 337.

Sexta species jurium regalium est nona vel jus montanum. Acquisiverunt hoc jus Domini terrestres sola lege Lud. 1: 6. Ulad. 1: 47. præstatur in regula tantum a terris urbarialibus, nam ab allodialibus, vel prædialibus potest Dominus exigere septimam, vel octavam, vel prout conventum est. Nona datur:

1) Ex omnibus terræ nascentiis, ut Ulad. D. 7: 18. habet, exceptis hortensibus intravillanis. Tempus exigendi est idem, quod decimæ.

2) Ex vino nisi jus montanum in usu sit, idest, certa præstatio semper æqualis, 31: 1655. 1715: 97. eodem tempore, quod de decimis dictum est, per officiales dominales, in facie vinearum determinanda, et per colonos, ad locum destinatum invehenda, exigitur, 1807: 5. Non licet vero Domino optima vina pro se seligere, 79: 1655.

3) Ex animalibus iisdem, ex quibus decima, debent nonam solvere omnes, qui in alieno fundo possident, nisi speciale privilegium habeant, et quidem usu roboratum, Ulad. Decret. 1. 49. §. 5. Si quis ex vino non det nonam, coram Sede dominali convenitur ad amissionem vineæ, etiam Nobilis, si proxime elapso anno dedit nonam. Secus coram Vice-Comite debet conveniri, quia tunc agit Dominus ad redintegrationem usus habiti, Ulad. 1: 49. 1655: 48. 625: 58. Si colonus ejusdem

Domini ex agris deneget nonam, violentiali processu conveniendus est, quia in amissione fundi nihil vel parum perderet, nisi libera emtio et venditio esset in usu, adeoque agro pecunia inhæreret, prout etiam, si extraneus colonus vel quiscunque terras alienas nefors pecunia emtas colat, amissio fundi denegatæ ex agris nonæ pœna esse potest, si, prout moris est, procreatio tota confiscari non potuit. Si procreatio non sincere revelata est, confiscatur id quod suppressum est.

§. 558. Processus primus. Domini terrestris, ad amissionem agri vel vineæ. Actio fundatur in Ulad. 1: 49. 655: 48. ut supra dictum.

Secundus. Violentialis, contra illos, qui nonam violenter auferunt, et præripiunt.

Tertius. Repositorius, in usum nonam exigendi, contra talem Nobilem, qui repetitim denegavit nonam, coram Vice-Comite, D. 4. p. 12. Violentialis etiam potest contra eum moveri, quia prætendit se Dominum esse terræ, adeoque involat in jura aliena, nec est absurdum eum violentiali processu convenire, qui non præstat, vel denegat id, quod deberet dare, v. gr. qui damnum per feras suas illatum non resarcit, 1802: 24.

Quartus. Violentialis, contra nonam exigentem ubi non haberet jus exigendi, vel excessive exigit, erigitur per læsum, qui si civis sit, Judex, si colonus alterius, Dominus ejus terrestris, si libertinus vel ejusdem lædentis colonus sit, Fiscus magistratualis aget.

Quintus. Læso contra Dominum terrestrem, jus montanum, via facti, supra usum diuturnum attollentem, coram Vice-Comite ad pœnam violentiæ. Fundatur in legibus, de quibus supra.

Sextus. Processus juris movetur per illum, qui fundamento privilegii usu roborati vult se liberare a nona, debet privilegium fundo applicari.

§. 339. Piscatio, venatio, aucupium, (quorum duo posteriora alioquin, certo sensu, omnibus Nobilibus, etiam in alieno competunt) licet per Decis. Cur. 10: p. 152. cum beneficiis regalibus recenseantur, apud nos sunt tantum beneficia dominalia, prout molendina et braxatoria, seu officinæ cerevisiariæ, quæ omni Domino fundi competunt, ut etiam fornicum mercantilium, machinarumque et fabricarum quarumcunque erectio.

CAPUT VIII.

De Testamento.

§. 340. Testamenta et eorum requisita in genere. §. 341. Activitas testandi personalis, vel subjectiva, §. 342. Vel objectiva. §. 343. Activitas testandi realis diversa est, §. 344. Quoad ascendentes et descendentes. §. 345. Quoad collaterales. §. 346. Quoad conjugem. §. 347. Quoad Fiscum. §. 348. Quoad Dominum terrestrem, §. 349. Et Communitates liberas.

§. 340.

Testamentum est dispositio de eo, quod quis post mortem suam cum bonis suis fieri vult. Ante mortem semper potest mutari.

Requisita et solennitates testamenti, aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Interna solennitas est activitas testandi, personalis, vel rea-

lis. Personalis activitas subjectiva ipsum testantem; objectiva, illam personam concernit, in gratiam cujus quis testatur. Externæ solennitates sunt variæ, prout testamenta.

§. 341. Activitas testandi personalis quoad personam testantis est: ut nec impediatur testamentum facere, v. gr. amentes, furiosi, infantes; nec prohibeatur, v. gr. personæ illegitimæ ætatis, licet annos infantiæ excesserint: porro notorii, infamia juris notati; in his casibus testamentum est ipso jure nullum, nec opus est invalidatione, verum per forum pedaneum seponitur, ad petitionem illius, qui ab intestato succedere deberet. Puellas sub tutela existentes licet legitimæ ætatis sint, ex 91: 1-mæ erronee dicunt aliqui non posse testamentum facere, nam quod sibi vel successoribus præjudiciosas translationes non possint facere, inde non sequitur eas nec testari posse, vel exemplo masculorum, qui posssunt testari in ista ætate, in qua fassionem celebrare, aut secus inter vivos disponere non possunt.

§. 342. Activitas personalis objectiva, seu quoad personam illius, cui testamento aliquid datur, est, ut sit activitate recipiendi prædita, sic v. gr. Communitati sive nobili, sive ignobili, Ecclesiæ, Claustro, Ignobilibus, nemo potest bona immobilia nobilitaria testari, verum tantum æstimationalem pecuniam legasse censetur; quilibet nobilis, eo magis, qui ab intestato succederet, potest bona reluere. Ergo talibus factum de rebus immobilibus testamentum non est quidem ipso jure nullum, sed nec invalidatione opus est, verum foro pedaneo reluuntur bona.

§. 343. Activitas testandi realis non tantum res testatori proprias, verum etiam liberam ejus disponendi facultatem supponit. Si quis itaque de rebus alienis disponit, est testamentum ipso jure nullum, v. gr. quoad portiones fratrum indivisorum, de bonis fidei comissis. Licet vero quis de propriis bonis et propria portione disponat, tamen, si non habuerit liberam disponendi facultatem, erit testamentum invalidabile, non ipso jure nullum. Activitas hæc testandi est valde diversa, pro varietate successorum, et rerum.

§. 344. Descendentes et ascendentes, possunt controvertere testatorem non habuisse liberam disponendi facultatem 1) cum quis de avitis D. 5: p. 103. sive mobilibus, sive immobilibus fecit testamentum, aut 2) de acquisitis quidem, verum avita abalienavit, aut illis onera aut debita, D. 2: 136. induxit 49: 1725.

§. 345. Collaterales vero (non obstante v. gr. contrario nefors Civitatis alicujus privilegio D. 38: 144.) controvertunt, 1) cum quis de avitis disposuit, in quibus collaterales condivisionales mutuam successionem cum testante habuerunt, quæ testanti, vel illius majoribus divisione obtigerant. 2) Cum quis de illis ultra suam ratam disposuit, quæ ex fructibus bonorum indivisorum acquisivit, quia de re aliena disposuit, 725: 47. 3) Quando quis de acquisitis verè suis disposuit quidem, verum avita albalienavit, aut illis onera induxit, quia nemo censetur eousque acquisitor esse, donec avita per ipsum alienata vel inonerata redintegret vel depuret. Verum, si in utilitatem familiæ facta est venditio, et vendens bona acquirat, potest disponere.

§. 546. Uxor civis et coloni, potest, ut dicetur, controvertere, maritum, ultra medietatem coacquisitorum disponentem, non habuisse liberam testandi facultatem. Non item nobilis hominis uxor in regula, licet maritus de omnibus coacquisitis testamentum condiderit. Versa vice: uxoris coacquisitricis testamentum, simpliciter evertet nobilis maritus, verum civis et colonus, tantum ultra medietatem factum. Extra dictos casus, potest quis liberrime disponere quoad familiam suam de acquisitis, atque adeo, etiam præfecta et adoptatus 1-mæ 57. et pater, licet literis acquisitionalibus nomina filiorum inserta sint.

§. 547. Respectu Fisci libere disponit quilibet:

1) De extradonationalibus.

2) Donationalia ultimus deficiens, vel, qui acquisitor simul est et deficiens, non potest testari absque consensu regio. Verum qui non est ultimus deficiens, potest quoad Fiscum; legatarius usque defectum vel notam totius ejus familiæ possidere poterit.

3) In donationalibus mixtis ultimus deficiens de summa investita libere potest testari; idem tenendum de bonis penes consensum regium possessis, quoad pecunias; de ipsis bonis non potest, si fatens defecit, vel non defecit quidem, verum cum clausula nil juris fuerit fassio, secus potest, idest, si fatentis familia superest, et absque clausula nil juris est fassio, licet consensu R. munita.

4) Licet donatio sit pura, tamen de meliorationibus, ædificiis, aliisque investitionibus etiam ultimus deficiens libere potest testari, non item de bonis ipsis, 26: 1715. nec illa citra necessitatem (aut plane contra inhibitionem Fisci) ven-

dere, aut debitis onerare. 5) Prælati ex fundatione regia bona possidentes, nisi testandi facultatem a Regia Majestate impetrent, tantum de parte tertia acquisitorum suorum possunt testari. Inferiores Clerici, ut et Religiosi in cura animarum servientes, nisi ex fundo religionis pensionem habeant Resol. R. 12. Oct. 1802.) possunt de omnibus acquisitis. Vita comite illicite quidem, sed tamen valide donant Prælati D. 27: 59.

§. 548. Dominus terrestris potest controvertere colonum suum ultimum deficientem non habuisse liberam disponendi facultatem, si 1) De immobilibus avitis, idest, de meliorationibus per antenatos suos terræ dominali investitis disponat 5-tiæ 50. 2) Si de immobilibus acquisitis ultra medietatem disponat. Ergo de rebus mobilibus sive avitis, sive acquisitis potest disponere ultimus deficiens colonus. Imo potest etiam de immobilium acquisitorum medietate, si v. gr. vineam plantavit, ædificavit in fundo dominali, vel exstirpavit, medietatem vineæ vel agri exstirpati aut ædificii, seu potius, mediam partem investiti laboris, potest testari et legatarius eodem jure poterit possidere, quo legans possedit, idest, erga solitas præstationes, vel vero Dominus terrestris, ad quem fundi proprietas pertinet, meliorationes ab ipso redimet. Verum, si vinea vel exstirpatura avita fuerit, non potest testari. In illis rebus, de quibus testari potest colonus, potest (prout quilibet alter, positive enim et non exclusive hoc disponitur) etiam filio suo illegitimæ ætatis hæredem substituere, ut, si in illegitima ætate moriatur filius, hæres substitutus succedat, verum si in ætate legitima morietur, eva-

nescit hæredis substitutio, quia jam filius, nisi fidei commissum sit, potuit testamentum facere; si non fecit, in omnibus Dominus succedet 3-tiæ. 30. Si inter colonos libera emtio et venditio fundorum vigeat, etiam ipsos fundos in regula, libere possunt legare, ad vires summæ inhærentis, et Dominus fundi nonnisi emtionali, aut solito locali pretio ad se pertrahet, in casu indigentiæ propriæ; vineas vero sessionum constitutivum non ingressas, pro lubitu quidem, sed semper justa æstimatione mediante, 1-mæ 133. §. 40. et per Sedem dominalem.

§. 349. Quoad communitates liberas, civis et oppidanus habet liberam de rebus suis disponendi facultatem, adeoque, ex defectu liberæ dispositionis, testamenta eorum non invalidantur. Jam de solemnitatibus externis.

§. 350. Testamenta quoad formam externam privilegiata. §. 351. Solemnia publica, §. 352. Solemnia privata scripta, — §. 353. Eorumque requisita. §. 354. Nuncupativa. §. 355. Testamenta Cumano-Jazigalia, §. 356. Colonicalia. §. 357. Extra regnum confecta. §. 358. Codicilli.

§. 350.

Testamentum solemne, præter et supra probas, solemnitates requirit, privilegiatum vero id tantum, ut proabari possit testatoris voluntas, adeoque sufficiunt duo testes (ut videtur simultanei, non singulares) vel vero scriptura solius testatoris, et subscriptio 1715: 27. sed non sola et mera subscriptio, nisi testis etiam saltem unus

subscripserit. Casus privilegiati testamenti ex 1715: 27. §. 5. sunt:

1) Si sit ad pias causas, (aut pro Fisco, ut aliqui dicunt, aut publico).

2) In castris, occasione periculi bellici imminentis, quo cessante cessat.

3) Si sit de solis liberis, vel, quatenus est de illis, l-mæ 57. non item, in quantum de aliis legatariis sonaret, v. gr. de uxore.

4) Tempore pestis, ubi illa grassatur, qua cessante et superata, cessat.

§. 551. In omnibus reliquis casibus solemne testamentum requiritur, quod vel est publicum, vel privatum. Publicum semper est scriptum, et fit coram Capitulo, Conventu, vel exmissis ex Capitulo vel Conventu, coram Judicibus Regni ordinariis, eorumque Protonotariis, coram ipso Rege, vel Cancellaria, vel exmisso ejus, coram Comitatu, vel ejusdem exmissis, pro civibus, (quorum testamenta ordinarie publica sunt) prout etiam oppidorum privilegiatorum incolis, coram Senatu vel exmissis, relationem facturis. Nobilium impossessionatorum, et suspectorum simul eadem est ratio, 15: 1649. 41: 1681. qua posteriori lege, 46: 1655, et 127: 1659. impossessionatos vel suspectos civili jurisdictioni subjicientes mutati sunt.

§. 552. Privatum testamentum fit coram personis privatis, vel publicis quidem, sed non qua talibus et non exmissis. Cives etiam possunt vel in casu necessitatis, vel si statutum et consvetudo ita sit 27: 1715. privata testamenta facere, cum illis solemnitatibus, quibus nobiles vel libertini, ast eorum testamenta semper debent illis prælegi, et per illos viva voce approbari; eo magis stat

Nobilium possessionatorum, de bonis civilibus extra Civitatem factum testamentum 46: 1655. Privatum testamentum scriptum in scripturam redigitur, vel jam redactum testibus per ipsum testatorem præsentatur, sive sit clausum, idest, ut non sciant testes quid contineat, et tantum scribant, sibi ita præsentatum esse per testatorem, qua testamentum; sive apertum, idest, ut etiam testes sciant quid contineat in specifico.

§. 555. Requisita scripti testamenti privati solemnis sunt: 1) Quinque testes idonei, (non ergo septem uti ante annum 1715.) non debent esse interessati, quia pro se nemo potest testimonium perhibere. Si viri possunt haberi, præferendi sunt feminis. Qui in aliis negotiis testificari non possunt, nec in testamento possunt esse testes, hinc domestici, idest, dominicæ potestati subjecti, aut alii familiares adhiberi non possunt præter casum magnæ necessitatis. 2) Omnes testes simul coram testatore præsentes esse, illum videre et intelligere debent, testamentumque uno continuo actu debet solemnisari. 3) Debent esse vocati et requisiti, non qui se obtrudunt. 4) Nobilitari vel æquipollenti prærogativa gaudentes, et honestæ conditionis, v. gr. Officiales dominales etc. 5) Debet adesse subscriptio et sigillum testatoris, si nesciat vel non possit scribere, sextus testis loco ejus subscribere debet, et suum et testatoris nomen adjecturus. 6) Omnium testium subscriptio requiritur et sigillum 27: 1715. Verum loco testis qui scribere nescit, potest alter ex testibus subscribere, si crucem ipse formet, ut et sigillum alterius etiam potest apprimi. — Testamentum testatori explicari debet, si nefors,

id quod dictavit, lingva ipsi ignota sit in stilum redactum, quod de fassionibus dicit 687: 13. 7) Dies, locus, annus, mensis rite apponi, rasio vero seu cancellatio aut interpolatio, præcipue in substantialibus, prout omnis fraus, vis et metus abesse debet, quia si vel in unum §-phum irrepat, totum corruit, secus ac propter defectum solennitatis internæ, v. gr. quoad avita ruit testamentum ex parte, tamen quoad acquisita stare debet pars reliqua.

§. 354. Testamentum nuncupativum non lege scripta, verum consvetudine nititur, verbis tantum per testatorem profertur, nec occasione testamenti facti in scripturam redigitur, licet postea per ipsos testes memoriæ causa describi possit. Solemnitates eædem adesse debent præter scripturam, quas de testamento scripto diximus. Si nefors res ad processum deveniat, jurare debebunt hi testes, prout etiam in privilegiato, secus ac in scripto solemni. Si testamentum scriptum, propter aliquem nævum, v. gr. ob defectum sigillationis ruat, stare potest qua nuncupativum, prout, si testamentum scriptum non possit produci, eo quod casu vel malitia hominum periisse fundata suspicio adsit, juramento testium qui præsentes aderant, supplebitur, nisi ab adverso probetur per testatorem esse abolitum, quod in dubio præsumitur, si testamentum apud ipsum servabatur.

§ 355. Inter Jaziges et Cumanos, vi statuti 3, si autem testator scripturæ ignarus sit, 4 testes requiruntur, Senatui relationem facturi, et quidem in casu nuncupativi testamenti, aut jam mortui testatoris, sub juramento.

§. 356. Coloni testamenta sua valide faciunt coram duobus Juratis loci per Judicem exmissis, aut duabus aliis personis fide dignis, prout usus cujuslibet loci antiquus 3-tiæ: 30. eo magis coram 5 vel 6 personis.

§. 357. Extra Regnum degens, potest ita facere testamentum de rebus suis in Hungaria existentibus, prout ibi moris est, ubi moratur et moritur. Testimonialibus ejusdem loci probari debebit, rite esse consvetudinem loci observatam 1729: 24. Si Judex Regni Hungariæ ordinarius, aut ejus Protonotarius reperiatur in loco illo extraneo, potest coram illo celebrari, exemplo fassionis perennalis 1729: 24. §. 10. quia testamentum excipiendi facultas non est jurisdictio contentiosa, verum voluntaria, quæ etiam extra fines territorii competit.

§. 358. Testamentum potest suppleri, vel mutari in aliquibus punctis particulam hæreditatis tangentibus codicillo, qui est, testamentum minus solemne. Est vel scriptus, vel nuncupativus, ad utrumque tres testes fufficiunt, 715: 27. verum si sit scriptus, et testator scribere non possit, quartus requiritur. 1715: 27. § 6. Ceterum eadem observanda sunt, quæ de testamento. Codicilli possunt esse etiam plures, sed ruente per revocationem, vel ob vitium externum per sententiam Judicis testamento, ruunt, secus non necessario, licet illud produci non possit.

§. 359. Testamentum destitutum, ruptum, irritum. §. 360. Inofficiosum, §. 361. Super coacquisitis uxoreis, aut vidualibus factum. — §. 362. De rebus post testamentum acquisitis,

§. 363. Donatio mortis causa de testamentis et contractibus participat.

§. 359.

Si legatarius testanti præmoriatur, successores nihil possunt prætendere, (nisi inserti sint testamento) et redit successio ab intestato, vocaturque testamentum destitutum, uti etiam si legatarius non acceptet rem legatam. Neptis, ex filio, patri, bona pro solis maribus regulanti præmortuo nata, participat ex pecuniis filiabus legatis Dec. Cur. 57: 249.

Ruptum testamentum est, si testator mutavit suam voluntatem, vel ex toto, vel ex parte, vel coram testibus privatis duobus, vel propria scriptura, sive fecerit aliud testamentum sive non. Si fecit, licet posterius testamentum ex defectu aliquo corruat, tamen prius non reviviscet. Testamentum laceratum vel cancellatum repertum, præsumitur per conditorem esse laceratum prout etiam publicum, per testatorem repetitum, licet illæsum servatum sit, censetur esse revocatum.

Si res legata pereat, vocatur testamentum irritum, si in specie legata fuerat, nihil acquirit legatarius; verum si in genere est res legata, v. gr. una vacca ex armento, etiamsi omnes vaccæ pereant, et una remaneat, legatario debet dari.

§. 360. Inofficiosum testamentum apud nos non dari decisum est in C. Baranyiana; adeoque de omnibus acquisitis potest disponere quilibet etiam cum exclusione prolium, ut lex dicit, vita comite, idest, dum vivit, 1-mæ 57. si tamen proles nondum sunt educatæ, et prorsus non sup-

petant media educandi, aliqua pars pro educatione exscindi potest, et debet sensu 1-mæ 55. Parentes quidem, naturaliter, prolibus acquirunt, 55: 1-mæ; ast, hoc: naturaliter id significat: nisi aliter disposuerint, acquisita patrum prolibus manent, prout acquisita filiorum parentibus, si filii descendentibus et conjuge carentes, non disposuerint. Ergo, si filius potest excludere patrem ex acquisitis, 51: 1-mæ, etiam pater potest filium. Si obligativo, et non svasorio modo loqueretur 55: 1-mæ §. 9. de dividendis extra casum coactæ divisionis acquisitis sonans, vix admisisset patri, vel in casibus coactæ divisionis, acquisita sua divisioni subtrahere: si ibi admisit, etiam in aliis casibus admisit pro arbitrio patris; quia etiam præter illos casus legales potest pater causas habere, ut extraneum præ filio magis se diligere debere putet, etiamsi in aliis casibus coactam divisionem fieri non posse concederetur.

§. 561. Uxor coloni vel civis de medietate coacquisitorum etiam vivo marito, eo magis mortuo disponere potest, et maritus ejus æque de medietate tantum, viva, vel proles relinquente uxore 3-tiæ 29. Quoad cives Resol. 1796. Nobilis potest de omnibus coacquisitis, 1-mæ 98. 102. uxor illius nec de medietate vivo marito. D. 1. p. 102. 11. p. 138. nisi bona uxoris fuerint radix acquisitionis, maritus ante matrimonium nihil habuerit, et simul uxoris nomen acquisitionalibus insertum sit, D. 58: p. 149. aut contractu se ligaverit maritus, idest, disponendi facultatem uxori dederit, 59: p. 144. vel testamentum uxoris subscripserit, D. 44. p. 146. aut coacquisita in mundum muliebrem sint conversa, D. 1: p. 102. De liberis ta-

cet lex, verum eum successionem illorum ita regulavit uti Nobilium, censetur etiam dispositionem ipsorum ita regulasse, si nobilitari et liberali modo acquirant: quia et nobilium rusticano vel opificum modo acquirentium alia est ratio; eadem scilicet quæ colonorum vel civium; quin et civium, et aliorum ignobilium acquisitio potest nonnunquam excipi a communi regula, qui scilicet modo nobilitari, vel saltem liberalibus studiis acquirunt, nec vitæ genus civibus vel colonis usitatum sequuntur. Marito qualicunque licet intestate mortuo, proles tamen relinquente, non ultra dimidiam partem potest vidua de coacquisitis disponere, D. 22: p. 122.

Si mulier bonis mariti proles relinquentis immaneat, et tam ex illis quam ex propriis bonis acquisitiones faciat, et post secunda vota rationes non det, nonnisi de medietate poterit disponere; alia medietas, utpote ex bonis mariti proveniens, ad massam bonorum maritalium adjungitur (Dec. Cur. 21. 122.) velut fructus illorum.

§. 362. Si quis totam suam substantiam uni vel pluribus in genere relinquat, etiam quæ post testamentum acquisivit, illos concernent. Si vero legatariis, specificas et determinatas summas, vel res reliquit, licet totam, quam tunc habuit substantiam legatis exhauserit: tamen si quid post testamentum acquiret, id ad legatarios non pertinebit, verum successio ab intestato locum habebit.

§. 363. Etiam si testamentum, imprimis solemne, metu mortis instantis fiat, periculo tamen superato non tollitur, verum etiam in casum futuræ tardioris mortis valebit. Ast donatio mortis causa, licet solemnitatibus testamenti, quas de-

siderat, instructa, periculo, cujus consideratione facta erat, cessante tollitur: ceterum, ita fit, et revocatur, ut testamentum, licet acceptatio et traditio, ad imitationem contractus ejus, qui donatio inter vivos vocatur, intervenerit.

§. 364. Invalidatio testamenti ex vitio substantiæ testamenti. §. 365. Invalidatio ex vitio formæ externæ. §. 366. Implementum testamenti. §. 367. Processus alii ex testamentis.

§. 364.

Processus ex materia testamentorum sunt:

Primus ad invalidationem testamenti ex defectu solemnitatis internæ, seu quoad materiam et substantiam ejus, licet forma rite sit observata. Quoad testamenta nobilium et liberorum, defluit coram Tabula Regia, quoad testamenta civium vero coram Magistratu civico; quoad testamenta colonorum coram Sede dominali. Ob alienationem bonorum nobilitarium immobilium fundatur in 59, 60, 61. 1-mæ. — Ob aliorum vero bonorum avitorum sive mobilium, sive immobilium in 49: 1725. Probari debet præjudicium, id-est, læsio magna, pro quantitate bonorum (quia prætor minima non curat, præcipue si legata pia sint, D. 27: 142.) eum in finem probari debet defunctum non habuisse liberam disponendi facultatem, v. gr. per proles, vel collaterales, bona avita fuisse. Hoc probabitur per divisionales vel per testes. Movetur per illos, quos successio ab intestato respicit, nisi facto successive testamentum approbaverint, v. gr. secundum illud diviserint, et ratas suas accceptaverint absque contradictione et

reservata 62: 1-mæ, 72: 1-mæ, Dec. 4. p. 103. In processu hoc, ante Actoratum stabilitum debet Incattus testamentum producere, quia inde edocebit actor læsionem. Marito ad invalidationem testamenti uxorei agente, ante terminatam litem mortuo, hæres ejus, vel legatarius distincta Actione debet uti D. 2: 102. Si frater, fratris de avitis factum testamentum subscripsit, illud impugnare amplius non potest, D. 52: 143. aliter Tab. R. Pl. 224.

§. 365. Secundus ad invalidationem ex defectu solemnitatis externæ, seu quoad formam testamenti, aut ex circumventione et dolo, vi, metu, et errore, quamvis testator liberam disponendi facultatem habuerit, movetur æque per illos, quos successio ab intestato respicit. Quoad civium testamenta defluit coram Magistratu civico (solet etiam moveri coram S. Sede) quoad colonorum testamenta coram Sede dominali 25: 3 tiæ, quoad nobilium et liberorum vero S. Sede diœcesana 27: 1715. 15: 1647. 51: 1658. exclusive.

§. 366. Tertius. Ad implementum testamenti, ex 1-mæ 57. Movetur potissimum per fratres, cum pater accommodationem fecit inter filios, et aliqui illi stare nolunt. Defluit coram Tabula Districtuali 715: 28, præcipue quoad immobilia, ast etiam successionale forum et institutum staret, quia quæritur successio secundum testamentum. Et, licet cum acquisitis avita etiam involuta sint, et improportionate per testatorem adsignata: tamen forum procedens adjudicat implementum vel successionem secundum literam, quia illi non competit invalidandi facultas; qui læsum se putat, agat foro Tabulari, quid quod si talis sententia appelletur, Tabula Regia, illo instituto, non in-

validabit: quia quando appellatum processum revidet, non excedit primæ instantiæ fori activitatem. Sic: dos vel contrados excessiva potest invalidari foro et instituto Tabulari, tamen sententiam per forum pedaneum ad desumtionem illius latam potest approbare Tabula Regia, et illo Instituto non invalidat. Sic: Decisio Curialis, 22. p. 165. licet contraria 4: p. 151. dicat: implementum testamenti de acquisitis disponentis tantum ita adjudicari, si bona avita alienata prius redintegrentur; quod quidem cum priori sententia conciliari posse videtur, ex eo, quod, redintegrationis Judex sit pedaneum forum non item invalidationis.

§. 367. Quartus. Ad desumtionem rerum mobilium legatarum. Movet legatarius, idest, cui, res singularis et determinata, vel certa summa pecuniæ relicta est, contra haeredem, unum vel plures, quos scilicet haereditas (licet in quotalitate determinata) concernit, vel contra testamenti executorem. Actio fundatur in 126: 647. Defluit coram Judice successionis, idest, coram Judlium, vel Vice-Comite, aut Tab. Districtuali. Etiam propter immobilia legata vel coram Tabula Distr. ad implementum agi potest, vel coram Judice successionis: quia sive implementum, sive successio adjudicetur, idem est.

Quintus. Executor testamenti testamento constitutus potest movere processum contra illos, qui res defuncti detinent, pro ratione bonorum coram Judice processus successionalis, ad redintergrationem massæ D. p. 169. etiam contra Fiscum, nefors bona occupantem, cum fructibus, a proventu bonorum, non a summæ inhærentis interesu-

rio metiendis. Imo potest etiam contra hæredem ad revelationem literalium instrumentorum, ex quibus scire possit, quæ bona sunt avita, quæ acquisita, agere.

Sextus. Si testamentum est nullum ex causis supra dictis, v. gr. Frater unus portiones fratrum indivisorum legavit, aut vidua Nobilis mariti proles relinquentis, nec non colonus vel civis maritus, aut ejus uxor, ultra dimidiam coacquisitorum partem disposuit etc. Processus successionalis movetur, et vi 52: 2-dæ accessorie testamentum seponi petitur. Si adeo clarus sit defectus solemnitatis externæ, ita ut vix speciem testamenti habeat, aut dolus in testamento clare appareat, etiam potest successionali processu accessorie seponi, vel in implementali exceptio nullitatis obverti, et sepositio urgeri, quia non est necessitas invalidationis.

CAPUT IX.

Successio ab intestato.

§. 368. Successio ab intestato, §. 369. Descendentium legitimorum simul, et naturalium, aut per subsequens matrimonium legitimatorum. §. 370. Per Principem legitimatorum. §. 371. Legitimorum tantum, §. 372. Naturalium tantum. §. 373. Peculiare de colonorum filiabus.

§. 368.

Habet locum si testamentum non est factum, vel factum quidem est, sed vel revocatum, vel non ri-

te factum est, adeoque vel ob defectum solemnitatis externæ, vel ob vitium materiæ seu substantiæ testamenti, redit casus intestati.

§. 369. Primo descendentibus competit, de quibus observandum:

1) Descendentes legitimi et naturales (quo etiam legitimati per subsequens matrimonium referuntur) si fuerint carnales simul, et uterini, idest, eodem patre, et eadem matre nati, in omnibus bonis maternis et paternis æqualiter succedunt, sive sint ante mortem patris nati, sive posthumi ab humatione viri intra 10 menses, ut 62. 2-dæ dicit nati. Sessiones colonicales, invito Domino non dividuntur, verum unus reliquos ex meliorationibus exsolvet.

2) Si bona solum sexum masculinum concernant, in illis feminæ non succedunt, prout nec in fructibus eorum ab obitu patris perceptis, (nisi restantiæ vivo patre accumulatæ fuerint, D. 9. p. 138.) vel in meliorationibus illis investitis, aut utensilibus domus et bonorum paternorum talium Dec. Cur. 20: pag. 140. 8: p. 158.

3) Si proles sint carnales tantum, idest, eodem patre, sed diversa matre, vel uterinæ tantum, idest eadem matre, sed diverso patre genitæ, ut versiculus exprimit: maternis cedunt materna, paterna paternis. Hinc, medietatem coacquisitorum conjugalium, proles coacquisitricis velut maternam capient, in alia medietate, velut paterna cum prolibus ex alia uxore per patrem communem susceptis divident, D. 30: p. 142. Nobilis, vel liberali modo acquirens ignobilis potuisset aliter ordinare, ut scilicet omnes proles æ-

qualiter dividant, non item civis, vel colonus, vel civili aut colonicali modo acquirens nobilis.

4) Descendentes primi gradus succedunt in capita, idest, in tot partes dividuntur bona, quot personæ sunt. Descendentes ulteriorum graduum succedunt in stirpes, idest, si ex tribus fratribus unus parenti præmortuus reliquit tres proles, hæ tres proles unam portionem accipiunt, quam stirps ipsarum accepisset. Licet vero pater, literas acquisitionales super bonis cum prima uxore jure uxoreo acquisitis factas, in præjudicium prolium primi matrimonii mutet: tamen secundum acquisitionales illas fit successio, quin et inter patrem et filios vel proles diversi matrimonii, divisio, in iisdem bonis et fructibus eorum 659: 36.

§. 370. Proles per Principem legitimatæ in illis succedunt, in quibus Fiscus succederet. Si legitimæ et naturales adsint, in avitis non succedunt, in acquisitis vero succedunt, si vivus pater curavit illas legitimari, quia per id voluntatem suam satis declaravit. Atqui in acquisitis secundum voluntatem ejus succeditur.

§. 371. Proles legitimæ tantum, idest, adoptivæ, si consensus regius adsit, in omnibus excludunt Fiscum. Verum si proles legitimæ et naturales adsint, in avitis non succedunt; in acquisitis autem possunt succedere ex ratione prius dicta parentibus suis legitimis et naturalibus, non obstantante per alterum facta adoptione, succedunt.

§. 372. Proles naturales tantum patri non succedunt 62: 2-dæ ab intestato, matri vero videntur succedere in illis, de quibus disponere potuisset, et proles aliæ non adsunt, sensu contrario citatæ legis, unice de patre sonantis, qui nunquam

jure præsumitur, eo minus est certus, item 108. 1-mæ, quæ lex proles illegitimas a successione utrorumque parentum arcendo, supponit adesse descendentes legitimos, vel collaterales, et bona indisponibilia. Proles ex incestuoso, verum ignoranter contracto matrimonio natæ succedunt parentibus 106, 108: 1-mæ, idem valere putatur in casu cujuscunque matrimonii putatitii, si scilicet matrimonium cum dirimente quocunque impedimento contractum annulletur, v. gr. ex capite coactionis etc. atque saltem alteruter parentum in bona fide versetur.

§. 373. Colonorum filiæ tempore mortis patris nondum emaritatæ, in omnibus ejus acquisitis extrasessionalibus, vel sessionalium meliorationibus dividunt cum filiis in capita. Si vero ante mortem patris emaritatæ sunt, rata ex mobilibus paterno-avitis debuit ipsis extradari; secus illam, etiam post mortem patris potuerunt petere; ex mobilibus vero per patrem acquisitis nonnisi honestam et condecentem emaritationem habebunt, qua obtenta, post mortem patris, ex acquisitis mobilibus nihil possunt a fratribus prætendere 29: 3-tiæ, salva tamen illarum successione in casu defectus fratrum (eo quod emaritatio loco divisionis sit) permanente; quæ emaritatio vel ab arbitrio parentum, vel a consvetudine loci, a quantitate item bonorum, et numero prolium est metienda. Materna omnis generis sunt omnibus prolibus communia; consvetudo locorum passim ab his recedit. Quoad cives et oppidanos a jure communi non receditur.

§. 374. Successio ascendentium in avitis.

§. 375. In acquisitis. §. 376. Quo ordine pergit? §. 377. Qualiter differat successio ascendentium a successione descendentium?

§. 374.

Secundo. Si non adsunt descendentes, ascendentes succedunt ab intestato, 55: 1-mæ, et quidem in avitis (nefors per parentes proli suæ cum proprietatis jure extradatis) illa linea, per quam et a qua bona ad defunctum devoluta sunt, v. gr. in paternis pater, illo non existente avus vel avia paterni; in maternis mater, vel avus vel avia materni. Si ascendentes non adsunt, collaterales. Si nec illi adsunt, Fiscus, quem conjux in extradonationalibus licet avitis, præcedit.

§. 375. In acquisitis extradonationalibus, si et pater et mater adsint, uterque succedunt in capita, filio vel filiæ improli et cœlibi. Si una tantum adsit persona in proximo gradu, v. gr. solus pater, vel sola mater, totum illa capit, licet in ulteriori, idest, secundo gradu, adsint avus vel avia vel paterni vel materni.

§. 376. Si in primo gradu nemo adsit, idest, nec pater, nec mater, ascendentes secundi gradus succedunt in lineas, idest, medietas pertinebit ad lineam patris, alia medietas ad lineam matris, licet in alterutra linea tantum una persona sit, v. gr. avus paternus solus, si avia paterna non adsit, capit medietatem, aliam medietatem vero avus et avia materni.

§. 377. Acquisita donationalia ad ascendentes in donationem non insertos, præter investitam summam et meliorationes 1-mæ 57. §. finali, non

spectant. In aliis parentatio et filiatio est correlata et mutua, ergo et successio: ergo illis descendentibus, quos diximus succedere parentibus suis, etiam ascendentes succedunt, nisi quod pater adoptans, idest, legitimus tantum, non succedat filio suo legitimo tantum, in avitis illius non, quia pertinent ad successionem patris ejus legitimi et naturalis aut collateralium, vel Fisci, in acquisitis non, quia ex 55: 1-mæ in illis quoque pater legitimus et naturalis succedet, quia naturale jus parentum non cessat per adoptionem, nisi adoptio fuerit perfecta, idest, cum translatione patriæ potestatis: et post adeptionem acquisiverit. Porro: per id quod quis alterum adoptat, non sibi, verum illi quærit beneficium.

§. 378. Mutuæ Collateralium successionis fundamentum in avitis est divisio fraternalis. §. 379. In acquisitis vero status avitorum indivisus. §. 380. Ordo ejus in avitis, §. 381. Exemplis illustratur, quæ sint vi testamenti per acquisitorem conditi disponibilia apud successores ejus. §. 382. Quo jure tamen si quis non utatur, fratribus prodest, non Fisco. §. 383. Quando sequuntur res testamento relictæ avitorum naturam. §. 384. Successio collateralium in duplicis ordinis acquisitis ante divisionalibus. §. 385. In acquisitis vero post divisionem, in regula, non habet locum.

§. 378.

Tertio. Collateralibus, in defectu descendentium et ascendentium. Fudamentum successionis hujus in avitis est: sangvinis propago et

mutua fraternalis divisio, idest, quod illa bona, in quibus succedere volunt collaterales, illi lineæ quæ defecit, in divisione cum superstitibus collateralibus, aut illorum antenatis peracta, obvenerunt 47: 1-mæ.

§. 379. In acquisitis vero, hoc est fundamentum collateralis successionis: quod tunc acquisita sint per defunctum, cum adhuc avita non erant divisa 45: 1-mæ 1725: 47. sive ingressa sint divisionem subsecutam, sive non.

§. 380. Hic observandum 1) quod in illis bonis, sive mobilia, sive immobilia sint D. 22: p. 140. in quibus divisio fraternalis intercessit, uni ex condividentibus quandocunque deficienti, alter condividens, vel illius successores succedant, et quidem illi, qui proximi fuerant ad deficientem, v. gr. dividunt duo fratres, postea unus deficit, superstes frater (vel, si bona utrumque sexum concernant, etiam soror) succedet; si uterque deficiant, illi succedent, qui condescendunt ab illo, cum quo pater ipsorum in iisdem bonis divisit. Si et illi defecerint, illius posteri succedent, cum quo avus ipsorum in iisdem bonis divisit, et sic porro, donec ad primam divisionem deveniatur; si nec ibi quisquam adsit, Fiscus succedet, salva semper, si bona solos mares concernent, investitione et melioratione, pro sexu femineo permanente. Si frater vel soror pecunia se exsolvi patiatur, et bona apud exsolventes in casum defectus, Dec. 12: 159. et pecunia, velut bona avita repraesentans, apud exsolutam erit avita. — Si frater condividens deficit, possunt collaterales superstites bona avita mutuæ successioni obnoxia via facti occupare, 67:

l-mæ, si illa vacua deprehendant, secus via juris. Frater prætendens ob dubios natales a divisione exclusus, via Ingestionis in processum successionalem ex defectu alterutrius condividentium enatum non proficiet. D. 60: p. 150.

§. 581. Ubi divisio fraternalis non adfuit, ibi non est collateralis successio, v. gr. duo donatarii vel plures (sed non consangvinei vel conjuges, 47, 48, 50: l-mæ) impetrant unum corpus, dividunt, unus deficit, non reliqui succedent, verum Fiscus 47: l-mæ. Sic: si plures quis adoptaverit, vel duo fratres, uterque suas filias, præfecerint, hæ sibi invicem non succedent, quia non virtute sangvinis, verum virtute donationis possident; ast duæ sorores fors succedent propter verba Verbötzii l-mæ 50. conjunctim. Sic: si legatarii secundum testamentum dividant, omnes sunt acquisitores, et sibi invicem non succedent, licet sangvinis nexum habeant, quia non qua fratres, et non vi sangvinis diviserunt, verum qua legatarii et vi testamenti. Sic: acquirit quis 10 sessiones, uni filiorum legat duas, alteri quatuor, tertio unam, quarto tres, in dubio et in regula omnes sunt acquisitores, quia non fraternalis divisio fuit. Sic: acquirit quis decem mille florenos, testamento disponit inter tres filios: ut uni dentur mille floreni, reliqui novem dividantur in tres æquales portiones, unus, in mille florenis erit acquisitor, de illis poterit disponere, si disposuit, in illis non succedent reliqui duo fratres, verum quoad 3 mille florenos sibi invicem, non obstante testamento, mutuo succedent ex defectu, et illi 3 mille floreni erunt avita pecunia, in illis fuit mutua fraternalis divisio, adeoque etiam successio locum ha-

bebit. — Hinc tantum in illis bonis est mutua successio, idest, tantum illa bona avita, in quibus vel ab intestato, adeoque æqualiter successerunt fratres, vel vero penes testamentum, quatenus illud naturalem et legalem successionem ab intestato non mutavit, quia in quantum illam mutavit, aut aliter successum est, in tantum non est fraternalis divisio, et non evadunt bona avita (nisi testamento aliter ordinatum fuerit) erunt itaque liberæ dispositioni obnoxia.

§. 382. In casum tamen defectus et intestati, fratres succedent præ Fisco, quia non fuit illa intentio acquisitoris et inæqualiter legantis, ut post defectum unius reliqui excludantur, nec potest præsumi pater privaturus fuisse illa pecunia reliquas proles, si illam prædilectam non habuisset, nisi præsumtio cedat veritati.

§. 383. Ast bona sive mobilia, sive immobilia, per acquisitorem patrem bona avita cum acquisitis commassantem in vicem avitorum, uni, vel alteri prolium, licet inæqualiter, adsignata, aviticitatem induent (si scilicet ob metum exclusionis ex acquisitis acceptentur et in quantum debitam ex avitis ratam non excedunt). Censetur enim divisionem, naturali et legali modo peractam esse, et tandem fratrem cum fratre cambiasse, vel ratam suam pecuniis vendidisse, atqui et cambium cambiati, et pecunia rei venditæ sequitur naturam.

§. 384. Præterea succedunt fratres collaterales sibi invicem in acquisitis hoc modo:

1) Si unus fratrum ex fructibus bonorum indivisorum avitorum acquisivit, atque prout debuit,

cum reliquis divisit, in rata acquisitoris deficientis cœlibis et intestati (ergo eo magis in ratis reliquorum) fratres superstites succedunt 1723: 47.

2) Quæ unus fratrum non quidem ex fructibus bonorum avitorum, sed tamen in statu indiviso, qualicunque modo, etiamsi donatione regia, acquisivit, licet nomina fratrum vel sororum, (si bona, in quibus indivisus fuit, utrumque sexum concernebant) non inseruerit acquisitionalibus, et, licet illa non substraverit divisioni, uti nec tenebatur substernere 47: 1723. 43: 1-mæ. §. 5. et sensu 44, 50: 1-mæ §. 3. tamen in illis, ab intestato præcedent Fiscum fratres, et fratrum acquisitoris successores in perpetuum, eod. 47. 1723. §. 3. (non item conjugem acquisitoris in extradonationalibus). Imo etiamsi divisus impetravit, si tamen nomina fratrum inseri curavit, deficienti, non Fiscus, verum fratres succedent, 1-mæ 47. §. 3. et 50. §. 3. In bonis per duos fratres, pro maribus, et in casum defectus eorum, pro sexu femineo coimpetratis, deficientis fratris ratam refragante Tab. R. Pl. 209. fratri adjudicavit Tab. Septemv. D. 14: p. 81. filiæque deficientis, nonnisi investitiones et meliorationes ejus addixit.

3) In acquisitis vero post divisionem partis, collaterales non succedunt (nisi ut dictum, nomina illorum acquisitionalibus inserta sint 1-mæ: 50.) occupata Fisco cedere debebunt.

§. 585. Aliqui dicunt etiam post divisionem ex fructibus bonorum avitorum acquisita fratres concernere ex 43: 1-mæ. 47: 1723. Sed hoc in citatis legibus non habetur, ergo, vel Fisco, vel uxori competit in illis successio, prout fuerint donationalia vel non. Si tamen acquisita, meliorando

aut ædificando investivit frater avitis, aut avita pecuniis post divisionem acquisitis reluit, satis declaravit suam voluntatem, atque accessorium sequetur suum principale, eritque fratrum, non Fisci, sed conjux præcedit fratres in pecuniis investitis.

§. 386. Vidualis successio non viduo, verum viduæ competit, cum prolibus mariti. §. 387. His solis cedunt avita, prout et perennaliter absque nomine uxoris inserto acquisita. §. 388. Sola vidua aufert jure coacquisitionis mediam partem aliorum coacquisitorum, et quasdam res peculiares. §. 389. In reliquis omnibus jure successionis vidualis dividit in capita. §. 390. Nisi vivo marito proles ex mobilibus plene exsolutæ essent. §. 391. Successio vidualis facit viduam acquisitricem. §. 392. De jure viduali, dote successioneque viduali et jure coacquisitionis inter ignobiles.

§. 586.

Quarto. Vidualis, præter jus viduale, competit viduæ quæ remansit cum prolibus, titulo proprietatis, ab intestato; quia maritus potuisset suam uxorem successione viduali testamento privare. Sunt qui ex 11: 1687. non conjugalem tantum in absentia prolium locum habentem, verum etiam vidualem successionem eliciunt, eamque cum prolibus defunctæ marito viduo attribuunt, eo quod ibi citati 99. et 102. 1-mæ de successione viduæ, cum prolibus defuncti, sonent: ast eo non obstante expresse de eo casu vult 11: 1687. disponere, si proles non adsunt, et testamentum non

est factum, hoc significat illud: præscriptis in casibus.

Si quis in statu indiviso cum fratribus vel sororibus suis mortuus est, relicta vidua et prolibus, vi 99: 1-mæ tam avita, quam etiam in statu indiviso ex fructibus eorum acquisita, ita dividuntur, ac si omnes fratres viverent, et quod fratri mortuo obtigisset, inter proles ejus et viduam dividitur; non ex fructibus bonorum avitorum, per mortuum acquisita vero non dividuntur, sed manent prolibus et viduæ defuncti. Si vero in statu jam diviso moriatur quis, relicta vidua et prolibus, collaterales nihil accipiunt: sed totum manet viduæ et prolibus, utpote:

§. 387. Avita tam mobilia, quam immobilia solis prolibus manent, ut etiam immobilia perennali titulo per maritum absque insertione nominis uxoris, licet durante matrimonio, acquisita 102: 1-mæ, imo nec in pecunia talibus bonis investita licet coacquisita participabit vidua, quia successio illius pendebat a marito, jam eo ipso quod talibus bonis investivit, uxorem ex ea| exclusisse censeri potest. Quæ quidem ratio tunc etiam militat, si proles non adsint, et maritus mixta donatione absque nomine conjugis inserto acquisita bona relinquens ab intestato decedat, tamen Fisco in pecunia investita uxor præferenda videtur, 1715: 26.

§. 388. Cum insertione nominis perennaliter acquisita vero in medietate cedunt soli viduæ, sensu 102: 1-mæ. 48: 1-mæ. in alia vero medietate dividit cum prolibus in capita, quia Dec. 50. p. 142. medietatem solis prolibus coacquisitricis, aliam vero medietatem tam illis, quam per coac-

quisitorem maritum ex alia uxore susceptis communiter addixit, et quia unius medietatis, licet precario, vivente etiam marito fuit domina, et mansit ab intestato, ergo in alia medietate debet succedere, id enim quod datur prolibus jure materno, non potest denegari matri (quamvis Tab. R. in dicto casu, utriusque matrimonii prolibus successionem in capita adsignaverit, eo quod uxor præmortua fuerat marito, atque ita illius coacquisitio, alioquin a mariti arbitrio dependens, cum morte ejus exstincta sit. Pl. 2:3.) Eadem est ratio

Mobilium et pignorum coacquisitorum, etiam absque nomine uxoris inserto, 102: 1-mæ.

Potiores mariti vestes, equos et currum, quibus maritus vehebatur, annulum sponsalem, sola vidua; libros vero, et apparatus sonipedum, filii, annulum sigillarem filii vel filiæ exclusa vidua, auferunt, D. 17. p. 164. arma vero soli filii, 99: 1-mæ, vel fratres indivisi.

§. 589. In reliquis mobilibus et pignoribus ante matrimonium per maritum acquisitis (deductis expensis funebribus et processualibus, distractis item in portionem distrahentis imputatis D. 17. p. 164.) dividit vidua cum prolibus, in capita, hoc notato, quod equi gregales, seu equitium (ménes) tantum ita dividatur, si mariti acquisitum sit, et quinquagenarium numerum non attingant equi, quia si 50, vel plures sint, solis prolibus cedunt 99. 101: 1-mæ, velut clenodium familiarum, pro bellis continuis milites alere debentium. Interusurium et fructus rerum per privignos viduæ præreptarum currunt, Dec. 1814.

§. 590. Si ante mortem mariti, filii ejus fuerunt a patre divisi, et filiæ emaritatæ, cum vidua,

in mobilibus acquisitis non divident 99: 1-mæ, sed totum erit viduæ.

§. 391. Omnia hic recensita jura ad viduam titulo proprietatis transeunt, sive sit noverca, sive mater, et erit in illis acquisitrix, proles illius ab intestato succedent in illis, aut si proles non relinquat, 2-dus maritus vel parentes, si nec proles, nec maritus, nec parentes adsint, nec collaterales eo tempore quo successerat cum ea indivisi, Fiscus. Ad collaterales mariti, aut privignos viduæ non devolvuntur, quia non est mutua fraternalis divisio, aut sangvinis communio, imo licet cum propriis prolibus dividat (quod potest si vult) tamen proles illius non eam ob causam succedent in illis, quasi divisionem ingressa essent, verum quia mater acquisitrix ab intestato decessit, nec fuit divisio in sensu legis, verum tantum sensu grammatico: divisio in sensu legali est tantum inter sangvinem; atqui hic vidua non virtute sangvinis divisit, verum virtute legis, quia non est hæres propagativa, verum tantum legalis. Ergo nec mutua successio est inter talem viduam, et illos cum quibus divisit, verum inter fratres vel sorores, quæ cum vidua ita diviserunt, erit mutua successio, et bona apud ipsos, per divisionem fraternalem, facta sunt avita.

§. 392. Etiam colonorum viduabus debet dari jus viduale pro modulo bonorum, per illos, qui colono in avitis ejus successerunt, sive filii, sive fratres sint, uti etiam dos contractualis, (quia dotem legalem non habent ignobilium viduæ) verum dos illa ex acquisitis exsolvi debet, si adsint.

Successio vidualis vero illarum ita pergit: coacquisitorum medietas semper spectat ad viduam,

et illa nec testamento mariti potest fraudari, in aliis vero, idest, ante matrimonium acquisitis, uti et in alia medietate coacquisitorum dividit cum privignis et prolibus, quia communes leges Regni etiam ad colonos et cives extenduntur, in quantum ad illos applicari possunt, nisi expresse contrarium de illis habeatur, jure scripto vel non scripto.

§. 393. Mutua conjugalis successio in genere. §. 394. In acquisitis mobilibus, præ Fisco vero, etiam in avitis extradonationalibus. §. 395. Porro in acquisitis pignoribus. §. 396. Et denique perennalibus, sive cum, sive absque nomine superstitis inserto. §. 397. Conjugalis successio facit acquisitorem.

§. 393.

Successio ab intestato est:

Quinto conjugalis, quæ habet locum in defectu prolium. Mutua est inter conjuges, idest, tam maritus uxori, quam uxor marito succedit 11: 1687. et quidem uxor præterea jure viduali retinere potest bona maritalia, in quibus non succedit. Conjugalis successio est in omnibus, de quibus testamentum potuisset condi. Nominatim

§. 394. 1) In bonis defuncti vel defunctæ conjugis acquisitis mobilibus 11: 1687. D. 6: p. 162. si vero ascendentes vel collaterales defuncti vel defunctæ non adsint, tam in avitis mobilibus 98: 1-mæ, quam, ex 26: 1715. immobilibus extradonationalibus, quæ pecuniam tantum repræsentant; supellex levioris valoris autem, licet avita, vel avitis pecuniis emta, conjugi manet, licet adsint collaterales. Praxis.

§. 395. 2) In acquisitis pignoratitiis sive ante, sive durante conjugio sint acquisita 1-mæ: 102. Verum inscriptionalia pro fidelibus servitiis, licet temporanea, nec non, temporaneo jure per Fiscum collata, v. gr. contractu Camerali, etiam ante evolutionem annorum debet vidua exsoluta remittere, si maritus proles non relinquat, quia non sunt formalia pignora, in qualibus ad tempus evolutionis conditionum mutua inter conjuges successio est.

§. 396. 3) In perennali titulo cum nomine conjugis superstitis inserto (etiamsi donatione) acquisitis, decedentis rata accrescit superstiti 48: 1-mæ, imo, licet in extradonationalibus nomen conjugis superstitis non sit insertum, tamen conjux succedit præ Fisco, ascendentibus item et collateralibus, quia quod nomen non sit insertum, hoc in gratiam prolium est, 102: 1-mæ, vel fors ante matrimonium sunt acquisita, quod vero nefors bona ante divisionem essent acquisita, hoc collaterales non contra conjugem, verum contra Fiscum juvat. Extradonationalia, perennaliter absque nomine uxoris inserto acquisita, velut mobilibus æquiparanda, Tabula Regia Pl. 211. 226. conjugi, prout mihi videtur recte, Septemviralis vero parenti adjudicavit, D. 40. p. 144.

§. 397. Conjugalis successio etiam est cum jure proprietatis, et in talibus conjux superstes acquisitor fit, nec devolvuntur bona ad collaterales conjugis illius cui successum est, verum ad illius conjugis successores qui successit, si illi non adsint, ad Fiscum.

§. 398. Uberius vindicatur successio conjugalis in avitis extradonationalibus, §. 399. Et

in perennalibus absque nomine conjugis superstitis per conjugem defunctum acquisitis. §. 400. Nec non successio conjugalis colonorum. §. 401. Ex sponsalibus non enascitur jus vidualis aut conjugalis successionis, nec semper jus arham retinendi.

§. 398.

Sunt qui docent 11-mo 1687. unice in acquisitis pignoribus et mobilibus dari successionem conjugalem inter nobiles, adeoque in aliis, de quibus disponere poterat defunctus vel defuncta, denegari; eo quod ibi citati 98, 99. 102: 1-mæ. tantum in illis dent successionem viduæ, hinc, etiam Curialis D. p. 166. supponat in fundo improlis uxoris acquisito contradoti obnoxio, alium quempiam præter maritum posse succedere, (licet non dicat, an ab intestato vel ex testamento, nec id, an perennali titulo, vel temporaneo erat acquisitus) ast observandum, quod 98: 1-mæ de eo casu loquatur, cum adsunt ascendentes vel collaterales defuncti, qui eidem in avitis succedant, 102. vero, de eo, cum adsunt proles quas perennalia, absque nomine uxoris inserto acquisita, concernant. Ex eo ergo, quod in casu illo, si ascendentes, vel collaterales mariti adsunt, in avitis extradonationalibus in casu vero illo, si proles adsunt, in acquisitis perennaliter, absque nomine uxoris inserto, pariter extradonationalibus, non successerit vidua, non sequitur, Verbötzium supponere, eam nec absentibus dictis successoribus successisse, (licet non dicat successisse, nam non debuit dicere, cum de vidua, cum aliis successoribus concurrente agebat) adeoque, non sequitur nec conju-

gem posse succedere, in omnibus illis, de quibus defunctus vel defuncta conjux potuisset disponere. Quod enim avita attinet: prout 98-vi 1-mæ intentio non fuit de illis in eum casum disponere, cum ascendentes vel condivisionales defuncti non adsunt (quia illos adesse supponit) ita 11-mus 1687. propterea non dicit conjugem conjugi in avitis extradonationalibus succedere, quia pariter supponit adesse ascendentes vel collaterales, ad quos illa redeant; unice in casum illum disponit si proles, (quæ in nigro hæredes vocantur) non adsunt. Manifesta ergo fit conjugi injuria, si prætextu hujus legis, in bonis dictis, Fiscus eidem præferatur, prorsus in obversum 1715: 26. §. 3, 4. ubi præponitur conjux Fisco, si ultimus deficiens non disposuerit, eo ipso autem, quod ultimum deficientem dicat, alludit non tantum ad omnia acquisita immobilia (præter donationem qualitercunque parta) ut Tab. R. observavit, verum etiam ad avita disponibilia, nominatim ad bona, via 65: 1-mæ, idest, (non tantum titulo pignoris, ut quibusdam ulterius progredi ausis placet, verum etiam) fassione perennali per antenatos defuncti conjugis acquisita, et simul supplet et illustrat provocatum art. 11: 1687. qui, semet ad 98: 1-mæ referendo, adeoque ascendentes vel collaterales adesse supponendo, in casu absentiæ illorum, conjugalem successionem in avitis non excludit.

§. 399. Multo minus potest, obtentu 11-mi 1687. conjux superstes, in perennalibus extradonationalibus, absque nomine suo acquisitis, vel ascendentibus defuncti aut defunctæ conjugis, vel (contra citatum 26: 1715.) Fisco postponi, id enim, quod 102: 1-mæ in gratiam prolium nefors natarum vel

nascitura rum habet, in gratiam et favorem alterius cujuscunque trahi, sicque ordo successionis naturalis, in præsumto amore fundatæ, absque clara legis dispositione, perverti non potest; atqui, in dubio, saltem post proles, conjux conjugem maxime diligere censetur. Si vero dicta bona durante matrimonio erant acquisita, plane ipsum jus coacquisitionis redit, nam conditione illa, sub qua sublatum, vel a qua tantum suspensum erat non enata, non intelligitur mariti coacquisitionem evertendi intentio. Lex itaque talia bona silentio prætereundo, atque positive, non vero exclusive loquendo, non censetur illa excludere, præterit illa, et præterire potuit, cum ex viduali successione, ad quam illa utique non pertinebant, formavit conjugalem; sed inde non sequitur conjugalem latius non patere viduali; adeoque non tantum id est conjugis, quod 11-mo 1687, illi, et provocatis in eodem legibus, viduæ, absque prolibus et testamento relictæ, expresse datur, (sic enim leges illæ, præter §. 3. 99. 1-mæ frustra essent citatæ) verum omne id, quod in casum totalis defectus mariti in citatis legibus non attacti, vi juris naturalis per jus nostrum non mutati, uxori semper competebat, et ipsi per legem expresse ablatum non est. — Usus etiam populi ita habet, non tantum inter ignobiles, verum etiam nobiles; sensum enim communem, opinio Jurisperitorum, verbis et cortici articuli 11:1687. inhærentium pervertere æque non potuit; prout nemo sanus dubitat in bonis extradonationalibus per acquisitorem patrem pro solis maribus regulatis, illis absentibus, filiabus deberi successionem.

§. 400. Conjugalis successio etiam inter colo-

nos locum habet, et rata morientis superstiti conjugi accrescit 5-tiæ: 29. ex coacquisitis, imo etiam ante matrimonium acquisita in superstitem conjugem, in absentia autem ejus ad parentes, avita vero ad ascendentes aut collaterales defuncti, si illi non adsint, pariter ad conjugem devolventur, licet terræ dominali essent investita illa avita et acquisita. Si enim Fiscum præcedit conjux in illis, quæ dominalibus bonis sunt investita, cur Domino terrestri postponi debeat, non video.

§. 401. Successio conjugalis et vidualis, ante copulationem non habet quidem locum, res tamen per sponsum pro subarhatione, aut causa futurarum nuptiarum datæ, non possunt per sponsum, a parentibus defunctæ ante copulam sponsæ, repeti, 100: 1-mæ, et vice versa. Quod Evangelicos aliter esse videtur, quia ex irritatis 26: 1791. eorum sponsalibus, nullum cuiquam jus enasci potest, adeoque nec jus, solutis quocunque modo sponsalibus, arham retinendi.

§. 402. Successio Fisci relate ad nobiles, §. 403. Relate ad Ecclesiasticos Romano- et Græco-Catholicos. §. 404. Vel Græcos non unitos. §. 405. Relate ad ignobiles. §. 406. De successione Fisci in non possessis. §. 407. Exspectativa successionis ad Fiscum non transit. §. 408. Exempla prætensionum a lite pendentium ad Fiscum non transeuntium. §. 409. Exempla prætensionum, in regula ad Fiscum transeuntium. §. 410. Observationes ad eandem quæstionem. §. 411. Onera successionis. §. 412. Imprimis, ubi eidem diversi succedunt.

§. 402.

Successio ab intestato est:

Sexto. Fisci Regii, ubicunque legalis alter successor secundum hactenus recensita non adest 1-mæ: 10. in specie vero:

In donationalibus succedit, deficiente donatario, et ubicunque reperiat Fiscus bona talia, potest illa auferre, nisi consensus regius alienationi superinductus sit, 25: 1715. Etiam alterutri ex condonatariis deficienti succedit Fiscus, nisi conjuges, parentes, et filii, aut alii consangvinei, licet divisi, impetraverint 1-mæ 47, 48. 50. D. 14. p. 81.

In extradonationalibus avitis præcedit conjux Fiscum, 1715: 26. §-phis 3, 4. eo magis in perennaliter, licet absque insertione nominis superstitis conjugis, acquisitis.

Fratres in post divisionem acquisitis præcedit Fiscus, nisi sint avitis investita.

§. 403. Prælatis catholicis, etiamsi beneficium ex fundatione privata teneant, ab intestato, in una tertia Ecclesia, cui serviebant, in una tertia Fiscus, in una tertia consangvinei, si vero hi non adsint, etiam Fiscus succedit. Clericis vero inferioribus, in re quidem ecclesiastica servientibus, in una tertia pariter Ecclesia, in qua serviabant et mortui sunt, in re literaria vero, fundus Studiorum, in una tertia pauperes, in una tertia consangvinei, usque decimum gradum, si hi non adsint, Fiscus. Ex gratia Regis consangvinei pauperes duas tertias capiunt. Religiosis in cura animarum, vel in re literaria servientibus, ab intestato, (testamentum enim, nisi pensionem ex fundo religionis habuerint Resolutio Regia 12-

ma Octobris 1802. condere poterant) Monasterium, fundus Religionis et pauperes, aequis partibus succedunt.

§. 404. Nec Clero Graeci ritus non unito succedit Fiscus. Praelati possunt testamenta condere de medietate acquisitorum, alia medietas, ab Archiepiscopo quidem cassæ nationali, ab Episcopis autem, Archiepiscopo seu Metropolitæ, in pios usus convertenda, cedit. Intestatis et improlibus, in altera medietate cassa nationalis, in altera vero fundus Scholarum Carloviczensium succedit. Clerici inferiores de una tertia possunt testamenta condere, duæ tertiæ cedunt Episcopo. In casu intestati, vel ruentis testamenti autem, totum est Episcopi, si proles non adsint. Testandi facultas autem Clero huic ea cum limitatione est indulta, ne pecuniæ extra Regnum efferantur. Cautum quoque est, ne in praejudicium inalienabilis fundi nationalis, in sepulturam Metropolitæ, expensæ ultra 5000 florenos fiant. Vid. plura in B. Rescripti Declaratorii de dato 16. Julii 1779. punctis 5, 6, 18, 29, 30.

§. 405. Libertinis nulli proprietario Domino obligatis, in omnibus succedit, etiam in illis, quæ fundo dominali non liberæ emtionis et venditionis investita relinquunt, seu avita seu acquisita, verum fundus est Domini terrestris. Colonis semper Dominus terrestris, civibus vero ex defectu, Civitas succedit, ex nota Fiscus 715: 62. 649: 16. Colonus meus relate ad vineam sub alio Domino possessam est libertinus, Fiscus ipsi succedet in vinea. Eadem est ratio civis, si extra Civitatem possideat. Vigore Decis. 52: 60. (cui tamen Tab. R. Pl. p. 208. 219. refragabatur). Nobili in terra dominali

degenti, nunquam succedit Fiscus, quia aliquatenus semper est obligatus Domino: ast vi D. 58: pag. 20. semper succedit, non tantum nobili, verum et ignobili, si prioris nobilitatem, posterioris a jurisdictione dominali immunitatem probet, ubi necessario personalis immunitas intelligitur, nam quoad fundum et praestationes, impossibile fuit non esse sub jurisdictione dominali. Ubi vero libera emtio et venditio fundorum est, etiam in summa pecuniaria qua fundus emtus est, (eo quod illa ita debeat considerari, ac si in cassa deficientis inventa fuisset) taxalistæ nobili vel ignobili honoratiori aut saltim libertino, salvis praestationibus, domin. Fiscus succedere, adeoque etiam fundum vendere posse videtur, 62: 1715. Pariter succedit ignobili, apud colonos, vel alios quoscunque moranti vel servienti. Ignobili, in oppidis privilegiatis nulli Domino terrestri subjectis (v. gr. Hajdonicalibus, vel Cumanicalibus) habitanti, in omnibus rebus Communitas, Nobili vero in fundis quidem et solo infixis aeque Communitas, in rebus vero mobilibus Fiscus Regius succedit, nam relate ad personam vel mobilia, non fuit, vel non debuit esse sub jurisdictione oppidana, 75: 1655. De successione Fisci civici dictum alibi.

§. 406. Dicitur passim: Fiscum in virtualibus non succedere, seu tantum in corpore bonorum deficientis vel notorii, per eum actu possessorum, non vero in jura illius succedere, vi tituli 27: 1-mæ, qui huc redit: si Actor ante litem terminatam moriatur, bona, intuitu quorum litigabat, nec Princeps sibi vindicare, nec alteri conferre potest; quia tantum

in illis est princeps illius successor, quæ possedit, aut possidere potuit (quia non est propagativus hæres) non vero in illis, quæ juri suo nondum appropriavit; sed quæ apud alterum titulo reluibili sint, potest Fiscus vel sibi vindicare, vel alteri conferre.

§. 407. Fiscus in virtualibus non succedit. Virtualia jura vocantur, quæ post mortem alterius ad aliquem devolventur. Sic filius virtualia jura habet in bonis patris vel matris, frater divisus in bonis alterius fratris cum quo divisit. Hinc si filius indivisus notam incurrat vel moriatur, non potest Fiscus ratam illius a patre petere, verum, post mortem patris, reliquis illius filiis manebit totum. Imo, licet divisus improlis moriatur, tamen rata illius ad patrem vel matrem devolvetur. Si vero notam incurrat, Fiscus aufert, verum jam tunc non virtualem successionem habuit. Sic: si frater sive divisus sive indivisus moriatur, in virtualitate illius Fiscus non succedet, quia illa est apud fratres, nec in actualitate, idest, quod ex divisione habuit, et ad fratres devolvetur. Si indivisus notam incurrat, illius portionem exscindit Fiscus et aufert, æque ita ac si divisus notam incurrisset, sed virtualitatem illius non aufert, quia illa a defectu reliquorum fratrum pendebat, et uno ex illis postea deficiente, totum superstitibus manet.

§. 408. Et hæc de virtualitate stricte sumta. Relate vero ad id, quod quis actu non possedit, sed ut possideat, non pendebat ab alicujus morte, verum a lite, observandum, quod, licet notorius frater ad novam divisionem agere potuisset, vel actu egisset, sed litem non terminasset; tamen ex

nota illius, Fiscus non potest a fratribus illius bonificationem petere, verum contentus esse debebit eo, quod actu apud notorium reperit. Quia non est propagativus hæres; (secus est, si fratres, licet divisi, vel extranei plures impetrent, inæqualiter dividant, et deficiat vel notam incurrat extraneus, aut notam incurrat frater, qui minus accepit, in hoc casu Fiscus bonificationem exiget). Præterea: jam alibi diximus, quod nec ex nota, nec ex defectu succedat Fiscu. Donatario, qui liti acquisitoriæ, (juris ad rem) quales sunt ad dandam rationem contradictionis, et ex puritate statutionis etc. immortuus defecit, vel tales lites ne quidem moverat, D. 48: p. 77. eo minus est possessorium bonorum ingressus, (licet talia bona possint impetrari ex illius defectu, qui se statuit, sed possessorium non adivit, ast tunc, etiam titulus impetrationis illius prioris donatarii debebit per posteriorem donatarium probari) non succedit inquam Fiscus liti acquisitoriæ immorienti D. 26: p. 59. (v. gr. in implementalibus vel pœnalibus) tales prætensiones præcise pertinent ad jura sangvinis, Fiscus vero non est propagativus hæres. Hic itaque verum est Fiscum non in jura, verum tantum in corpus bonorum actualium succedere.

§. 409. Bona autem, quæ deficientis vel notorii antenati firmo donatario jure ingressi possederunt, et successive qualitercunque per illos abalienata sunt, licet notorius vel deficiens non possederit actu: Fiscus non quidem reluitorio, vel invalidatorio, aut alio reacquisitorio, (cui scilicet deficiens vel notorius nefors immortuus est, vel quem movere potuisset) verum successionali juris processu, ex defectu vel nota, sibi vindica-

re, vel alteri conferre poterit, et hoc quidem in defectu donatarii simpliciter verum est; verum in nota observandum: quod si collaterales, vel filii notorii ante notam nati adsint, in talibus prætensionibus notorii, non Fiscus, verum illi succedant, exceptis nefors vi D. 9. p. 68. per ipsum vel antenatos oppignoratis. Quæ Fiscus, vel ex integro, vel vero, si proles innocentes habeat notorius; in parte sibi vindicabit, si ad aliorum fratrum manus ante notam non rediverunt. Nec vendita perennaliter per fratrem fratri bona potest Fiscus ex nota vendentis, fassionario adimere, licet, secus, in extradonationalibus cum clausula: nil juris, occasione notæ vel defectus actu non possessis succedere videatur: si illa temporaneo titulo sunt abalienata (non item si perennali). Salvo tamen jure alterius in iisdem permanente.

§. 410. Si fratres ad recipiendam rationem contradictionis agant contra sororem, quæ per patrem se præfici curavit, et liti immoriantur, potest Fiscus illis ex defectu ipsorum succedere, vel alteri conferre, nisi jus regium latuerit, illudque vitiosæ præfectioni adjectum sit. Si deficiens vel notorius liti acquisitoriæ immortuus, firmum jus ad bona litigiosa non habuit, eo quod illud infirmo titulo impetraverat, potest Fiscus jus regium, si quod aliter inesset, quærere, aut illud alteri conferre, quia, vel bona apprehendentem, etiam ante defectum vel notam, bonis ejicere potuisset.

§. 411. De omnibus hactenus recensitis successionibus observandum in genere: quod successio cum onere vadat 82: 1-mæ. 105: 1647, qui succedit in bonis, succedit in onere, qualia onera sunt,

v. gr. quarta, jus viduale, dos, jus capillare, et jus æsque alienum, expensæ exequiales 5-tiæ 5o. onus rationarium, damna, birsagia, investitiones alii cuipiam debitæ et solvendæ. In specie Fiscus, ab inonerationibus bonorum, per tutorem pupilli deficientis factis, se enodare non potest D. 25: pag. 59. porro: si ex defectu masculorum feminæ in pecunia investita succedant, et mares debita reliquerunt, atque ultimus deficiens acquisita reliquit, ex illis debet prrus (ut semper) onus depurari, si illa non adsunt, ex summa illa, quam feminis Fiscus præstare deberet, Dec. 11. p. 57. si nec illa sufficiat, Fiscus (nisi debitis per ultimum deficientem sine necessitate contrahendis tempestive obviaverit) onus tolerare, et ex suo solvere debet, D. 12. p. 57. non tantum ultra valorem bonorum, nec refundit expensas in conservationem bonorum per mares factas, Dec. 19. p. 58.

§. 412. Cum vero proles cum vidua, vel parentes aut fratres, et Fiscus cum conjuge, vel fratres, aut parentes, aut conjux cum Fisco (v. gr. donationalia sine nomine patris, fratris, conjugis inserto, acquisita sint) succedunt: licet avita immobilia sint specialiter obligata pro debitis defuncti; tamen si alia bona adsint, illa non possunt in executionem sumi, nisi in illa sit investita summa levata; quia specialis hypotheca, contra emtores ad antevertendum fundi (qui hic alioquin superest) defectum obligatur. Si vero acquisita quædam immobilia sunt specialiter obligata, illa debent sumi in executionem. Si nulla est specialis hypotheca, tunc illa, in quæ summa levata investita est. Si id non possit doceri, licet ex lege, pro debitis, primo quoque immobilia de-

berent executioni subjici: tamen, (cum non contra ipsum debitorem, verum successores ejus agatur) ex æquitate et praxi, primo ex acquisitis mobilibus, tandem ex avitis mobilibus, mox ex acquisitis immobilibus, demum ex avitis fit executio.

§. 413. Processus successionalis differt a divisionali. §. 414. Ubi fundatur Actio? §. 415. Quo foro? §. 416. Actoratus, meritum et appellata in eo processu. §. 417. Antiquæ successionis processus. §. 418. Inter sangvinem, in regula fori pedanei. §. 419. Inter extraneos est tabularis, et, in regula, juris probam requirit. §. 420. Responsorius loco successionalis, §. 421. Processus Fisci successionalis. §. 422. Redintegrationis. §. 423. Personæ religiosæ. §. 424. Expensæ, fructus, et meliorationes circa processum successionalem.

§. 413.

Processus ex materia successionis enascitur:

Primo Successionalis. Eo differt a divisionali processu, quod divisionalis vel successionali-divisionalis fit inter illos, qui sangvinis, et juris communionem habentes in bonis actioni substratis dividere debent; contra eum vero si sit, qui æque prætendit quidem se esse illius, cujus bona erant, successorem, sed, vel prorsus non habet jus ad bona liti substrata, vel habet quidem, sed non virtute sangvinis, verum legis, v. gr. noverca, vel mater contra privignos vel proles, conjugum alteruter contra collaterales conjugis defuncti aut Fiscum, vel est quidem sangvis, verum remotior quam ut ex successione participet, contra eum inquam, vocatur mere successionalis.

§. 414. Actio fundatur per descendentes in 40, 41, 42, 53: 1-mæ. 62: 2-dæ. Per ascendentes in 1-mæ: 53. Per viduam in 1-mæ: 98: 99, 101. 48: 102. Per conjugem in 48: 98, 99, 101. 102. 11: 1687. 26: 1715. nominatim per maritum in 11: 1687. 26: 1715. Si collateralis quærat successionem sui deficientis collateralis, fundat in 47; 67: 1-mæ, quoad avita, quoad bona vero ex fructibus bonorum indivisorum acquisita in 47: 1725. uti etiam quoad talia, quæ non ex fructibus quidem avitorum, sed tamen ante divisionem acquisivit deficiens, quæ in absentia prolium, ascendentium item et conjugis, ab intestato non Fiscum, verum collaterales concernunt.

§. 415. Processus hic ordinarie decurrit coram foro pedaneo, idest, quoad successionem nobilium, (vel libertinorum) usque ad vires et valorem 200 florenorum coram Judice nobilium, a 200 usque 3000 coram Judlium vel Vice-Comite, supra 3000 coram V. Comite. Si vero bona in pluribus Comitatibus jaceant, coram Tab. Distr. Si in pluribus Districtibus jaceant, coram illius Distr. Tab. ubi caput, aut potioritas bonorum, vel residentia defuncti fuit. Si partim in Hungaria, partim sub Banali jurisdictione jaceant, duo diversi processus erigi debent, D. 4: p. 137. Quoad successionem civilem coram Magistratu civico, quoad successionem inter colonos vero coram Sede dominali.

§. 416. Ad Actoratum debet probari jus succedendi, v. gr. quod Actor sit pater, vel filius, vel uxor etc. vel vero condivisionalis, quod sæpe notorietate publica constare potest, v. gr. primus lineæ rectæ gradus, in regula, non debet probari, D. 1. p. 21. Meritum est, in quantitate, qualita-

te successionis, quoad illos vero qui successionem non prætendunt, etiam in nullitate tituli, quo Incattus possidet, probanda, et tunc agitur proprie ad sepositionem, (v. gr. ex vitio ætatis alienantis, aut ob factum tutoreum etc.) nisi Incattus liquidanda habeat, v. gr. maritus in bonis uxoris avitis, aut vice versa, investitiones. Sæpe juramentum revalatorium habet locum quoad bona mobilia, D. 6: p. 162. 17. p. 164. quæ facile occultari possunt, item quoad literalia instrumenta, D. 1. p. 124. Si parens impetatur per proles suas, quoad res mobiles ipsas vel ipsas jure paterno vel materno concernentes. non corporale juramentum deponere solet, verum tantum fide christiana asseverat et revelat. Praxis.

Successionalis processus, si sit successio recens, appellatur semper extra Dominium, si vero sit antiqua, vel supra 12000, jam apud extraneos hærentia bona quærantur D. 5. p. 39. appellatur intra Dominium 28: 1729. Ergo supponit lex antiquæ successionis processum etiam coram foro pedaneo moveri posse.

§. 417. Antiqua successio vocatur 67: 1-mæ, ubi Actor, et is, quem suum condivisionalem fuisse prætendit, et cujus successionem quærit, solo tantum nomine fratres esse videntur ob antiquitatem temporis, quo divisio inter ipsorum antenatos intercessisse prætenditur. Verum licet divisio non ita pridem intercesserit, atque brevi post peractam divisionem defectus alterutrius condividentis evenerit; tamen post 52 annos a defectu evolutos antiqua successio evadet.

§. 418. Antiquæ successionis processus vel est contra sangvinem, vel contra extraneum a sang-

vine aut Fiscum. Si est contra sangvinem, idest condivisionalem, qui bona a communi antenato devoluta, et adhuc nunquam divisa, vel divisa quidem, verum ex defectu unius condividentis iterum divisioni obnoxia detinet, et non vult dividere, contra talem inquam, potest coram foro pedaneo moveri, (nisi aliæ involutiones super bonis evenerint, quæ discussionem Tabularem requirunt) quia contra sangvinem condividentem nemo tenetur jus probare et radicales acquisitionales literas producere, verum tantum id, quod bona a communi antenato ad Incattum devenerint, vel talia sint, in quibus deficientis Actoris, item et Incatti antenati diviserunt. Hoc vero potest coram foro pedaneo discuti. Ergo 28: 1729. cum innuat antiquæ successionis processum coram foro pedaneo moveri posse, successionali-divisionalem intelligit, qui contra sangvinem movetur, eumque, si nexus sangvinis ob antiquitatem temporis dubius sit, intra Dominium appellari disponit.

§. 419. Verum, si bona, ex antiqua successione Actorem concernentia, apud Fiscum vel extraneum sint, tunc, quemadmodum is, ex cujus defectu Actor quærit (imprimis si titulum deventionis ad alienas manus adsignare non posset) juris processu deberet revindicare; ita ille, qui deficientem suum in illis bonis condivisionalem fuisse dicit, æque juris processu debet agere; cum titulum actionis seu acquisitionis suæ in successione mera ponat, adeoque titulum, quo possessor bona tenere præsumitur, evitare velit, dignum, imo necessarium est, ut foro tabulari juris probam præstet, (vel ad minus nullitatem tituli incattei

contra illum, qui jus succedendi prætexere non potest, probet, quod quidem etiam coram foro pedaneo potuisset facere) juris enim proba omnes reliquos bonorum revindicandorum titulos in se complectitur, usque eo, donec I. proba juris gravatus, titulum possessorii pandat; quod si fecerit, circa illum titulum agetur, et sic antiquæ successionis processus contra extraneum est tabularis, et in regula juris edoctionem requirit. Tales successiones etiam 67: 1-mæ ita tractari vult, ut casus defectus, jam vero in antiquo defectu jus deficientis probari debet. Interim, licet contra sangvinem jus non debeat probari, tamen etiam contra illum antiquæ successionis processus coram Tabula Regia moveri solet, pariter ac contra extraneum successionalis ex jure, de quo statim egimus, et in utroque processu vi 52: 2 dæ, involutiones in bonis enatæ accessorie rescindi petuntur. In regula dixi esse juris processum, nam si in successionali, ad removendos obices directo, vel A. vel I. fassionem producat, licet in Actione nulla ejus mentio facta sit: tamen eodem instituto invalidatur; quia titulus possessorii incattei adsignatus est, D. 5. p. 85. si ita non est actio directa, non invalidatur eodem instituto fassio per I. producta D. 2. p. 124.

§. 420. Secundus processus est violentialis, movetur per illum, quem successio corcernit, contra eum, qui via facti occupata bona absque titulo detinet, qui alioquin vi 68: 1-mæ intra annum via facti potuisset ejici, et potest summarie per V. Comitem. Actio fundatur in 655: 56. §. 4.

§. 421. Tertius Fisci, qui, si successio et defectus recens et manifestus est, via facti succedit, si antiquus est, via juris, et quidem, si

32 annos superavit defectus, vel tempus amissi per deficientem possessorii, nisi pignus adsit, jus quoque deficientis debet probare Dec. 16. p. 58. (quia etiam fratres, ut vidimus in antiqua successione, cum præsumtio longi temporis pro I. militet, jus debent probare) contra feminas vero, jus privativum masculorum, et quidem proprio marte, nec potest illas in possessorio existentes ad producenda et revelanda familiæ literalia stringere, 15. p. 57. quod vel tunc ægre impetrat, si triumphet, D. 10. p. 56. Si vero ex defectu seminis agit, non potest eodem processu, ultra sphæram actionis, se extendere, atque ex bonis utriusque sexus, monialem v. gr. ultimi deficientis filiam, bona apprehendentem, ad legalem 71: 1715. ratam restringere. Actionem fundat in 1-mæ: 10. 1715: 25. Si vero recens quidem est defectus, verum dubius, idest, vel sexus femineus, vel fratres prætensivi collaterales controvertunt successionem Fisci, tunc movet processum, qui est extra possessorium, contra illum, qui se ad possessorium posuit, Fiscus ex 1-mæ: 10. 1715: 25. Collaterales vero ex 47, 67: 1-mæ coram Tabula Regia. Sive vero sit Fiscus Actor, sive Incattus, tamen congenerationales prætensi debent communionem juris et sangvinis probare cum deficiente. Qui in hoc processu succubuit, potest coram Tabula Regia intra annum a defectu agere, sive Fiscus, sive collaterales, et ibi iterum congenerationales debebunt jus suum privilegiale docere, et qui ibi triumphaverit, illi adjudicabuntur bona cum fructibus intermedio litis tempore perceptis. Hæc fusius describuntur in citato 25: 1715. quæ tamen lex non observatur, cum Fiscus, ex qualicunque,

et cujuscunque, sive nobilis sive libertini defectu prætenso (nisi testamentum ex vitio externo oppugnandum adsit) coram Tabula Regia agat, ut etiam collaterales contra ipsum; præterea, fratribus in possessorio existentibus, vel condivisionalitatem cum deficiente probantibus, non imponitur juris proba, Fiscus debet probare contrarium, idest, jus R. latere.

§. 422. Quartus. Ad redintegrationem avitorum, per defunctum consumtorum, distractorum, oneratorum, agunt proles vel collaterales defuncti, contra illos, qui acquisitam ejus substantiam, ex legato, vel successione, v. gr. Fiscus, conjux, aut vidua (titulo scilicet successionis vidualis, aut conjugalis, vel plane jure prætensæ coacquisitionis) detinent coram Judice successionis, ex 1723: 49.

§. 423. Quintus. Persona Religionem possidendorum bonorum capacem ingressa, potest coram Judice successionis, idest, vel coram Comitatensi Judice, vel Districtuali Tabula, ad decimalitatem ratæ ex avitis immobilibus, vel (ut aliqui docent) etiam mobilibus, ipsum concernentis per parentes vel successores eorum æstimatione 6 per centum excindendam procedere, fundando Actionem in 71: 1715. ex acquisitis nihil acquirit.

§. 424. In processu successionali expensæ non currunt D. 21. p. 140. nisi I. proterve litiget, vel causa sit privilegiata, ut D. 56. p. 149. de processu, contra vitricum, ad obtinenda paterna vel materna bona, moto, dicit. Si Actor et Incattus condivisionales sint, communi massæ dividendæ adjiciuntur, sicque Actori bonificantur fructus; nisi sit antiqua successio, aut diversis obstaculis irretita; quia ibi habuit Incattus causam litigandi

D. 18. p. 140. Ex dipositione acquisitoris, aut contractu, per fratrem fratri debiti, verum non soluti investitionum pretii interusurium præstari debet D. 48. p. 146. Qui ædificia magna studio bona onerandi, et sangvinem condivisionalem bonis arcendi posuerit, illa auferre potest, non enim refundentur; eadem est ratio, si successionalis ad æpositionem dirigi potuit et debuit, v. gr. non via facti, non proprio ausu quidem, verum titulo quopiam, sed ipso jure nullo, apprehendit bona possessor.

CAPUT X.

De Fidei Commisso.

§. 425. Fidei commissum vere tale. §. 426. Per quem instituitur? §. 427. Requirit consensum regium, §. 428. Et publicationem. §. 429. Finis instituti hujus. §. 430. Effectus. §. 431. Species duæ, Majoratus scilicet et Senioratus. §. 432. Processus quibus ansam dat.

§. 425.

Omne id, quod ab intestato remansit, æqualiter inter proles dividitur, nisi sit fidei commissum. — Fidei commissa in sensu lato sunt omnia avita, quia non possunt perennaliter valide alienari, nisi necassitas cogat, vel rationabilitas svadeat. Verum hic agitur de fidei commisso in sensu stricto, idest, de bonis mobilibus et immobilibus, quæ primus acquisitor ita regulavit, ut

absque divisione, alienatione et inoneratione ad posteros masculos transmittantur.

§. 426. Qui hoc instituit, debet vere acquisitor esse, idest, debet esse extra casum dilapidationis vel alienationis bonorum avitorum; quia tamdiu non est acquisitor, donec illa redintegret, aut debita propria expungat.

§. 427. Primus acquisitor etiam absque consensu regio potest quidem regulare bona, (imo etiam testator potest legatariis suis alios substituere, ad quos post mortem legatarii sine alienatione et inoneratione bona transeant) ast si non in donatione, verum fassione, vel testamento instituatur illa regulatio, consensus et corfirmatio Principis necessaria est quidem, sed quid operetur, si a politica ratione discesseris, mihi non satis constat, nisi, fors, solemnitatem necessariam dixeris.

§. 428. Ut omne privilegium, sic etiam confirmatio hæc, salvo jure et ære alieno antea contracto debet fieri, et prout lex vult, in Comitatu, in quo bona sunt, prout vero moris est, per totum Regnum, medio Consilii Locumtenentialis publicari, ut creditores, vel alii, quorum interest contradicere possint, et suis juribus invigilare, adeoque debita illius, qui fidei commissum regulat, antea contracta, debent prius exsolvi (quamvis consensus regius adsit) vel alter sufficiens fundus adesse debet illis exsolvendis.

§. 429. Finis fidei commissorum est conservatio splendoris familiæ, hinc, natura sua solos mares concernunt talia bona, quia familia in illis conservatur; quid quod, licet donatione pura sint collata bona, nec quartalitium datur ex illis.

Jus viduale tamen adjudicavit Curia in Majoratu Szirmaiano, absque consensu regio instituto, eo, quod in testamento non fuerit expresse sublatum; nam consensus, sive adsit sive non, certe ad successores et familiam fundatoris nihil attinet.

§. 430. Qui bona fidei commissa possidet, non est illorum dominus, sed tantum usu fructuarius (prout Ecclesiastici bonorum Ecclesiæ 1559: 51.) Hinc propter debita post publicatum fidei commissum, licet per ipsum fundatorem, eo minus per ejus successores contracta, aut propter ulla delicta Majoresconis, bona non possunt auferri, prout alia avita auferuntur, verum tantum usus fructus sequestrari, idque tantum vita Majoresconis debitum contrahentis durante. Successor ejus non est ejus successor, verum acquisitoris; porro: talia bona, nullo sub prætextu potest majoresco abalienare aut oppignorare, sub amissionis pœna, imo nec cambiare, verum in arendam potest dare usque ad suam mortem; prout etiam, si quid bonis investivit, vel impendit, v. gr. pignori fassionem perennalem, fassioni consensum, contractui camerali donationem induxerit, bona melioraverit, potest de investitionibus suis disponere, non item quoad summam capitalem ordinationi acquisitoris subjectam, qua bona acquisita erant, 9: 1687. illa semper debet manere salva, etiam si bona juri infirmo donatione superinducta vendere nefas non sit. Bona per fratres uni fratri et successoribus ejus masculis ultra ratam divisionalem pro dignitate sustentanda data, non sunt fidei commissa, possunt pro debitis possessoris adimi, Dec. Cur. 2: p. 154.

§. 431. Species fidei commissorum apud nos

in usu sunt duæ: Majoratus et Senioratus. Majoratus lineali successione pro ratione et ordine genituræ transit ad posteros, v. gr. acquisitor majoratum instituens habet tres filios: primogenitus adipiscitur majoratum, illi succedet æque primogenitus, et sic porro. Si primogenitus aliquis sine descendentibus moriatur, frater illius secundogenitus, vel illius primogenitus succedet. Si nemo supersit in linea illlus, qui acquisitoris primogenitus fuit ad illius lineam transitur, qui secundogenitus acquisitoris fuit, si et illa emoriatur, tunc ad tertiam lineam devolventur bona.

Senioratus in lege nulla mentio est, tamen in usu est in Hungaria. In bonis Senioratus succedit, qui inter primi acquisitoris descendentes agnatos, seu sexus masculini maximæ ætatis est,

§. 452. Processus sunt:

Primus. Ad invalidationem fidei commissi coram Tabula Regia, movetur per successores ejus, qui ex avitis bonis instituit fidei commissum, aut ex acquisitis quidem, verum avita abalienavit. Fundatur in 1-mæ 60, 59: 2-dæ. 9. 10. 11. 12: 1687. 50: 1723. extraneus, qui ad illa bona jus prætendit, alio prætensionis suæ accommodo instituto potest uti.

Secundo. Ad sublationem et cassationem contradictionis occasione publicationis interpositæ, potest agere majoratum instituens, vel majoresco æque coram Tabula Regia, quia de valore literarum quæritur, hoc vero est fori tabularis, si non detur ratio sufficiens, cassatur contradictio.

Tertio. Si majoresco bona alienet, oppignoret, successor ipsius, v. gr. filius legitimæ ætatis,

vel si ille nolit, illi quos successio post illum proxime concernit, possunt movere ad amissionem Majoratus. Actio fundatur in 687: 9. 1723: 50. movetur coram foro successionali.

Quarto. Successionalis majoresconi competit, contra illum, qui bona detinet, sive emerit, sive alio quocunque titulo ad se pertraxerit accessorie, vi 52: 2-dæ seponetur alienatio per prædecessorem celebrata, et bona gratis debebunt remitti. Si tamen certum sit in utilitatem et conservationem ipsorum bonorum esse investitam pecuniam, refundi debebit, quod etiam de Ecclesiæ bonis est intelligendum, ex quasi contractu, quia nec Ecclesia potest cum damno alterius locupletari. Si vero non in Ecclesiæ utilitates est conversum pretium bonorum, bona quidem Ecclesiæ simpliciter debent restitui, verum emtor habet regressum ad venditorem.

CAPUT XI.

De Fratribus indivisis, eorumque lucro et damno.

§. 433. Indivisi fratris acquisitio ex bonis communibus, omnium fratrum, extra illa vero solius acquirentis est, ab intestato coelibe et improli ad reliquos transitura. §. 434. Bona non consentientium per unum fratrum nulliter alienantur. — §. 435. Rata fratris indivisi vero, quoad reliquos, reluibiliter vel invalidabiliter. §. 436. Processus successionali sepositorius quoad ratam non consentientis. §. 437. Ad transvestiendum pignus, quoad ratam fratris oppig-

norantis. §. 438. De bonis per communem antenatum oppignoratis, et per nonnullos fratres auctionibus vel etiam fassionibus gravatis. §. 439. De bonis communibus, per fratrem unum revindicantis. §. 440. Quoad ratam fratris indivisi, perennaliter ab eo venditam.

§. 433.

Olim quidquid unus fratrum indivisorum qualitercunque acquisivit, debuit communi divisioni substernere, nisi avitis renunciare maluerit, 43, 44. 1-mæ, hoc per 54: 655. ad solos carnales et uterinos simul restrictum est. Secundum recentiorem legem vero 47: 1725. nonnisi ex fructibus bonorum indivisorum acquisita tenetur substernere, alio modo parta potest salva sua rata ex avitis sibi retinere, jus succedendi tamen in absentia prolium, conjugis et ascendentium, atque ab intestato, reliquis fratribus in iisdem præ Fisco competit, apud descendentes quoque acquisitoris ita reputabuntur, ac si illi divisione mediante obtigissent, adeoque illis deficientibus ad fratrum acquisitoris posteros devolventur. — Fratre, bona antea titulo pignoris aut secus infirmo jure possessa, perennaliter acquirente, eaque divisioni substernente, bona toti familiæ communia erunt; Dec. 2: 61. et alia in causa Pongrátz 1782.

§. 434. De alienatione bonorum indivisorum notandum:

1) Quod facta per unum fratrum de bonis indivisis alienatio, quoad portiones reliquorum non consentientium, post annum 1725. D. 7. p. 152. est ipso jure nulla; simplici successionali pro-

cessu coram foro pedaneo seponitur, bonaque sine pecunia restitui debent, 47: 1725. quamvis D. 26. p. 89. in casu perennalis sub authentico factæ venditionis invalidationem supponat.

§. 455. 2) Propria indivisi alienantis portio, si sit pignus, vel fassio quidem, verum sub privatis sigillis celebrata, sive sola ejus portio absque prænonitione sit alienata, sive reliquorum quoque portiones, cum vel sine præmissa prænonitione, æque coram foro pedaneo, per indivisos fratres, deposita investita tota summa, ad instar pignoris revindicatur. Si vero alienatio de indivisis, sit sub sigillo authentico, ad portionem fratris alienantis revindicandam foro tabulari opus erit, D. 25: p. 115. et inhærens onus refundi debet emtori, neque jam communi æstimatione revindicatur, ut 61: 1-mæ. Revindicatio vero, vivo quidem fratre solam suam portionem alienante, ex non facta prænonitione, illo vero absque prolibus mortuo, ex præjudicio erit, si alienatio non fuerit rationabilis vel necessaria, vel pro fidelibus servitiis.

§. 456. Processus sunt:

Primus. Ad revindicationem communium indivisorum (quoad ratam non consentientium fratrum). Actio fundatur in 47: 1725. coram successionis Judice, idest, Judlium vel Vice-Comite, vel Tabula Districtuali. Probatur nullitas tituli. Competit Actio fratribus indivisi alienantis, aut eorum successoribus juris et sangvinis communionem cum eo foventibus; (non ergo illis, qui non habent cum alienante nexum sangvinis et juris, v. gr. condonatariis indivisis, collegatariis, Fisco etc.) Quoad pecunias eodem

processu datur ementi regressus ad vendentem, in causa Jelenfi 1810.

§. 457. Secundus. Ad transvestiendum pignus, seu, quoad propriam alienantis portionem ex praelatione, si alienatio sit sub privatis sigillis. Jure novissimo judicatus est 1807: 9. idem, etiamsi divisi sint fratres. Fundatur aeque in 47: 1725. Imitatur naturam pignoris, et portio alienantis pro pecunia restitui debet. Hinc nonnisi in uno illo casu movemus processum ad sepositionem coram Judice successionis, cum portiones non consentientium volumus gratis revindicare, portionem vero transferentis, cui tota summa inhaeret, in salvo relinquimus.

§. 458. Quod si pignus a communi antenato sit celebratum; et postea aliqui ex illius successoribus auctiones levent, annos obligent, D. 11. p. 112. vel prorsus fateantur sub privatis sigillis. Reliqui, vel saltem unus etiam fratrum, pignoris processum in legibus de pignore sonantibus instituendo, ratam suam directo successionis jure, ratas reliquorum vero sub jure praelationis, fundando Actionem suam etiam in 47: 1725. coram foro pignoris, non obstante eo, quod unus fratrum portionem suam ex id genus indivisis sibi debitam, per possessores sibi remissam, iisdem in arrendam dederit (eo quod cum extraneis dividere non debeat) adipiscetur, (etiamsi pignoratitias congenerationalium suorum, absque tamen specifica contractuum et conditionum mentione D. 13. p. 115. confirmaverit) non obstante porro supposito Decisionis 15. p. 115. etiam ante effluxum annorum, nisi jam ante motam litem, totum et omne jus suum in iisdem bonis existens, in fratrem annos

obligantem, transtulerit D. 16: p. 113. Si vero ante litem motam per quosdam fratres perennales quoque fassiones celebratæ sint, etiam ad 60: 1-mæ recurrendum, et vi 52: 2-dæ omnia impedimenta accessorie foro tabulari rescindi petenda, metu cumulatæ Actionis ex D. 9. p. 7. enato, obstare nequeunte. Fassiones autem sub lite factæ seponuntur 27: 1-mæ, et sensu D. 9: 107. item 1: 199. Si solius communis antenati factum subversetur, non est necesse, ut frater communia bona revindicare volens, ad prælationem dirigat Actionem invalidatoriam vel reluitoriam. Imo licet condivisionalis pro rata sua auctionem levando, annos inscripserit, verum illi durante lite effluant, reluitoria Actione, etiam si ad prælationem non directa, proficiet Actor frater D. 15. p. 113.

Extraneus ex 47: 1725. contra fassionem perennalem sub privato sigillo celebratam agere non potest, v. gr. cessionarius, quia totus articulus sonat de indivisis fratribus et bonis.

§. 439. Si frater indivisa revindicavit, etiam si penes parentum cessionem, D. 15: 121. contra ipsum, non simplex reluitorius (ut D. 6. p. 111. inviat, D. 16. p. 140. vero circa pignus per condivisionalem possessum jubet) verum coram Judice successionis, adeoque si bona in pluribus Comitatibus, etiam si non colligato pignore olim alienata, sunt per ipsum revindicata, coram Tabula Districtuali, D. 22: p. 202. successionali divisionalis movetur, Actio vero etiam ad liquidationem liquidandorum dirigitur, et vi D. 46: 146. 22: 202. depositis deponendis, rata sua, et eorum, quorum nomine agit, D. 22: 115. 22: 202. Actori extradabitur, non item ratæ reliquorum D.

47: 146. etiamsi ab illis frater possessor fassionem vel pignus non habeat, quia inter pares non datur prælatio, verum qui prior tempore potior jure, melior est conditio possidentis. Quamvis autem exiguam habeat investitionem, fructus non refundet, quia repræsentat illum, a quo revindicavit, D. 47: 146. supponit expensas Actoris bonificandas esse per I. si admonitus absque processu non liquidaverit; secus est, si Actori, plus petenti, suam ratam obtulerit. Etiam si ab aliquibus fratribus cessionem haberet Actor, tamen non proficiet suo nomine quoad ratas cedentium, contra fratrem in eodem gradu, quo ipse est, existentem, et ipsum indemnem præstare volentem, (eo minus proficeret itaque extraneus, licet fassionarius, sensu 27: 1-mæ, et D. 50: 147.) Ergo sub nominibus cedentium debet litigare, et post executionem, si bona tradere nolint, ad implementum agere, verum, vix subsisteret Actoratus eorum, qui id, quod quærunt jam vendidisse probantur. Quod vero illi, quorum portiones ultra factum communis antenati conditionibus vel plane fassionibus sunt affectæ, hoc instituto, contra fratrem revindicantem et possidentem nihil proficiant, verum annorum effluxum expectare, vel invalidatorio agere debeant, suapte intelligitur.

§. 440. Tertius ad invalidationem coram Tabula Regia quoad ratam alienantis, si alienatio sub authentico sigillo facta est, id enim per se intelligitur, etiamsi Decisio 23: pag. 115. non diceret quod illa alienatio (sive extraneo, sive fratri facta) non sit ipso jure nulla; ast valde notabile est, quod 47: 1723. ad venditionem indivisorum, quoad fratres, et rationabilitatem, et præ-

monitionem requirat: secus, si scilicet alterutrum desit, per fratres invalidabilem declaret. Hoc adhuc notandum, quod si bona indivisa facto aliquorum fratrum multis involutionibus affecta et intricata sunt, semper et quoad totum bonum coram Tabula Regia debeat agi, ex legibus jam supra citatis.

CAPUT. XII.

De Divisione.

§. 441. Modus divisionis peragendæ. §. 442. Privilegium seu beneficium juris fratri natu minimo, §. 443. Aliud fratri natu maximo competens. §. 444. Effectus divisionis. §. 445. Processus divisionalis. §. 446. Vincularis.

§. 441.

Omnia bona mobilia et immobilia conscribuntur, et æstimantur, atque in tot, in quantum fieri potest, æquales partes dispescuntur, quot sunt dividentes, cuique sua rata vel benevole, vel sorte assignatur, et literæ divisionales per condividentes subscribuntur. Si non benevole (per ipsos scilicet condividentes, vel auctoritate Deputationis Comitatensis) verum per electos, 54: 1655. vel legales Judices processu facta est divisio, Judices subscribunt.

Quod unus fratrum vel sororum vivis parentibus ex substantia bonorum, aut mortuis illis ex proventibus communibus D. 7. p. 138. accepit, id illi imputari debet in ratam, nisi prius illud, manifeste donum ex acquisitis fuerit, sensu D. 54:

143. qua, ne quidem titulo emaritationis erga quietantiam data summa habebatur per Tabulam Septemviralem pro dono, secus ac per Tab. R. Pl. 215. Expensas emaritationis in ratas filiarum per parentes emaritatarum imputari non posse decisum est in causa Nyerges. Si pater unam prolem majoribus sumtibus ex acquisitis resultantibus, adeoque absque oneratione avitorum, educat, quam aliam, aut fratribus bonorum, ei, licet precario datorum uti frui permisit, (tantummodo fundus instructus per illum diminutus non sit) id velut donum non imputatur. Si frater, bona dividenda in pignore teneat, aut alias melioriationes illis investitas habeat, partem oneris hujus sicut aliorum paternorum debitorum, pro rata sua portare debet, adeoque, vel totum ex communi pecunia, vel medietas tantum per alterum fratrem (si scilicet duo sint) refundetur.

§. 442. Domus paterna ordinarie filio natu minimo, si illi placeat, cedit, (licet aliquæ sorores juniores illo adessent) cum appertinentiis; reliquis fratribus ex communi massa æquales domus ædificari, et æquales appertinentiæ exscindi, vel rata cujusque, quam ex domo haberet, per minimum natu redimi, et appertinentiæ illius, si scilicet pro qualibet domo tales exscindi non possunt 40. 41: 1-mæ dividi debent.

§. 443. Literalia fratri natu maximo, si cetera aptus sit, idest, non sit stultus, vel dilapidator 42: 1-mæ, et D. 8-væ Maji 1806. in causa Rottenstein conservanda traduntur, quorum etiam revelatio principaliter illi incumbit, D. 5: 22. ille active, qua frater natu major, et reliquorum etiam suorum cointeressatorum jura su-

stentans, pro omnibus potest litigare, (prout quiscunque ex fratribus D. 1: p. 21.) verum passive omnes fratres et sorores, præcipue emaritatæ, D. 2: p. 22. debent citari, si in possessorio rei litigiosæ sunt; nisi fors enormi vitio laborent, v. gr. surdo muti, D. in causa Szluha 1805. secus tempore executionis opponent, si ad illorum bona sive divisa sive indivisa dirigatur executio, licet fratris natu majoris, qua talis, comparitio, minorennes, licet legitimæ ætatis, a contumacia excuset D. 5: p. 22.

§. 444. Bona per divisionem evadunt avita, mutuæ successioni atque evictioni obnoxia, idest, quod unus fratrum absque sua culpa amittet, debebit ipsi per reliquos compensari. 2) Post annum via facti non potest turbari divisio, verum via juris, 1-mæ: 45, 46. 1729: 56. divisionem vel potius testamentum sapit, nec potest invalidari, si filii acquisitoris, illo vivente et approbante, in casum intestati successionem regulent, et divisionem anticipent, D. 4. p. 106.

§. 445. Processus sunt:

Primus successionali-divisionalis. Actio fundatur in 40. 45: 1-mæ, si bona ascendentium petantur dividi; si vero collateralis defuncti, in legibus sub successione collateralium citatis. Dirigitur etiam ad revelationem, sub pœna 500 flor. terminato processu exequenda.

Hic processus per solum sangvinem, et tantum contra illum, qui sangvinis et juris communionem cum actore habet, solet moveri; quia tantum inter illos est sensu legali divisio. Unde legatarius, licet frater, aut plane extraneus aliquid subdividi petens ex legibus de divisione sonantibus

procedere non potest, uti nec ad rectificationem vel novam divisionem, D. 50: p. 147. nec ex contractu cum uno fratre inito potest suo nomine ratam ejus a reliquis petere, 27: 1-mæ et Dec. Cur. citata, verum ascendens potest descendentibus cedere jus contra collaterales suos agendi, D. 52: 147. — Movetur coram illo Judice, quo successionalis. Si in hoc processu inter sexum et sexum non conveniat, videat Judex, an bona, de quibus dubitatur, sint avita, vel acquisita; si avita, an patris defuncti vel avi soror in illis cum fratre diviserit, et an in illorum bonorum parte sexus aliquis femineus sit? si divisit, aut in possessorio est in eadem linea, D. 42: p. 145. aliquis sexus feminei homo, dividat Judex bona ex usu, (nisi probetur, feminas illas quæ sunt in bonis, pignoris, vel fassionis titulo esse in illis) mares vero releget ad exclusionem. Si non prodeat usus feminarum ejusdem lineæ praehabitus, non dividat, verum feminas releget ad aequalitatem coram Tabula Regia quærendam, D. 7: 15. Literas talia bona tangentes, in quibus feminæ non probant usum praehabitum, nisi virtualis seu eventualis successionis fundamenta adsint, D. 55: 145. non tenentur mares hoc foro producere, D. 10: 158. 35: 145. 41: 145. Si vero bona defuncti patris acquisita mares negent esse utriusque sexus, non dividat, verum etiam tunc feminas ad aequalitatem tabulari foro quaerendam releget, nisi feminæ proprio marte contrarium ex 17: 1-mæ §. 4. evidenter probent; quia Judex pedaneus nonnisi ex usu solo potest judicare, et quamvis literæ bona dividenda tangentes, et de quibus nulla controversia est, in divisionali processu sæpe producantur

sub juramento, D. 55: p. 143. Dec. 16: p. 121. hoc nonnisi eo fine fit, ut resciatur, quæ bona sunt pignoratitia, quæ perennalia, ut sic justa divisio fieri possit, non vero ut de valore literarum judicetur. Expensæ litis hujus ex communi massa adjudicantur, in regula, D. 45: 146. nam potest fieri, ut ex rata sua debeat I. refundere Actori, sensu D. 47. p. 146.

§. 446. Secundus. Ad desumtionem vinculi coram Judice debiti. Actio fundatur in Matth. 6. 17: Ulad. 1: 58. 28: 1715. 54: 1725. contra illum, qui post ratarum excisionem via facti turbat divisionem, quia via juris, licet vinculum adjectum sit 54: 1655. D. 28. p. 142. et licet succumbat, impune turbaverit.

CAPUT XIII.

De Rectificatione divisionis, et nova divisione.

§. 447. Rectificationi divisionis nævus accidentalis, novæ divisioni vero substantialis dat causam. §. 448. Idque tantum semel, et intra 32 annos. Unde numerandos? §. 449. Processus rectificatorius, §. 450. Novæ divisionis. — §. 451. Exempla instituti hujus vitiose arrepti multa recensentur.

§. 447.

Rectificatio divisionis habet locum si in divisionem, sive amicabilem, sive judicialem, accidentales aliqui errores vel defectus, sive cum, sive sine dolo vel culpa condividentium, aut cujus-

cunque irrepserunt, et portio unius vel in ipsa divisione cum defectu extradata, vel post divisionem sine culpa Domini, processu, aut injuria temporum diminuta est, v. gr. si agri, vel vineæ minores aut deteriores sunt uni datæ, quam reliquis, aut deteriori loco, v. gr. ubi terra violentia fluvii diminuitur, aut particula aliqua judicialiter ob infirmitatem juris est ablata. Si vero portio fratris unius vel tota, vel saltem majori sui parte periit, vel in ipsa divisione substantialiter læsus est, nova divisio habet locum. — Substantialis defectus est, et novæ divisioni occasionem dat, v. gr. si uni mera pignora, alteri mera perennalia, vel uni mera mobilia, alteri immobilia Dec. 17: 121. uni multo plura, aut multo præstantiora bona data sunt, alteri longe minora, et longe deteriora.

§. 448. Tam ad rectificationem, quam ad novam divisionem semel licet agere ob errorem vel defectum tempore actionis præexistentem, 1655: 54. 1729: 56. et quidem propter nævos divisionis, a tempore ejus intra 52 annos (qui a præscriptione non sunt exemti) debet lis moveri, secus præscribent reliqui fratres litis motioni et actioni, nec juvat contradixisse ante 52 annorum effluxum, Dec. in causa Rajtsányi 15. Dec. 1806. a morte communis matris post divisionem mortuæ numerabit 52 annos. Si vero post divisionem, vel plane rectificationem, aut novam divisionem, iterum evenit diminutio, aut substantialis mutatio, a tempore illius debet ad rectificationem, vel novam divisionem agi toties quoties, intra 52 annos. Contra pupillum, ab illo tempore, quo patre (si

bona materna fuerunt, matre) orbatus est, non numerantur anni usque 16 ætatis annum.

§. 449. Processus sunt:

Primus. Ad rectificationem divisionis. Actio fundatur in 36: 1729. Movetur coram illo Judice, qui fuit Judex in ipsa divisione, vel debuisset aut potuisset esse. Si nondum fuit divisio, non habet locum rectificatio, v. gr. ante excisionem ratarum, verum implementum divisionis. — Zichy 1810. Potest tamen actio partim ad certificationem jam divisorum, partim ad divisionem adhuc indivisorum, v. gr. fructuum ante divisionem ex indivisis perceptorum, institui. — Quia utrumque est ejusdem fori, et ad eundem finem tendit D. 33: 143. Citantur omnes condividentes. Actoratus quæstio et edoctio erroris vel defectus accidentalis. Uti divisionalis processus, ita et rectificatorius soli sangvini competit, illis scilicet qui virtute communionis juris et sangvinis diviserunt. In rectificatione manet prior localitas portionum (secus ac in nova divisione) nec substantia divisionis mutatur, verum tantum id, quod uni portioni deest, bonificatur et suppletur. Si Actor pro particula sibi ademta, v. gr. per proprietarium nefors reluta, pecuniam recepit, eam reliquis proportionate restituere debet, Dec. 15. pag. 189.

§. 450. Secundus ad novam divisionem. Actio fundatur in 45, 46: 1-æ. 56: 1729. Est processus tabularis, quia invalidatio prioris divisionis subversatur, et de novo alia divisio instituitur. Eo fine omnes condividentes, et bona primæ divisionis possidentes evocantur, sive jure quartalitii, aut jure viduali, D. 5: 119. sive titulo dotis sint in

bonis. — Tota massa immobilium coadunari, et commassari debet, secus non poterit nova divisio fieri, D. 16: p. 121. 18: p. 122. 19: 122. Hinc non habebit Actoratum ad novam divisionem, qui aliquid ex rata sua alienavit sensu D. 5: 134. item in causa Sztárai, Mérei etc. quod quidem Incattis incumbit probare, nam ad Actoratum condivisionalitas et substantialis læsio tantum debet probari, per femineum sexum vero etiam usus ante divisionem præhabitus; ad meritum pertinebit formula juramenti, conscriptio, liquadatio, hinc, omnia mobilia sub juramento revelantur, quæ cuique tempore divisionis obtigerunt, D. 16: 121. quæ si non fuerint res servando servabiles, verum consumtæ vel distractæ sint, secundum valorem tempore executionis eruendum consumenti imputabuntur, 18: 122. Literalia quoque omnia æque sub juramento revelantur, ut natura et indoles bonorum, an perennaliter vel pignoratitio titulo possideantur? resciri possit, 16: 121. Quod quis a tempore divisionis percepit ex bonis, eidem manet, 25: 125. verum, quemadmodum si quas meliorationes fecerit, eidem bonificandæ erunt, v. gr. si ædificia D. 4: 155. nondum desolata exstruxerit, (quæ quidem si magna sunt, cum fundo in ratam exstruentis adsignato eidem manebunt, D. 22: 122.) vel in cambium acceptis bonis supersolverit, D. 20. p. 122. ita si quis deterioravit bona, id ipsi subtrahetur et imputabitur, D. 11: 120. 22. p. 122. Portiones non sorte, verum judicialiter cuique assignantur, secus ac in prima divisione judiciali fieri solet. — Si frater contra fratrem alius generis prætensionem habeat, v. gr. ex credito, vel pignore etc. illæ non possunt in actio-

nem novæ divisionis induci D. 2: p. 119. prout nec contra accommodationem avorum, per patres confirmatam, nepotibus ad novam divisionem agere licet, D. 4: 119. — Cum vero nova divisio, ad universam substantiam extendatur, non video rationem cur Dec. 14: p 121. penes et ultra novam divisionem, quoad minus substantialia, rectificationi divisionis locum fecerit.

§. 451. Si divisio adhuc nulla fuit, non poterit ad novam divisionem agi, v. gr. si sexus femineus pecuniam acceptet pro bonis immobilibus, deinde ad novam divisionem agat, condescendit Institutum, quia contra factum proprium nonnisi ex dolo, fraude, vi, metu poterunt agere, successores vero earum primo ad invalidationem illius facti, deinde ad æqualitatem juris, aut principaliter ad æqualitatem juris, accessorie ad invalidationem per antenatos initi contractus, vel (si in invalidatorio triumphaverint, et usum præhabitum probare possunt) ad divisionem primam; quia cum pecuniam acceptarunt, id magis fuit emtio et venditio, quam divisio. Sic: si ad divisionem vel ad æqualitatem juris, vel ad invalidationem testamenti, D. 25: 125. agendo transegerunt, D, 10: 120. non possunt ad novam divisionem agere, quia nulla fuit, verum ad invalidationem transactionis etc. Sic: licet divisio in aliquibus bonis fuerit, aliqua vero, vel ut solos mares concernentia, illis relicta sint, ad æqualitatem juris agendum est, vel ad simplicem divisionem, quæ eandem actione non potest peti qua nova divisio, quia non est ejusdem judicatus. Si divisio conformiter testamento per acquisitorem condito facta non est, ad implementum illius agi de-

bet, si vero conformiter facta est, non poterit ad novam divisionem agi, verum, si cui illud non placet, eo quod avita cum acquisitis confusa sunt, agat invalidatorio, reducat ad casum intestati, taliter peragenda divisio obnoxia erit novæ divisioni, D. 1: 119. 3. p. ead. 25: 123. Si penes novam donationem vel (1805: Okolitsányi) divisione ingessæ sunt feminæ bona, ad exclusionem agendum est, Dec. 24. pag. 123. Filia cui in ratam pater partem bonorum excidit, per ipsam acceptatam, non tantum vivo patre destituitur Actoratu ad novam divisionem, ut D. 12: p. 121. habet, verum etiam post mortem parentis, quia non fuit divisio.

Rerum mere mobilium, D. 8: 120. quantumvis multarum et pretiosarum, aut fructuum ante divisionem perceptorum causa, non ad novam divisionem, verum vel ad simplicem divisionem, vel D. 27: 125. ad rectificationem agendum est. Tab. R. Pl. 221. fructus ante divisionem perceptos occasione novæ divisionis, adjustari debere putabat. Quæ præter divisionem, idest ante vel post illam per fratres invicem cessa vel ademta, vel, D. 9: p. 120. ex prima divisione exmissa sunt, non sunt objectum rectificationis vel novae divisionis, verum alterius Instituti; quamvis Dec. Cur. 4: 119. de bonis per fratrem fratri post divisionem ademtis aliud supponat. In genere, an Actor hoc vel alio modo debeat medelam quærere, id, ad quæstionem instituti pertinet.

Inter extraneos a sangvine, D. 7: p. 120. non est nova divisio, v. gr. condonatarii, collegatarii si quid diviserint, ad invalidationem debent agere, vel ad sepositionem, si vero actus sit judicia-

rius, via novi, vel ad correctionem executionis, ut et privigni contra novercam, D. 12: p. 108. (v. gr. si non juramentaliter sint res mobiles per ipsam revelata) aut vitricum, D. 6: p. 120. vel filii contra matrem, aut versa vice. Quia inter illos nec divisio fuit, verum tantum accommodatio.

CAPUT XIV.

De Proportione usus communium beneficiorum.

§. 452. Causa et regulativum proportionis communium beneficiorum. §. 453. Inter compossessores vere tales. §. 454. Intravillana et privative per unum possessa beneficia, non semper erant objecta proportionis, §. 455. Prout hodie fit. §. 456. Ulterior modus in proportione procedendi. §. 457. Numerus sessionum quemque ex compossessoribus individualiter concernentium, vel ex documentis elaborari, §. 458. Vel mutuo partium consensu debet defigi. §. 459. Processus proportionalis ex usu. §. 460. Ex jure. §. 461. Quoad silvas, et opera hydraulica.

§. 452.

Inter Compossessores facile enascitur confusio in usu communium beneficiorum et proventuum, ita ut qui minus intravillani possidet, plus ex illis percipiat, quam qui plus possidet. Propterea regulatio usus necessaria est. Illa fit proportione intravillani possessorii, idest, compossessori, qui plures sessiones possidet in intravillano, plus datur ex beneficiis communibus. Sessiones debent

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

esse antiquæ, et appertinentiis provisæ, fundi enim quos quis ex communi cespite occupavit et impopulavit, connumerationem intravillanorum non ingrediuntur, imo proportioni subjicientur, quia ad omnes compossessores pertinent.

§. 455. Compossessores debent esse legitimi, idest, in simultaneo, manifesto et pacifico usu actu existentes, sive pignoratarii, sive arendatores sint, ut adeo, licet quis infirmo jure sit in possessorio, tamen hoc instituto non potest ejici, verum illi rata ex omnibus beneficiis communibus, proportione intravillani extradari debet: contra si quis non sit in possessorio, idest, nihil actu possideat ex intravillano, hoc instituto proficere non potest, quia in hoc processu solus usus attenditur; ergo si cui plus competeret in intravillano quam habet, id juris processu, D. 4: p. 191. quærat, aut successionali vel divisionali, aut alio Instituto curet suam quottalitatem in intravillano exscindi; quia proportio non secundum id fit, quantum quis deberet habere in intravillano, sed quantum habeat actu.

§. 454. Hinc, intravillana non dividuntur hoc Instituto, nec illorum divisio simul cum proportione peti potest, ut antiquiores Decisiones habent, 4: p. 16. 2. 5: p. 191. Imo nec id, quod quis extravillano, aut beneficiis aliis hactenus, non privative tantum, verum exclusive possedit, est objectum proportionis, secundum antiqua Curiæ præjudicia, 6. p. 191. verum tantum id, quod simul omnes usuarunt vel usuare potuerunt; quia non id quæritur in proportione, ut beneficia omnia communia reddantur, verum id, ut in illis, quæ jam communia sunt et promiscue usuantur,

proportionatus usus inducatur. Ergo contra talem, qui exclusive quid possidet in territorio, alio processu utendum esset, nisi ex communi occupatum constet.

§. 455. Verum non desunt et antiqua exempla, recentiora vero pleraque ita se habent (quia partes consentiunt, prout Tab. R. Pl. 228. judicaverat) ut totum territorium a proportione intravillani dividatur, et sua cuique rata, ex commassato toto territorio extradetur; idem fieri experimur, licet non consentiant, 50-ma Aug. 1801. Capitul. Strigon. etc.

§. 456. Eorum, quæ dividi non possunt, v. gr. educilla, macella, piscatura etc.) proventus proportionate dividuntur. Silva, vel ipsa, si major sit, vel proventus tantum ejus dividitur, et quot v. gr. quis setigeros glandinare possit, determinatur. Quoad pascuum, si illud angustum sit, D. 7. p. 192. numerus pecorum determinatur, quot quis in territorio alere possit. Curiæ ad sessiones, pro idea in eodem Comitatu observari solita, et pro extensione cujusque, plures vel pauciores reducuntur. Sic v. gr. si una Curia pro duabus sessionibus accipiatur, tantumdem beneficii et appertinentiarum illi adjicitur, quam duabus sessionibus, D. 1: 190. Si quis tamen, in eo, quod ex communi terreno antea occupavit, ædificia et meliorationes ponat, fundus in ratam ipsi relinquitur, verum ex communi tantumdem reliquis exscinditur, vel, si non suppetat terrenum ad tales particulas exscindendas, illud etiam, quod possedit, dividitur, et meliorationes ejus redimuntur, Dec. 3: 191. 7: 192. Exstirpaturarum (nisi expensæ fructibus perceptis compensatæ sint) eadem

est ratio, quas ante proportionalem processum a colonis emendi atque exsolvendi jus omnibus compossessoribus æqualiter competit, ita ut prior tempore potior fit jure, et melior sit conditio possidentis, D. 4: 199. nec competat actio Domino exstirpantis coloni, contra ementem, Dec. ead. et 2. p. 192.

§. 457. Cum hæc omnia approportionari debeant intravillano cujusque possessorio; eo fine resciri debet prævie quot sessiones vere tales continet possessio vel oppidum, et quantum sit constitutivum illarum individuale, idest, quantum quisque compossessorum ex illis possideat?

§. 458. Si hæc non possint resciri, aut mutuo consensu difigi, nec proportio poterit fieri, ut Dec. 8: 192. habet. Quia incertum est id, quod pro mensura proportionis deberet sumi, et cui appertinentiæ approportionari deberent; in cujus supplementum sæpe numerus orgyarum quadratarum, quas cujusque intravillanum facit, pro mensura sumitur. Intravillanum ita deberet manere, uti actu est, quia, ut dictum, divisio illius non pertinet ad proportionale institutum, verum invalescit modus ille, ut ex acquisitionalibus elaboretur, vel mutuo consensu defigatur, quot sessiones unam quamque familiam vel lineam concernant, atque ita, non tantum extravillanum et beneficia alia communia, verum nonnunquam ipsum etiam intravillanum dividetur exemplo a prædiis vi D. 7: 192. sumto, in quibus alioquin, intravillanum cum extravillano plerumque confusum est.

§. 459. Processus proportionalis defluit coram Vice-Comite. Actio fundatur in 69: 1715. Quilibet Compossessor potest se inactorare, plerum-

quæ tamen movet potior compossessor unus, vel quod præstat, plures. Si Actor deserat causam, potest quilibet alter continuare, licet antea Incattus fuit, quia vertitur sub communi actoratu. Hinc etiam reconventio, in hoc, uti etiam in divisionali et metali locum habet, idest, potest A. perdere id, quod improportionate usuavit. Probari debet improportionatus usus; expensæ per A. factæ, eidem, terminato processu solvuntur per omnes proportionate. — Ad Sedriam appellatur intra Dominium, inde ad Tabulam Regiam, extra Dominium, 28, 29, 1729.

§. 460. Proportionalis ex jure coram Tabula Regia movetur, non propter longiori tempore neglectum usum communium beneficiorum, verum, ob improportionatum possessorium in intravillano, ex privilegio et aliis acquisitionalibus instrumentis (quin de valore eorum quæratur) adjustandum, quod proportio communium beneficiorum suapte sequetur, Dec. 16: 64. Hic quoad intravillana, obverti potest præscriptio, nisi sit inter indivisum sangvinem, secus ac in processu ex usu. Actio fundatur in juris processu, et 14: 1618. 69: 1715. Ut inter sexum, ita in hoc processu qualiscunque acquisitionalis privilegio æquivalet, ibi de qualitate juris, hic de quantite quæritur.

§. 461. Quoad silvas proportionalem processum moturus, potest illarum dimensionem cum scitu Comitatus inchoare, quæ sub pœna violentiæ turbari non potest. Citatio quoad remotiores Compossessores. Edictalis sufficit, facto, ad instantiam actoris, ad Consilium, per Comitatum, recursu, 21: 1407. Alia etiam beneficia juris habet hic processus, v. gr. etiam is, qui non possidet

in intravillano, potest se ingerere, si putet sua interesse; novus Possessor absque citatione comparere debet; toto termino, etiam præter fixorum judiciorum tempora partibus agendum est etc. vid. leg. cit.

De ponendis in communi terra aut fluvio per potiorem compossessorum partem hydraulicis operibus, fructuque eorum fine recipiendarum expensarum sequestrando vid. 17: 1807. prout etiam de compescendo sabulo fluente in terra communi.

CAPUT XV.

De Metis.

§. 462. Origo metarum, et literarum metalium. §. 463. De præscriptione circa metas. §. 464. Processus metalis solemnis, ex usu, §. 465. Summarius, §. 466. Ex jure.

§. 462.

Cum per donationes aut divisiones majora corpora in plura minora discerpta fuissent, hæc metis distingvi ceperunt, idest, certis signis, vel naturalibus vel factitiis. Ex reambulatione vel rectificatione horum signorum enascuntur, literæ metales, v. gr. 1) Penes amicam conventionem, vel per modum concordiæ et fassionis 86: 1-mæ, aut in forma transactionis, jam lite prævigente. 2) Ad mandatum Judicis Regni ordinarii per hominem ad id denominatum, et Capitularem aut Conventualem, in forma statutio-

nis, 86: 1-mæ. 21: 2-dæ. 3) Per Vice-Comites, ex usu, vel ad utriusque, vel saltem ad alterutrius partis requisitionem 20: 1655. 4) Mediante legitima executione. Occasione vero metalium literarum confectarum adesse debebant, præter partes interessatas vicini, commetanei, eorumque, prout et testium sub juramento metas demonstrantium nomina debebant inseri literis metalibus, et usus subsequi debuit.

§. 465. Particulæ ab aliquo corpore avulsæ, non obstante præscriptionis cujuscunque allegatione, vigore metalium literalium legitime confectarum, ad illud corpus, a quo avulsæ sunt, reapplicari debent, 85: 1-mæ. D. 5. p. 194. Verum qui fundamento metalium antiquarum, novum corpus intra metas antiquas per divisiones aut quocunque modo enatum, et metis distinctum actu in forma separati corporis possessum vult sibi appropriare, contra illum obverti potest præscriptio, eod. §. 1.

§. 464. Processus metalis vel est ex usu, vel ex jure. Ex usu, tam processu solemni quam summario, coram Vice-Comite proceditur si loca sint in uno eodemque Comitatu, secus coram Judice per Palatinum delegato. — Si Palatinus sive qua Dominus terrestris, sive qua Supremus Comes et Judex Cumanorum sit interessatus, vel nullus sit, Rex delegat. Debent citari omnes loci alterius compossessores. — Actio fundatur in 20: 1655. 84, 85: 1-mæ. — Idem est, sive Actor sit ipse proprietarius, sive pignoratarius ejus, Decisio Curialis 10: pag. 195. Dec. 15: pag. 196. probari debet usus pacificus, publicus, manifestus et antiquus, idque vel literis, vel humano testimonio. Valent

literæ metales, licet signa in illis descripta non exstent, tantummodo localitas illorum ex literis metalibus clare prodeat. Testes hic plures requiruntur, quam in aliis processibus, nec authenticantur morte, quia in facie loci debent singula demonstrari, Dec. 12: 196. Possessionum, inter quas lis est, incolæ ad testimonium perhibendum non admittuntur, nec commetanei, seu vicini, si præsumi possit fundate, illis aliquid commodi vel incommodi ex controversia enasci posse, D. 7: p. 195. Mappa etiam in facie loci per Judicem authenticata conferri debet cum fassionibus testium. — Plures testes, seniores, extranei, fortiorem rationem scientiæ dantes, prævalent paucioribus etc. Usus antiquus prævalet recenti, præcipue si illi signa metalia exstantia suffragentur, D. 4. p. 194, Agricultura, idest, aratio, seminatio, et collectio frugum, prævalet falcationi fæni, fænisecium pascuationi, pascuatio lignationi, D. 14. 196. etc. Usus pacificus non violenter inchoatus, D. 11: p. 195. publicus, continuus, prævalet impedito, occulto, interrupto etc. privativus simultaneo. Si quis antiquum privativum etc. usum, præcipue signis metalibus conformem docet, totam plagam controversam obtinet, etiam si alter recentiorem usum doceat, D. 4: p. 194. aut, privilegium ad distinctum corpus probandum in hoc processu ex usu producat, D. 5: p. 194. Si in æquilibrio probarum sint partes, plaga controversa, in hoc processu ex usu, bipartita dividitur, 20: 1655. D. 6: 195. Sæpe vero pro qualitate et extensione usus probati alteri plus, alteri minus datur.

Appellatur hic processus a Vice-Comite extra Dominium. A Delegato ad Palatinum, illo non

existente ad Septemviratum. Uterque est Actor, tam qui movet processum, quam contra quem motus est, et habet locum reconventio, idest, potest Incattus propriam mappam producere, et proprium sibi ductum, et quidem talem facere, ut si illum probet, etiam ex eo Actor adhuc amittat in cujus usu est. Ergo videtur posse litem per A. derelictam continuare contra Dec. T. R. p. 155. 16. et 9: 195. Si processus metalis motus est, vel ab antiquo controversiæ metales vigent, tantisper neutra partium potest processu violentiali agere, donec metalis controversia decidatur, D. 15: p. 147. 2: p. 194. Metali processu appellato, licet per procedentem Judicem mappa sit authenticata, tamen pro oculata exire solet Protonotarius, ante relationem causæ, D. 1. p. 194. Transactio aliquorum compossessorum cum vicinis, non obstat actioni reliquorum, D. 4: 98.

§. 465. Summarissimo processu, et ex usu recentissimo positæ per Vice-Comitem, aut Delegatum Palatinalem ad instantiam alterutrius partis vel Fisci magistratualis, vel denique ut Resol. R. jubet, Judlium de controversia referente metæ interimales, sub pœna violentiæ et Actione fiscali observari, disjactæ vero expensis turbatoris cum brachio restitui debent, 25. 1802.

§. 466. Ex jure metalis processus movetur coram Tab. R. D. 15. p. 196. sive sit controversia inter duo loca, in duobus Comitatibus sita, sive vero inter duas ejusdem Comitatus possessiones. Produci debet ad actoratum donatio, vel privilegium metale, cum expressa metarum designatione emanatum, statutione vel reambulatione roboratum, aut prorsus non, aut non ex possessorio contradictum,

vel saltem a contradictione ex possessorio facta, depuratum, et in usum deductum. Nec sufficiunt ad jus probandum metales vel mandatum reambulatorium cum clausula: Dicitur nobis; nisi vigore illarum quis in usu fuisse doceatur 86: 1-mæ. — Reambulatoriæ quidem Capitularium et Conventualium mandato Judicis Regni ordinarii ad partes exmissorum peractæ et usu roboratæ, privilegiis æquiparantur in metalibus, sed transumtum privilegii metalis simplex, etiamsi usus doceatur, ad juris probam non sufficit, D. 3. p. 83. prout usu roboratæ sententiæ Judicum Regni ordinariorum et Curiæ sufficiunt. Actio fundatur, ut supra de juris processu dictum, tantum in eo differt ab illo processu, quod ibi corpus integrum vel portio, in metali vero particulæ avulsæ, et ad aliud corpus applicatæ quærantur, ibi proprietas disquiritur, hic de particula ejus agitur; hinc prout A. privilegium non sibi, verum corpori applicare debet; ita I. nec titulum ejus privilegii, nec firmitatem juris, seu proprietatem corporis potest hoc instituto oppugnare; porro: vi Dec. 2. pag. 85. metali processui non potest includi totum corpus, nisi sit processus ex usu Dec. 5: 194. et aliquod terrenum, licet olim distinctum corpus, jam ab immemoriali tempore per utramque partem, promiscue, et non in qualitate distincti corporis usurpatum sit; sic poterit ductui includi, nec obstat metationi ex usu, prout Tabula Regia Pl. 229. senserat, verum pars, quæ se læsam putat, juris processum ad illum corpus sibi vindicandum instituere poterit D. 8. 195.

Juris processus metalis instituitur, si ex usu quis non possit triumphare, vel bipartitio plagæ

controversæ decreta est, quæ tantum in processu ex usu habet locum. Meritum in hoc quoque juris processu est elucubratio quantitatis. Referens exmittitur, ut signa in privilegio denominata oculet, et mappam quæ fors genuina essse negatur, prout et testes authenticet, D. 1. p. 85.

CAPUT XVI.

De jure Fisci ex nota infidelitatis.

---

§. 467. Nota infidelitatis in genere, complectitur crimen læsæ Majestatis, §. 468. Et casus notæ in specie. §. 469. Processus actore Fisco Regio. §. 470. Pœna utriusque delicti. — §. 471. De mutua successione prolium vel collateralium Notorii post annum 1791. §. 472. Ante annum 1791.

§. 467.

Præter successionem quam Fiscus in donationalibus ex defectu, in aliis vero ex defectu simul et ab intestato habet, succedit Nobilibus, Libertinis et Civibus ex nota infidelitatis in genere, quæ crimen læsæ Majestatis, et notam in specie complectitur.

Crimen læsæ Majestatis est delictum, quo quispiam Regni Hungariæ civis, læsionem personalem legitimi Regis, aut tranquillitatis et constitutionis Regni perturbationem intendit, saltem id molientem, per conniventiam, dum potest, non impedit, non detegit, S. Steph. L. 2. cap. 51. 1-mæ 14. 7: 1715. Incurritur hoc delictum etiam scriptis,

factis, verbis, seditionem concitare queuntibus, licet effectus non sequatur.

§. 468. Notæ in specie rei 9: 1725. recensentur sequentes: 1) Semet contra Statum publicum Regis et Regni erigentes et opponentes, v. gr. (prout mihi videtur) qui legibus subesse nollent, executioni, cum brachio peragendæ, pertinaciter resisterent. — Statutis Regni subesse nolentium, nec aliter compesci queuntium bona per Comitatum in publicam prædam converti jubebantur, Ul. 6: 8. Propter dehonestationem Statuum Regni notæ pœna est in Diæta dictata 48: 1588. 2) Judices, locaque credibilia, et fidedignitates sub authenticis sigillis falsas literas conficientes. 3) Cusores falsarum monetarum (vel unius cruciferi) aut falsis monetis scienter ac publice (in quantitate circiter 50 fl.) utentes, Notarum Bancalium etiam confectores eo pertinere decisum est, 23-tia Mart. 1797, ut etiam deauratores argenteæ monetæ 18. Dec. 1798. 4) Qui inducunt vel conducunt homines ad spoliandum internum Regni Statum. 5) Publici hæretici, damnatæ scilicet hæresi adhærentes. 6) Qui castra finitima Regni, partesque eidem adnexas malitiose amittunt, vel hostibus tradunt. 7) Administratores armorum, vel rerum bellicarum, et tempore belli etiam victualium Turcis, et aliis infidelibus, Regni scilicet hostibus. 8) Turbatores, detentores, spoliatores illorum, qui Turcicam religionem deserendo, ad hoc Regnum confugiunt. 9) Tricesimatores, et alii, in educendo e Regno auro et argento conflato consentientes, aut aurum et argentum ejusmodi clam efferentes.

§. 469. Processus tam ob crimen, quam ob no-

tam, tam quoad bona in Hungaria, quam sub Banali jurisdictione existentia, (sed hæc posteriora penes compassuales 2-dæ 65. ad Tabulam Banalem mittendis exequenda) contra delinquentem in Hungaria habitantem, vel comprehensum, defluit coram Tabula Regia. Pariter, lata per Tabulam Banalem, contra notorium sub ejus jurisdictione degentem, sententia, etiam bona in Hungaria existentia ferit, sensu ejusdem 2-dæ 65. Ob crimen læsæ Majestatis, ut etiam ob notam, potest indirecte processus moveri per impetratorem ad dandam contradictionis rationem, ut diximus, vel etiam directe per Fiscum Regium, de quo nunc agimus. Actionem fundat Fiscus Regius in legibus supra citatis. — Criminis læsæ Majestatis suspectus ante citationem capitur et bona illius sequestrantur, 1715: 7. 1723: 5.

Verum notorius possessionatus non capitur, sed in statu libertatis se defendit. Accusatorem debet Fiscus Præsidi 26: 1741. manifestare, si sciatur quis sit, ut eo magis possit se I. defendere. Si quis temere deferat aliquem, facile pœna talionis, vel saltem arbitraria, pro ratione circumstantiarum leviori vel graviori pœna adficitur 1715: 7. §. 8, 9. secus est, si is probam in se non assumserit, nec factum affirmaverit, verum tantum se quid sinistri de aliquo observasse, vel audivisse, simpliciter retulerit.

§. 470. Quoad crimen læsæ Majestatis anno 1715. statutum est, ut etiam prolium innocentium portiones amittantur. Verum 1791. art. 56-to ad eandem cum nota pœnam reductum est, quæ est amissio capitis (sæpe cum exasperatione, v. gr. si alios seduxit, delictum consummavit etc.) deinde amis-

sio bonorum omnium avitorum, acquisitorum, mobilium, immobilium, propriorum, quoad ratam suam; prolium enim innocentium portiones secundum capita, etiam ex bonis patris salvæ manent, uti etiam bona illarum materna, idest, bona uxoris notorii, fratrum innocentium indivisorum portiones. Salva manet dos, allatura, paraphernum, jus viduale, et vi 7: 1687. uxorea coacquisitio, et, si bona solius sexus masculini erant, salvum est jus capillare, quartalitium, (præterquam si primus impetrator incurrat notam, quia tunc virtuale quartalitium cessat, non item reale, idest, quod jam antea per illum præstari debuisset, qui notam incurrit) vel jus pecuniarium puellarum, quia alioquin, si bona utrumque sexum concernunt, ratas suas accipiunt filiæ innocentes. Salvum est etiam jus, æsque alienum, quod nefors in bonis notorii esset, vel ille alicui deberet, 1725: 9. §. 12.

§. 471. Per notam et crimen filum successionis rumpitur, idest, filii quidem ante notam vel crimen, sententiam scilicet convictivam nati, adeoque illi, quibus Fiscus suas portiones extradedit, succedent sibi invicem mutuo, ut et collateralibus patris ante notam quidem deficientibus quoad ratas suas (reliquum enim, idest, rata patris Fisco cedit) post notam deficientibus vero, simpliciter, D. 61. p. 150. quæ licet de casibus ante 9: 1715. enatis loquatur, cum tamen post 1791. eadem sit pœna, quæ tunc vigore 104: 1659. erat, hodiedum valet. Verum ipse notorius, vel filii ejus post convictionem nati, non succedent filiis ante notam natis, vel collateralibus notorii. Imo, licet notorius gratiam vitæ et bono-

rum impetraret, tamen in bonis per gratiam recuperatis, collaterales illius virtualitatem amplius non habent, nec filii ante notam nati, et vel ante notam, vel occasione notæ aut criminis per Fiscum divisi, in illis recuperatis succedent, nisi nomina illorum grationalibus expresse inserantur; verum filii post notam aut crimen, sive ante, sive post gratiam nati succedent, licet nomina ipsorum specifice non inserantur; nec in aliis qualitercunque post gratiam acquirendis bonis succedunt proles ante convictionem natæ, quia per hanc nexus civilis, quoad successionem bonorum penitus rumpitur.

§. 472. In casibus læsæ Majestatis post 9: 1715. ante 1791. enatis succedunt omnes proles tempore criminis cum patre indivisæ, sive ante, sive post convictionem natæ, patri, et in bonis recuperatis et aliter acquisitis, quia in illis casibus non extradedit Fiscus prolibus indivisis ratas suas; verum, si quæ occasione criminis jam divisæ fuerunt, non succedunt: inter collaterales autem patris, et has proles, tempore criminis divisas mutua erit successio, non item inter collaterales et perduellem, aut proles ejus tempore convictionis indivisas; hæc omnia deducuntur ex 16. 20. 49. 56: 1-mæ. 7. 9: 1716. 56: 1791. Bona per gratiam recuperata ejusdem naturæ et indolis erunt quoad æqualitatem vel inæqualitatem juris, ac fuerunt ante amissionem, nisi expresse in grationali privilegio, quo de novo collata sunt, mutentur.

CAPUT XVII.

De Præscriptione.

§. 473. Alter modus acquirendi mere civilis est Præscriptio. §. 474. Pignus ab illa excipitur. §. 475. Decisio 3. p. 32. probæ juris simul et Pignori præscriptionem obvertens, excutitur. §. 476. Literis pignoratitiis, quo sensu, et quare præscribitur? §. 477. Fassio sub privatis sigillis qualiter est inpræscriptibilis §. 478. Quæ res eximuntur adhuc a præscriptione? §. 479. Quæ personæ et quæ tempora? §. 480. Possessio naturalis, civilis, mixta. §. 481. Qualis requiritur ad præscriptionem? §. 482. Hinc incapacitas præscriptionis aliquarum rerum et personarum. §. 483. Quasi possessio, et servitus. §. 484. Possessionem pacificam interrumpendi modi. §. 485. Tempus ad præscriptionem requisitum, inter easdem etiam personas varium est. §. 486. Per possessorem solet allegari. §. 487. Diversorum possessorio non semper impletur præscriptio. §. 488. Titulus possessorii mutatus jam nocet, jam prodest præscriptioni. §. 489. Fiscus privatis non tantum quoad jus ad rem, verum etiam quoad jus in re nonnunquam præscribit, nec præscriptio inter privatos impleta, ipsi ex defectu vel nota agenti nocet vel prodest. §. 490. Præscriptio bonam fidem, vel justum titulum apud nos non desiderat. §. 491. Qualiter liti et juri simul, vel neutri, vel juri tantum, aut liti præscribatur.

§. 473.

Modus acquirendi civilis alter fit Præscriptione, seu continuatione possessionis per tempus lege definitum.

§. 474. Lex nostra quæ prescriptionem seu usu capionem introduxit, excepit aliquas res ab illa, v. gr. 1) Pignus, 82: 1-mæ, post quamlibet multos annos relui potest, quia pignoratarius non nomine suo, verum nomine oppignorantis possidet.

§. 475. Actori, licet juris probam præstanti, in elisionem vero obversæ præscriptionis, pignus tertio olim celebratum producenti, eo quod devolutionem bonorum ad manus Incatti titulo pignoris ejusdem factam, legibus inauditam non probaverit, præscriptionem valide obverti decidit Curia D. 5: p. 52. Mihi videtur, Incatto præsumtione juris per A. gravato sensu D. 53: 74. 18: 114. 19: 202. incubuisse tituli possessorii ab actoreo pignore distincti, vel ejus non impleti aut jam resoluti probam, quam si ille præstiterit, vel saltem vestigia ejus rei adducendo præsumtionem pro pignore actoreo militantem everterit, tunc demum potuisset A. proba Incatti gravatus stringi, ut pignoris sui devolutionem ad I. factam doceat. Decidit vero Curia ex illo principio, quasi 82: 1-mæ devolutionem pignoris titulo ad manus possessoris Incatti factam, probari vellet, ubi tamen primus recipiens intelligitur, adeoque usuroborationis tantum pignoratitiarum antiquarum proba desideratur, (quod oppignoratio in effectum iverit, nec in charta manserit) quam ipsam tamen licet in reluitorio processu necessariam, juris proba superfluam facere videtur.

§. 476. Literis antiquis pignoratariis 1-mæ: 82. præscribitur, idest, si quis bona in pignus debuisset accipere, et non accepit, nec implementalem processum movit intra 32 annos, liti præscriptum est, si accepit, verum modo non est in possessorio, præsumitur pignus relutum esse per proprietarium possessorem, nisi Actor probet suos antenatos, vel ipsum violenter de bonis ejectum esse, quia sæpe, cum reluit bona proprietarius, solvit quidem summam pignoratario, literæ pignoratitiæ tamen manent apud eundem, qui, remisso bono, tantum quietantia data recognoscit se a proprietario exsolutum, illa sæpe potest deperdi; ne itaque penes illas antiquas literas pecunia bis desumatur, vel, bona jam redemta, iterum, idque gratis, pignoratario priori dentur, et ab eo secunda vice redimi debeant, propterea inventa est contra illas literas præscriptio, per oppignorantem pignoratario obvertenda. — Quum alioquin, tam implementali, ut dictum, quam violentiali liti, prout etiam repositioni et pecuniariæ prætensioni (si v. gr. nefors numerata est per emtorem pecunia, et non est pignus impletum, vel remissum est, et non est solutum) præscribatur 32 annis; et hoc significat literis pignoratitiis præscribi.

§. 477. Pignus sapit etiam fassio sub privatis sigillis celebrata, adeoque non obstante præscriptione possunt bona per successores fatentis relui, D. 1. p. 31. 10. p. 33. vel vero, si ex præjudicio erecta est Actio invalidatoria, edocta aviticitate, D. 24. p. 89. non obstante fassionis rationabilitate vindicari. Verum defectum authentici sigilli, non nisi successores fatentis poterunt controvertere,

et tantum contra illos non potest talis fassionarius præscribere. Fisco aut alteri extraneo, sensu D. 26: 72. (cum 47: 1725. de solo sangvine agat) posset fassionarius talis, ut etiam pignoratarius præscriptionem obvertere, nisi contrarium experiremur.

§. 478. Non est præscriptio inter fratres, et (si bona sint utriusque sexus) inter sorores, ratione indivisorum bonorum 1-mæ 78. §. 5. Imo, etiam fratres jam divisi vel sorores divisæ, si quid ex portione quæ alteri divisione obtigit, perennaliter emant, D. 17: p. 54. aut aliter ad se post divisionem pertrahant, non ratione proprietatis, verum tantum ratione usus fructus præscribunt, et bona talia, ex defectu, cum reliquis bonis ad illum debebunt redire, qui bona illa præscriptione amisit 1-mæ: 46. §. 6. Nec fratri, bona indivisa in pignore existentia cum fratre cambianti, acceptumque bonum ex infirmitate juris perdenti, et datum repetenti potest obverti præscriptio, D. 7: 35. In aliis v. gr. debitis, actibus potentiariis, præscribunt sibi invicem fratres, quia quoad talia sunt extranei. 3) Excipitur a præscriptione dos legalis, item jus viduale, et capillare, quartalitium, quæ per bonorum possessores semper debent præstari 78: 1-mæ, eo quod loco divisionis sint. 4) Excipiuntur metæ, particulæ avulsæ semper debent reapplicari 85: 1-mæ. 5) Actus meri arbitrii ex civili vel naturali libertate fluentes. 6) Proportio usus communium beneficiorum.

§. 479. Excepit lex etiam aliquas personas et quædam tempora a præscriptione, ita, ut contra illas, vel illis temporibus, vel non inchoëtur, vel si jam antea inchoata est, dormiat, v. gr. 1) Qui

in captivitate hostili sunt 1-mæ: 56, 79. 2) Qui ex filiali amore patres, in captivitate existentes, eo sequuntur. 3) Minorennes usque 16 ætatis annum 729: 36. 57. ex praxi; lex enim citata unice de casu rectificationis et novæ divisionis sonat. — Tempora vero exemta sunt; belli Zápolyaiani anni 15, menses 6, 1542: 22. Anni 18, ab anno scilicet 1596, usque 1623. 1622: 58. Anni 7, belli Georgio Rákócziáni, 1649: 93. Anni 30, turbarum Tökölianarum, 1681: 29. Anni 8, belli Francisc. Rákócziáni, 1715: 70.

§. 480. Requisitum præscriptionis est: possessio per tempus lege definitum continuata. Possessio in genere, est detentio sub viribus physicis, estque vel naturalis, vel civilis, vel mixta. Possessio naturalis est detentio rei sub manibus et viribus physicis, non qua suæ, et non cum animo sibi habendi, id quod ex titulo deventionis ad manus possessoris metiendum erit, v. gr. precarium commodatum, pignus, arenda. Possessio civilis est, si quis animum et voluntatem rem sibi habendi habet, licet alter sub viribus suis physicis rem eandem detineat, v. gr. qui precario dat, vel commodat; mixta est, qua rem, et sub physicis viribus, et cum animo mihi habendi detineo, sic: qui bona sua in pignus vel arendam dedit, dominium tantum utile transtulit, directum vero sibi reservavit, ut adeo, neuter dominium plenum, vel possessionem mixtam, verum uterque dominium minus plenum, alter possessionem civilem, alter naturalem exerceat.

§. 481. Ad inchoandam præscriptionem possessio mixta requiritur, ad continuandam vero sola civilis sufficit, v. gr. fundum, quem occu-

pavi, vel emi perennaliter, possideo duobus annis, oppignoro, continuatur præscriptio, et post 30 annos per pignoratarium expletos, præscripsi, licet fuerit irrationabilis fassio. Naturalis vero sola nec ad inchoandam, nec ad continuandam præscrciptionem sufficit, quia fit alieno nomine.

§. 482. Hinc cum possessio requiratur ad præscriptionem, sequitur, res, quæ possideri non possunt, nec præscribi posse, v. gr. res universales, aërem etc. quod item, qui non suo nomine possidet, v. gr. tutor, curator, provisor, depositarius, commodatarius, pignoratarius, arendator non possit præscribere; et denique qui incapaces sunt possidendi aliquam rem, eam non possint præscribere, v. gr. religiosi, ignobilis bona nobilitaria, seculares seu laici jus decimas exigendi, privatus, licet nobilis, bona coronalia, quia nomine suo possidere non possunt. Ast, prout Nobiles in bonis Ecclesiarum, ita Ecclesias in bonis Nobilium præscribere posse, decidit Curia 10. Sept. 1801. in causa Datso, contra Capitul. Strigoniense quamvis, ut alias diximus, Ecclesiæ incapaces sint possidendi bona nobilitaria, (secus ac nobiles ecclesiastica) quod ipsum tamen ead. Dec. usu contrario mutatum esse dicit. Usus ille an Ecclæsiæ fuerit vel Judiciorum, non attingit Decisio. Usum Ecclæsiæ, antiquis legibus, Ulad. 2: 55, 65. contrarium rejecerat, 16: 1715. Idem fere est præscriptionem Ecclæsiæ admisisse ac Fisco.

§. 485. Possessio dicitur in rebus corporeis, in rebus autem incorporeis seu juribus vocatur quasi possessio, consistit in unius exercitio et alterius patientia. Prout ei, qui in usu fuit, ut in gratiam ejus, alter, aliquid facere, vel non face-

re, aut in fundo suo pati debeat, jus acquiritur: ita usu immunitatis a faciendo, non faciendo, vel patiendo, jus alterius exstingvitur, et immunitas ab onere vel servitute acquiritur.

§. 484. Possessio debet esse continua, non interrupta, secus, non continuari, verum de novo debet inchoari. Interruptio est duplex, via facti si sit interruptio, vocatur naturalis, et rumpit præscriptionem, nisi per Judicem, eo quod post annum alterius et pacificum usum facta sit, pœnalis declaretur; si per actum judicialem sit, vocatur civilis, v. gr. per contradictionem, protestationem coram loco authentico cum specificatione nominis, D. 4, 5. p. 52. et rei factam, inhibitionem, admonitionem medio judicialis personæ peractam aut litis motionem, idest, citationem. In debitis etiam per admonitionem amicam 57: 1729. (contra successores tamen debitoris cum communicatione obligatorialium interponendam) tollitur præscriptio. Si Judex civitatis contradictionem protocollo inserere nolit, potest illa, vel quoad fundos civiles coram locis authenticis interponi. Contradictio unius, omnibus jus commune foventibus prodest, in causa Gányi 1810. Si possessor, ante expletos annos recognoscat jus proprietarii, tollitur præscriptio, v. gr. si illum Evictorem provocaret etc.

§. 485. Continuatio possessionis debet esse per tempus lege definitum, v. gr. contra jura Fisci privilegio conferri solita 100 annis, contra bona ecclesiastica 40, contra nobilitaria vero prout propter res mobiles absque exceptione omnes, et debita quorumcunque, adeoque et contra Fiscum (D. 50: p. 60.) Juri, in actibus autem potentia-

riis, aliisque pœnalibus, et delictis etiam criminalibus (in qua quidem materia recentior Dec. 1815. antiquiori obstat, et præscriptionem excludit) omnibus denique processibus acquisitoriis ex jure ad rem enatis, inter quoscunque, adeoque etiam contra Fiscum, litis motioni; prout etiam (in quacunque causa) novo, D. 8: 55. aut prosequendæ extra Dominium appellatæ, D. 5. p. 194. aut continuationi litis qualiscunque derelictæ, D. 2. p. 52. 52 annis præscribitur. — Quoad fundos civiles vero unus annus et dies, quoad hæreditates colonorum, inter quos scilicet libera emtio, et venditio viget, æque annus et dies requiritur, 78. 1-mæ, 14. 15: 5-tiæ. Immemoriale tempus, in dubio, 100 annis æquivalet. Prol. 10.

§. 486. Præscriptio ad revindicandum non valet, sed tantum ad defendendum, D. 14. p. 54. inventa est in favorem possessorum, (quamvis 78: 1-mæ reacquisitionis meminerit, in definitione præscriptionis) verum per illos probari, et fundo applicari debet, D. 15: 34.

§. 487. Plurium diverso jure venientium successivum possessorium non nocet proprietario, v. gr. occupat quis mea bona, possidet 16 annis, impetrat alter, possidet 16 annis, mihi non est præscriptum, fassionarius tamen præscriptionem per fatentem inchoatam videtur continuare posse, quia eodem jure venit.

§. 488. Si quis medio possessorii sui tempore titulum possessorii sui mutet, atque jus alterius agnoscat, v. gr. violenter occupavit, possidet 20 annis, tunc emit idem bonum a vero Domino, post 12 annos non poterit invalidatoriæ actioni præscriptionem obvertere. Ast reoccupanti proprie-

tario, via facti adimens et recipiens pignoratarius vel conductor, cessante jam titulo pignoris, aut arendæ, præscribere poterit.

§. 489. Fiscus privatis non præscribit, quoad jus in re, verum quoad jus ad rem litis motioni, et, qualecunque sit jus, litis continuationi præscribit ut privati; quo in casu via instantiæ habebit locum. Fisci jus cum defectu vel nota enascitur, ergo licet quis deficienti præscripserit, tamen Fiscus intra 100 annos potest illi auferre, D. 15, 16. p. 54. Si ultimus deficiens ex familia, quæ præscripsit, ab intestato moriatur, bona, (æque ita ac sine clausula nil juris, emta) redeunt ad illum, qui præscriptione amiserat. Fiscus nec suam, nec aliorum præscriptionem potest allegare, aut illa se defendere, quia illa in favorem privatorum inventa est. Nec haberet Fiscus bona talia conferendi titulum. Ergo quemadmodum nullum incommodum vult ex eo habere, quod privato deficienti vel notorio præscriptum sit, verum eo non obstante bona sibi vindicat: ita neque commodum debet habere ex præscriptione privatorum. Nec obstat, quod sic nullum discrimen esset inter fratres sibi invicem præscribentes, et extraneos; quia illud erit, quod frater non poterit disponere de bonis præscriptione acquisitis, verum velut avitorum naturam non exuentia, ad illum fratrem redibunt, qui præscriptione amisit, ab extraneo bona præscriptione acquisita vero, poterit ultimus deficiens testari, aut in vivis abalienare.

§. 490. Jure nostro, nec ad incipiendam præscriptionem, eo minus ad continuandam, requiritur bona fides, vel justus titulus, uti ex legibus

aperte prodit, v. gr. ex l-mæ: 24, 25. ubi dicitur jus regium, in bonis malæ fidei possessoris latere, et tamen vi 78: l-mæ præscribi. Sic in debitis, actibus potentiariis etc. Si bona fides ad præscriptionem requireretur, multis litibus et quæstionibus ansa præberetur, imo, sæpe impossibilis proba requireretur, quia vel Actor deberet probare Incattum scivisse, vel Incattus, se nescivisse, rem esse alienam. Ergo ita debuit lex civilis præscriptionem ordinare, ut ad illam bona fides non requiratur, quia ita occurritur litibus, ita erit utilis reipublicæ, jam vero tantum ob utilitatem reipublicæ potest respublica jure suo eminenti l-mæ 9. §. 4. insinuato uti; porro: etiam si bona fides requireretur, tamen fundamentum præscriptionis non illa esset, sed lex civilis, idest, non propterea præscriberet quis, quod bonam fidem habuit et possedit, verum quia lex vult, quia sola bona fides non sufficit ad præscriptionem absque lege civili, etiamsi longissimum possessorium adsit, alias lege naturali daretur præscriptio, (quod nec concipi potest, cum lege naturali nullus superior sit, qui annorum numerum determinet, quorum determinatus numerus ad præscriptionem essentialiter requiritur) lex nostra vero cum admisit, ut mala fide præscribatur, non favet per id malæ fidei hominibus, imo illos ante completum terminum præscriptionis punit.

§. 491. Processus relate ad præscriptionem sunt: 1) In quibus nec liti, seu actioni, nec juri præscribitur, v. gr. pignoris, metalis, divisionalis, præscriptionalis etc. 2) In quibus juri (nisi sustentetur) præscribitur, verum liti non, v. gr. processus reacquisitorii, seu juris in re, ut sunt, processus ju-

ris, D. 2: 52. et alii, in quibus jus sustentari po-

ris, D. 2: 52. et alii, in quibus jus sustentari po-

test, etiam absque mota lite, tales sunt, debiti, invalidatorii ex præjudicio etc. 3) In quibus et liti et juri præscribitur, v. gr. acquisitorii, seu juris ad rem, ut sunt: ex non facta præmonitione, ad dandam rationem contradictionis, D. 9: 55. ex puritate statutionis, implementales, oppositionales, repulsionales, et alii pœnales, qui scilicet intra 52 annos debent moveri. Dantur etiam 4) in quibus liti tantum, seu instituto præscribitur, v. gr. ad recipiendam rationem contradictionis etc. Liti itaque præscribere non solam litem 52 annis derelictam indigitat, ut D. 2. p. 32. innuit. 5) In quibus jam liti, jam juri, jam neutri præscribitur, v. gr. ad renovationem sententiæ pro natura processus primævi, ut mihi videtur.

CAPUT XVIII.

De obligationibus in universum.

§. 492. Jus in re, et jus ad rem in genere. §. 493. Jus in re dum quæritur, non requiritur proba tituli, quo res, quam repetimus, nostra facta erat aliquando. §. 494. Jus ad rem requirit tituli probam, quo res nunc primum nobis debetur, obligationem scilicet alterius ex contractu vel delicto. §. 495. Actio publica propter delicta. §. 496. Actio et obligatio privata ex delictis est vel realis, vel personalis, §. 497. Vel mixta.— §. 498. Jus, ex jure in re et ad rem, mixtum.

§. 492.

Tam jus in re, quod rei nullo respectu ad personam habito, inhæret, quam jus ad rem, quod

in personam determinatam et obligatam competit, subjective est personale, objective vero, ex priori actio realis, ex posteriori jam realis, jam personalis exsurgit. Illa ex jure in re nata, semper transit ad successores, hæc non semper, nisi liti contestatæ sit inclusa. Illa contradictionibus, protestationibus etc. contra præscriptionem sustentatur, non item hæc, quæ litis ante 32 annos motionem requirit.

§. 493. Vi juris in re, revindicamus rem aliquam vel prorsus absque proba tituli, quo aliquando nostra facta erat, (v. gr. invalidatorius fassionis ex præjudicio, reluitorius etc.) vel saltem absque proba validitatis tituli, (v. gr. juris processus) in regula tamen cum proba tituli deventionis ad manus alienas (nisi scilicet juris proba gravetur adversa pars) prout enim, si prodeat rem aliquando nostram fuisse, usque eo præsumtio militat pro validitate tituli, quo nostra facta erat, donec ab adverso contrarium probetur: ita in dubio, pro possessore stat præsumtio, quod vel semper possederit, quod possidet actu, vel si contrarium certum sit, tali titulo ingressus sit possessorium, qui everti non possit; hinc nemo tenetur titulum possessorii sui pandere, nisi proba alterius sufficienter gravetur, D. 33: 74. exceptis paucis casibus, in quibus beneficium legis pro A. militat, ut v. gr. de Domino corporis circa jura regalia dictum etc.

§. 494. Vi juris ad rem, nunc primum intendimus rem aliquam acquirere, probam itaque tituli, ex quo enatum est, requirit: enascitur autem ex translatione vel obligatione alterius, obligatio vero, vel ex facto licito, v. gr. ex contractu,

vel ex facto illicito (sive dolo, sive culpa patrato) idest, ex delicto, vel quasi delicto.

§. 495. Delictum vel est publicum, quo publica securitas turbatur; vel privatum quo privatus læditur, vel mixtum, quo et publicum et privatus læditur. Est adhuc vel civile, vel criminale. Per decursum operis vidimus jam plures species delicti publici civilis, ob quæ publicum assumit actoratum, vel medio Fisci Regii, vel Magistratualis in materiis tamen mere civilibus, v. gr. contra privilegio abutentes, contra illegale interusurium exigentes, contra limitationem Comitatus excedentes, commercium in fluviis impedientes, (ad pœnam 100 aureorum) præemtores rerum venalium 16, 17: 1751. etc. Delicti publici criminalis exemplum est perduellio, nota, blasphemia etc. Delictum privatum criminale est simul etiam publicum, adeoque semper mixtum.

§. 496. Vel læditur quis in persona, vel in rebus aut juribus suis, hinc est vel personale vel reale delictum. Verbis, vel illorum vicem subeuntibus scriptis, aut nutu vel gestu, verbale, alio facto, reale delictum committitur. Omni juri correlata est obligatio, quæ æque est vel realis, quæ ad successores transit, quia successio vadit cum onere, atqui illa obligatio rei inhæret; vel personalis, quæ cum persona exstingvitur, nisi successores facto patris, vel illius cui successerunt etiam post admonitionem judiciariam inhæreant, D. 2: 183. aut tempore mortis jam liti contestatæ fuerit inclusa.

§. 497. Actio et obligatio potest esse, ex jure in re, et jure ad rem, mixta, quæ partim ad suc-

cessores transit, partim cum persona exstingvitur, v. gr. ad pœnam violentiæ contra successores facto patris non inhærentes non possum procedere, verum possum ad repositionem, et damni refusionem, absque prævia admonitione, post admonitionem vero, et non subsecutam restitutionem etiam ad pœnam violentiæ. De qua re alias. Actio juris ad rem ex obligatione illicita in cessionarium non potest transferri,

§. 498. Datur etiam alia species mixti juris, v. gr. impetrator vel cessionarius, relate ad conferentem vel cedentem proprietarium, habet jus ad rem, relate ad possessorem vero jus in re; jure repræsentationis itaque intra 52 annos debet uti, secus reviviscit jus conferendi, vel respective reluendi. Nunc primo agemus de Obligationibus ex contractu.

CAPUT XIX.

De Contractibus in genere.

§. 499. Contrahere qui, et de quali re possunt? §. 500. Consensus multiplex. §. 501. Contractus unilaterales, bilaterales, nominati, innominati, reales, consensuales. §. 502. Habent aliquid accidentale, naturale, essentiale. §. 503. Officit illis: vis et metus, §. 504. Dolus, §. 505. Error. §. 506. An etiam læsio ultra dimidium? §. 507. Damnum dolo, aut culpa, lata, levi, vel levissima datum. §. 508. Interpretatio contractuum. §. 509. Processus implementi. §. 510. Invalidationis, §. 511. Vel

sepositionis. §. 512. Vincularis. §. 513. De Institutis vinculari, implementali et debiti observationes quædam. §. 514. Damni et evictionis processus.

§. 499.

Contractus est consensus duarum vel plurium personarum, quæ nec impediuntur consentire, v. gr. stulti, furiosi, infantes, nec prohibentur, ut minores illegitimæ ætatis simpliciter, legitimæ ætatis vero, in regula, 111: 1-mæ, et 21: 1802. Debet esse de re physice et moraliter possibili, idest, quæ nec viribus physicis, nec legibus repugnat.

§. 500. Consensus (seu libera declaratio voluntatis) est vel absolutus vel conditionatus. Conditio impossibilis negativa obligationem non tollit, v. gr. dabo si non volaveris vel non occideris; ast affirmativa seu positiva, habet vim negandi, v. gr. dabo si volaveris vel occideris. Secus est in testamentis, matrimonialibus, contractibus, et donatione regia, quibus conditio vel clausula illegalis non officit. Est adhuc consensus, vel verus, qui expresse aut tacite declaratur, vel præsumtus, ex his principiis: nemo præsumitur locupletari velle cum damno alterius, quisque præsumitur velle, quod sibi utile, vel necessarium est. Qui vult antecedens, debet velle etiam consequens. Qui vult finem, debet velle media necessaria, et vice versa. Consensus verus sive expressus, sive tacitus, parit contractum verum. Ex præsumto consensu oritur quasi contractus, et obligat sicuti contractus verus.

§. 501. Contractu unilaterali, seu gra-

tuito tantum una pars, bilaterali seu oneroso, utraque pars ad aliquid præstandum obligatur, secundum hæc: do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, prout quis rem pro re, rem pro opera, operam pro re, operam pro opera promittit; ille stricti juris est, hic bonæ fidei, idest, in illo Judex a conventione non recedit, hic æquitati et prudenti ejus arbitrio locus est. Contractuum valde multæ possunt esse species, quædam cum frequentius occurrant, habent certa nomina, et vocantur contractus nominati, alii innominati, hi omnes sunt reales, idest, ante traditionem rei non ineuntur, prout etiam aliqui ex nominatis, v. gr. mutui, commodati, depositi. Consensuales solo consensu perficiuntur, dantque Actionem implementi, v. gr. emtio, cambium, locatio.

§. 502. Contractui aliud est essentiale, aliud naturale, aliud accidentale. Sic: essentiale est in emtione et venditione pecunia: in fassione perennali sigillum authenticum. Naturale contractui ex natura inest, et subintelligitur, verum expressa conventione potest tolli, v. gr. evictio in contractibus onerosis; sic naturale est in emtione instantanea solutio, et traditio, nisi aliud placeat. Accidentale contractui nec ex essentia, nec ex natura inest, verum expressa conventione potest adjici, v. gr. quod determinata specie solvat emtor, vel mercipotum det, pactum de retro vendendo, cautio, fidejussio, hypotheca, vinculum.

Scriptura fit facilioris probæ causa, nec est essentiale contractui, præter fassionem perenna-

lem, (quæ saltem in loco authentico scribi debet) et compromissum.

§. 503. Consensui officit: Primo vis et metus. a) Vis et metus levis contractum non vitiat, quia potuisset superari. b) Gravis si sit ab intrinseco, idest, ex animo ipsius contrahentis et ab imaginatione illius, aut ab extrinseco quidem, verum a causa non libera, v. gr. metu periculi hostilis, incendii, exundationis, animalis feri etc. non vitiat contractum. c) Si vis ab extrinseco, et a causa libera, a homine proficiscatur, et juste incussus est metus, idest, a tali, qui habuit jus metum incutiendi, debet servari contractus. d) Si injuste incussus est, et quidem a tertio, debet servari, verum datur regressus contra tertium. e) Si ab eodem est metus injuste incussus, quocum contraxi, et vis metusque fuerint irresistibiles, ipso jure nullus et seponibilis; si non fuerint vis et metus ita comparati, ut me perplexum reddere potuerint, id quod ab ætate, sexu et aliis adjunctis metiendum, foro Tabulari invalidabilis est contractus.

§. 504. Secundo. Officit consensui dolus, seu circumventio data opera adhibita: a) Dolus, si substantiam rei attingat, vel accidens quidem, v. gr. qualitatem, verum talem, a qua vel contractus expresse suspendit consensum, vel usus suspendere solet, vel lex, facit contractum ipso jure nullum et seponibilem, quia deest consensus. b) Dolus, qui dat causam contractui, idest, qui nisi adhibitus fuisset, non fuisset contractus celebratus, facit contractum ipso jure nullum, quia est substantialis. c) Dolus vero incidens, idest, si fuisset contractus celebratus, etiam absque dolo per unam partem adhibito, verum ali-

ter, non facit contractum ipso jure nullum, verum pro prudenti Judicis arbitrio sæpe invalidabilem, si læsio gravis subversetur. d) Dolus accidentalis, si læsio sit major, facit invalidabilem, sed sæpe nec invalidabilem, quia prætor minima non curat, ergo contractus stare, verum damnum, si quod est, refundi debet. Si dolus veniat a tertio, contra illum ad indemnitatem, contra contrahentem vero ad invalidationem agi potest. Ergo propter dolum, qui a tertio, non a contrahente venit, non est contractus seponibilis, verum invalidabilis.

§. 505. Tertio. Officit consensui error, qui absque dolo intervenit, ex mera cognitionis ab objecto discrepantia, qui si versetur a) circa speciem contractus, v. gr. unus contrahentium vult pignus celebrare, alter perennalem venditionem habet in animo, est contractus nullus, quia non est consensus. b) Circa substantiam objecti, æque facit contractum nullum. c) Circa accidens, v. gr. quantitatem objecti, si in potiori parte sit error, æque est contractus nullus, præcipue si aliter non possit error reparari. d) Licet circa qualitatem objecti versetur error, æque est nullus contractus, si a qualitate illa expresse suspensus fuit consensus, vel usus, aut lex, vel natura rei suspendere solet, secus est tantum invalidabilis, (cum sit accidentalis error) sæpe nec invalidabilis, prout damnum majus vel minus est. Error itaque erranti nocebit, nisi in damno vitando, alter in lucro captando versetur.

§. 506. De contractibus ob læsionem ultra dimidium rescindendis, leges nostræ tacent. Potuit etiam pretium affectionis accedere, licet postea

negetur, v. gr. emit quis 10 millibus quod non valet 5. In genere observandum, contra quoscunque nocivos contractus opportune interponendam esse contradictionem et revocationem; nam taciturnitate et usu reali adhuc magis consensisse, et factum confirmasse videbitur, 62, 72: 1-mæ. Licet emtioni spei non suffragetur fortuna, tamen contractui, velut aleatorio, standum est, prout etiam emtioni per aversionem, seu collective factæ, v. gr. si quis jactum retis, futuram messem vel vindemiam, aut cumulum frumenti absque mensuratione emerit.

§. 507. Ceterum de damno ex contractibus enato observandum: damnum dolo, idest, studio nocendi illatum nocet doloso. Damnum casuale nemo tenetur præstare, sensu 16: 1622. D. 2: 182. sed qui in se assumserit, item, qui in re illicita vel mora versatur, tenetur. Culpa est defectus diligentiæ. Culpa lata est defectus diligentiæ minimæ. Levis est omissio diligentiæ mediocris. Levissima est omissio diligentiæ maximæ. Qui solus sensit commodum ex contractu, omnem culpam præstare tenetur, v. gr. commodatarius, nisi quis illi rem suam utendam obtrusit, sic levissimam non tenetur. Commodans vero dolum et latam culpam. Qui solus sentit incommodum, latam præstare tenetur, v. gr. depositarius, aliam non, nisi se sponte obtruserit. Si uterque sentiant et commodum, et incommodum, v. gr. in locato, invicem culpam latam et levem præstant. Dolosus non tantum damnum, verum etiam lucrum cessans refundit, ast ob culpam latam et levem in regula tantum damnum præstatur, nisi quid, salva re, certo poterat percipi. Levissimam cul-

pam, præter casum superius attactum is tantum refundit, in quo singularis peritia ejus rei quam tractat, et attentio requiritur.

§. 508. Circa interpretationem contractuum obscurorum regulæ interprætationis logicæ observari debent, præter illas notandæ sunt sequentes: in obscuris et ambiguis vero similius, atque id quod frequentius fieri solet, est sequendum, aut, quod consvetudo svadet. In dubio benignior interpretatio est sequenda, D. 15: 127. Obscuri contractus contra illum interpretandi, qui ansam dedit obscuritati. In venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum, dolus illius præponderat culpæ emtoris, idest, sufficientem attentionem non adhibentis.

§. 509. Processus ex contractibus in genere: 1) Ad implementum, movetur per illum cui aliquid obligatum est, etiamsi ipse nihil promiserit, aut qui id, quod ex contractu debeat, præstitit, vel judicialiter offert coram Tab. Distr. nisi contractu alter Judex positus est. Qui ipse est in culpa quod non sit impletus contractus, non potest agere, D. 6: 151. nec actore privatam acquisitionem persequente liti immortuo possunt fratres litem continuare 1805. in causa Noszlap. Actio fundatur in Matth. 6: 17. Ulad. 1: 58. 51: 1725. Probari debet titulus acquisitionis, idest, realitas contractus, convincitur I. in implemento, si id impossibile sit, eo quod res obligata in natura non exstet, in æquivalenti et damno: fructus et expensæ non currunt, Dec. 5: p. 151. aliter Tab. Regia Pl. 225. Eadem lite, posterior cum tertio de eadem re initus contractus seponitur, D. 9: 125. quamvis Tab. R. si fuerit usuroboratus,

invalidationem necessariam esse putaverit, D. 16. p. 15. Contractus et implementi objectum esse potest etiam id, quod quis in re sua, in gratiam alterius non facere, vel pati debet, quod Romani servitutes appellabant, sive fuerint urbanæ, v. gr. luminis, prospectus, tigni immittendi, stillicidii, aquæ recipiendæ, sive rusticæ, v. gr. transitus hominum vel pecorum, aut curruum, aquæ haustus vel defluxus, aquatio, arenæ effossio, aggeris positio, vid. supra de præscriptione.

§. 510. 2) Ad invalidationem coram Tab. Reg. ex dolo, vi, metu et errore. Fundatur in Matth. 5: 26. 1536: 59. 1552: 17. 1687: 15. 1715: 53. Ex defectu ætatis per legem requisitæ vero in 111: 1-mæ. 21: 1802. Si bona avita immobilia sint contractui dolo, errore vel vi procurato et usuroborato per antenatos involuta, præstat ex præjudicio agere, propter alia vero bona, si contractus usuroboratus nec reclamatione mature vulneratus est, nullam videntur successores actionem habere (nisi fors nullitas ex defectu ætatis plane manifesta sit) quia nequidem propter avita immobilia dedit Cur. Dec. 14: 18. 32: 90. successoribus, ad invalidationem contractus paterni, in ætate legitima initi, et revocati, eam ob causam (verum tantum ex aviticitate) agendi, vel litem continuandi facultatem, (eo, quod personalia cum persona exstingvantur) ergo eo minus dedisset propter acquisita et mobilia; longe minus itaque ex vi, metu, dolo, errore, quæ mere relativa, a personali qualitate pendentia, adeoque difficillimæ probationis sunt.

§. 511. Etiam propter qualemcunque rationem nullitatem contractus importantem, ad an-

tevertendam præcipue alterius Actionem, præstat foro tabulari agere, nisi foro successionali, via restitutionis in integrum, sepositio jam impleti contractus commode peti, vel motæ implementali aut debiti actioni, exceptio nullitatis obverti possit. Casus nullitatis contractus sunt (præter dictos): 1) Contractus in ætate illegitima 111: 1-mæ, 126: 1mæ, imo, in regula, etiam in legitima. 2) Contractus et alienatio tutoris, si non fuerit utilis, actione pupilli jam legitimæ ætatis seponi potest, ex 68: 1715. 32: 659. 24: 1655. 3) Alienatio portionis fratrum indivisorum 47: 1723. aut secus alienorum, v. gr. si conjux res conjugis alienet, in hoc casu res vero domino restituta est absque pœna et expensis, verum cum fructibus, D. 7: p. 172. vidimus etiam restitutam via politica gratis. 4) Si testamentum vel contractus lingva contrahenti ignota concinnatus, eidem vernacula non sit explicatus 13: 1687. quod quidem Actori incumbit probare, D. 3: 103. 5) Si vidua, ultra dotem, bona titulo jurium vidualium tenta oppignoraverit etc.

Civilia, oppidana item fora, prout et Sedes dominales, sunt etiam invalidationis Judices, non tantum implementi et sepositionis, secus ac fora nobilitaria inferiora; coram his enim, Actioni implementi vel debiti, nullitas tantum, non vero invalidabilitas obverti potest, hæc itaque, coram Tab. R. urgebitur, intereaque causa foro pedaneo mota Mandato suspendi curabitur.

§. 512. 3) Ad desumtionem vinculi, de quo processu jam alias diximus. Nunc in genere observandum: vinculo juris viam non præcludi, ubi lex illam admittit, v. gr. invalidatoriæ D. 8: 86.

vel sepositoriæ Actioni, sive per contrahentem, ob vim, dolum, defectum ætatis, D. 3: 187. sive per successores ob præjudicium vel illegales conditiones movendæ, D. 2: p. 105. aut rectificationi, vel novæ divisioni, 54: 1655. D. 28: p. 142. 4: p. 119. vel recursui ad Regem, D. 1: p. 186. non potest obsistere. Nec liberat depositio vinculi ab implemento, nisi expresse ita conventum sit; exspirat vero, si subseque eadem obligatio, sine mentione vinculi, in alium contractum redigatur, D. 5. p. 151.

§. 513. Vinculum absque implemento, aut pecuniam licet ex alio præter mutuum contractu resultantem, præstat foro debiti quærere (nam sic expensæ current, D. 4: 187.) quam implementi, quamvis et hoc stare deberet, D. 17: p. 102. quia et debitum et implementum ad idem tendunt, et in iisdem legibus fundantur; etiam res aliæ mobiles mutuo datæ, donatæ, fundatæ, Judice et instituto debiti quæruntur (prout pecuniæ per emtorem solvendæ) ex alio contractu debitæ autem res omnes implementali, mobiles legatæ, successionali; immobiles, vel eodem, vel implementali.

§. 514. 4) Processus damni, coram Judice debiti, cujus naturam imitatur. De hoc alias.

5) Evictionalis. Fundamento 74: 1-mæ in litem, qua unus contrahentium conventus est, alter pro evictione præstanda citatur. In omnibus his processibus et liti et juri præscribitur, exceptis casibus nullitatis contractus, præter quartum.

CAPUT. XX.

De Cambio.

§. 515. Fundamentum cambii. §. 516. Cambium sequi naturam cambiati exemplo singulari illustratur. §. 517. Est purum vel mixtum, perennale vel temporaneum. §. 518. Consensus cambio, sine clausula: nil juris inito superinductus, non eo valet, ut uno deficiente, superstes, id quod dedit recipiens, retineat id quod accepit. §. 519. Id uberius probatur. §. 520. Cambium cum clausula nil juris, et consensu destitutum. §. 521. Posito firmo jure cambiantium. §. 522. Cambium sincerum vel fraudulentum. §. 523. Processus ex cambio.

§. 515.

Hactenus de contractibus in genere, jam in specie.

Cambium in sensu Juris nostri est contractus, quo fundus immobilis fundo immobili permutatur. Fundamentum ejus est commodior possessio cambiantium (et non successorum) hinc, valide possunt cambiari etiam avita quamvis notabiliter, non tamen enormiter, majora et fructuosiora bona, præcipue incerta, involuta, pro minoribus et certis, si commoditas svadeat, D. 4: 104. Nec requiritur fratrum præmonitio, licet quis pecuniam superadditam accipiat, D. 12: p. 95. et licet bona indivisa sint, D. 1: : p. 104. quia non est alienatio. Si tamen fratres similia bona possunt et volunt dare illis, quæ daret extraneus, habent prælationem, si admonuerint cambiare volentem, D. 5: p. 104. Sed in eodem gradu stans

frater præ alio fratre non habet, D. 5: p. 105. Ob eandam rationem, quod scilicet non sit alienatio, putatur valide posse etiam perennale cambium (si quidem vere cambium sit, nec in venditionem degeneret) sub privatis sigillis celebrari.

§. 516. Cambium redolet naturam cambiati, idest, acceptum bonum naturam dati habebit, quia illius surrogatum est, D 20: p. 122. Cambium sapit etiam, si unus frater, possessionem paternam solum sexum masculinum concernentem, alter vero possessionem maternam, uterque totam capiat, apud proles enim eorum, media pars utriusque possessionis, sexum masculinum, alia medietas utrumque concernet, ita enim considerabuntur fratres, ac si utrumque pagum legaliter divisissent, et postea cambiassent.

§. 517. Si utraque pars mera bona det, vocatur cambium purum, si alteruter pecuniam superaddat, mixtum. Si bonis solum sexum masculinum concernentibus superaddatur pecunia avita, ex illa debent feminæ exsolvi. Si vero pecunia cambiantis acquisita fuit, ab intestato in illa non succedent puellæ. Cambium aliud est adhuc perennale, aliud temporale, quod imitatur naturam pignoris.

§. 518. Cum autem, ut cambiata bona perfecta æqualia sint, impossibile sit, quidquod fieri potuerit, ut jam tempore initi cambii, alterum altero longe præstantius fuerit, aut postea factum sit; et ratio commoditatis etiam mutari potuerit: hinc, si ex cambio perennali exmissa est clausula nil juris, eo, qui plus accepit deficiente, ad alterum potest et debet id quod accepit devolvi, si is voluerit, qui tamen, id quod accepit,

prout emtori vel legatario cedere deberet, ita Fisco deficientis successori debebit cedere, etiam si consensus accesserit; quia (præterquam quod privilegia sint strictioris interpretationis) præjudicio suo, ex cambiatione donationalium enascibili renunciavit Fiscus per consensum; in gratiam itaque deficientis adjectus erat, ejus scilicet, qui plus acceperat, in casum illum, si alter, qui minus accepit, prior deficeret, atqui casus ille non est enatus; consequenter, consensus pro non adjecto habetur, eodem plane modo, ac si non fatens, verum fassionarius prius deficeret; ergo, virtute ejus, id quod accepit, retinere non potest, licet suum, idest, quod dedit, repetere possit, quia jus reservavit. Ut ergo et consensus, et exmissio clausulæ efficax sit, repugnat. Si vero is deficiat prior, qui minus accepit, contentus esse debebit Fiscus bonis apud ipsum repertis, quia in hunc casum dedit consensum contra se; nec repetet superstes, si sapit, bona minora per se data; quia deberet id, quod accepit, restituere, prout in casu venditionis pecunia emtori vel legatario, aut Fisco restitui debet, redit enim res ad statum antefassionalem, et pecunia ita debebit considerari, ac si in rebus deficientis mansisset.

§. 519. Si itaque fatens, fassionarii in bonis legalis successor, a Fisco, ejusdem in pecuniis successore, aut ab illo, cui fassionarius vel antenati ejus, usque defectum familiæ suæ bona vendere vel legare poterant, vi clausulæ exmissæ (tacitum, ut alias dictum, de retrovendendo et redimendo pactum redolentis) bona recepturus, tam parum potest illa gratis recipere, quam Fiscus alienata deficientis vel notorii donatarii bona, aut oppignorans

pignus; si porro in his casibus, res ad statum antevenditionalem redeat, nec quidquam intersit, sive retrovenditio vel recambium inter vivos fiat, sive recipiendi facultas in casum defectus fassionarii vel concambiantis stipulata sit: cur superstite cambiante, bona, quæ dederat, suo jure reposcente, adeoque cambio, illique superinducto consensu evanescente, res ad statum antecambialem reponi, adeoque is, bona accepta dimittere et recambiare non debeat? non video; alias sequeretur, quod, prout Fiscus, cambio vel evanescente, vel casu illo, in cujus eventum consensum dedit, non enato, jure suo fraudaretur: ita, si deficiens accepta in cambium bona, usque defectum suum (prout potuit) alienaverit, vel bonæ fidei emtor, bona per deficientem in cambium data, velut, (eo quod cambium naturam cambiati sequatur) pecuniam suam repræsentantia, sibi postulandi jure fraudatus, et bona et pecuniam perdere; vel vero exmissio clausulæ virtutem legalem amittere debeat, adeoque superstes, bona per ipsum data repetere plane non possit.

§. 520. Si vero clausula: nil juris, inserta, et consensus datus est, prout Fiscus bonis apud deficientem repertis, ita superstes acceptis contentus esse debet, 1-mæ: 69. Si cambiata bona donationalia fuerint, et consensus non adsit, ex defectu vel nota repetet Fiscus data bona; si acceptis potiora sint.

§. 521. Si in bonis cambiatis latens jus R. consensui adjiciatur, aut aliter impetretur, utrique deficienti Fiscus succedit; si vero cambiantium alteruter, qui donationalia firmi juris dederat, bonis acceptis sed infirmi juris, donatio-

nem inducat, nec id recipiet alter ipsi superstes quod dedit (etiam si clausulam exmiserit). — Actione vero Fisci, id quod accepit, æque amittet, prout Actione deficientis amittere poterat, qui si viveret, et data bona repeteret, et accepta retineret.

§. 522. Si alteruter cambiantium, tantum pecuniam D. 2. p. 104. vel etiam bona quidem, verum in potiori pecuniam accepit, adeoque, sub specie cambii venditio latet, tale fraudulentum cambium super bonis avitis initum potest invalidari, nisi successores illud facto suo rati habuerint, idest, pecuniam vel bona accepta absque reclamatione juridica in utilitatem suam converterint, illis usi sint. Collaterales vero, existentibus directis cambiantis successoribus, fraudulento cambio contradicere, et jura sustentare debent.

§. 525. Processus ex materia cambii: 1) Ad implementum. 2) Ad invalidationem ex dolo et fraude vel errore, v. gr. si onus inhærebat bonis, vel infirmi juris erant, de quo cambianti constare non poterat, potest movere contra factum suum. 3) Ad invalidationem cambii, contra factum antenati movent successores, v. gr. sensu Dec. 7. p. 100. in defectu descendentium etiam collaterales. Fundatur actio in 71: 1-mæ Actoratus est bonorum aviticitas. Meritum est edoctio simulati cambii, quod venditio lateat sub cambio, vel pro hæreditariis mera pignoratitia vel infirma accepta sint, aut ratio commoditatis non adfuerit; in his casibus recidit ad alienationem, quæ nisi fuerit necessaria, vel rationabilis, invalidabitur, secus stabit, si sub authentico sigillo fuerit celebratus contractus.

CAPUT XXI.

De Emtione et Venditione.

§. 524. Emtionis et venditionis natura. §. 525. Rei in specie emtæ dominium, adeoque et periculum ante traditionem transit ad emtorem.

§. 524.

Emtio et venditio, est contractus consensualis, quo res aliqua, pro determinata summa pecuniæ, in alium transfertur. Res debet esse, quæ est in commercio, et præstari potest physice et moraliter. Pretium justum est illud, super quo conventum est, (licet sit moraliter iniquum) nisi lusus, vel absurdum appareat, aut res donata ceuseri possit.

Emtio et venditio, præsumitur, in dubio, facta esse sub conditione instantaneæ solutionis et traditionis, alias est resultui locus, nisi emtor quidem implementali, venditor vero debiti processu agere, vel distincto contractu fidem de pretio habere malit.

§. 525. Si res in genere vendita (v. gr. una ovis ex grege, vel unum vas vini ex cella) ante traditionem pereat, nocet venditori, quia adhuc est dominus. Si in specie est vendita sub conditione aliqua, v. gr. ut prius in scriptum redigatur contractus, etc. deberet quidem stricto jure conditio impleri, si implementum ejus ab arbitrio partium contrahentium pendet, verum secundum consvetudinem, potest quælibet pars recedere, nisi quod emtor resiliens, ac si de pretio conventum non esset, arham perdat, (prout is perdit, qui data arha de pretio usitato convenire

non potest, vel non vult) venditor arham in duplo restituat, et si interea res pereat, donec conditio impleatur, vel in scriptum redigatur contractus, licet conditionem implere in facultate partium non esset, perit venditori, uti etiamsi res vendita numero, mensura, vel pondere constet, et ante numerationem etc. pereat, adhuc enim non fuit perfectus contractus. Si autem res in specie, idest determinata absque conditione vendita, vel ubi necesse fuit, numeratione etc. peracta, ante traditionem casu pereat, licet Curia Dec. 52. p. 159. traditionem, (quæ quidem pro qualitate rerum valde diversis modis fieri potest) ad transferendum rei dominium requiri supponat: tamen, nisi mora vel culpa venditori possit abscribi, jure naturali, quod lex nostra non mutavit, nocet emtori, prout lucrum illi accrescet, quia factus est dominus. Si vero res, ex vitio vel morbo præexistente, occulto, per emtorem, rei peritum, cognosci nequeunte laboret, eo magis vero, si quamvis post traditionem pereat, nocet venditori. Inperitus emtor, damnum ex vitio non occulto ferre tenetur, nisi expresse caverit, quod si sit, venditor vel rem suam pretio restituto redhibebit, vel damnum præstabit.

§. 526. Fassio perennalis, debet fieri coram locis vel personis authenticis. §. 527. Secus manet pignus, et inpræscriptibilis; argumenta in Curia pro et contra allata. §. 528. Ulteriores observationes de hac re. §. 529. Præmonitio eorum, quorum interest. §. 530. Fassio necessaria rationabilis, simplex. §. 531. Onerum assumtio hodie nihil operatur.

§. 526.

Emtio et venditio jurium possessionariorum titulo perennali solenniter facta, vocatur fassio perennalis. Requiritur, 1) Ut declaretur coram loco vel persona authentica, et inde expediatur sub sigillo majori, adeoque de bonis nobilitaribus coram Rege, Cancellaria aulica, vel exmisso Referendario, Judicibus Regni ordinariis, eorumque protonotariis, (non coram Juratis exmissis, D. 44. p. 92.) Capitulis, Conventibus, vel eorum exmissis, D. 47: p. 95. (quorum nomina, cum exmissionis et relationis sub juramento factæ mentione, testimonialibus super fassione extradandis inseri debent) de bonis civilibus coram Magistratu civico, de bonis oppidanis coram Senatu oppidano.

§. 527. Secus, licet stilus perennalitatem sapiat, erit pignus, adeoque, licet tantum ad externam formam requiratur sigillum authenticum, hoc formæ vitium non supplet lapsus temporis; cum tamen alias, non solum extrinsecum, sed etiam intrinsecum vitium præscriptione exstingvi et emendari soleat (sic: errores in statutione commissi lapsu temporis emendantur, emtor rei furto ablatæ, præscribit etc. sic licet fassio vel contractus quiscunque, ob quamcunque causam per legem pro nullo declaretur, tamen præscriptio firmus evadit) quamvis porro, ad id, ut inter fassionem sub privatis sigillis celebratam, atque sub authentico sigillo factam, aliqua distinctio adsit, (quæ, si fassioni sub privatis sigillis factæ præscriberetur, nulla futura dici posset) sufficere videatur id, quod fassio sub privatis sigillis celebrata, etiam si præscriptio in illa curreret, intra 32 annos, nullo respectu habito

ad rationabilitatem et necessitatem illius) velut formale Pignus tractari, et, bona simplici reluitorio processu, (secus quam solemniter vendita) reacquiri possint: cum tamen lex 2-dæ 13. 47: 1723. tales fassiones hypothecas declaret, in illis vero non currat præscriptio, neque in hac fassione, quamvis consensu regio et pura statutione munita, D. 10: p. 33. illam, contra successores vendentis currere decisum est; licet (prout Tab. R. Pl. 218. obvertebat) pignus formale non sit, nec sit intentio contrahentium, ut titulo reluibili transferantur bona (ut in pignore) nec detur Actio ipsi fatenti contra fassionarium, ut oppignoranti (si scilicet anni non sint obligati, vel jam effluxerunt) datur contra pignoratarium, quid quod nec vendentis successoribus si I. probet familiam vendentem titulo temporaneo possedisse, Dec. Cur. 12. pag. 113. prout datur in vero pignore, nisi I. præpignorantis juri inhærere queat.

§. 528. Quemadmodum itaque nullus temporis lapsus, ita nec ullus rationabilitatis vel necessitatis casus D. 6. p. 200. aut usus alicujus loci contrarius potest supplere defectum authentici sigilli. Nec de acquisitis facta sub privatis sigillis fassio sapit perennalitatem, licet ipse venditor pro tali velit haberi, ac si sub authentico sigillo fuisset celebrata. Oportet ergo ut fatens in persona adsit coram loco vel persona authentica, vel saltem plenipotentiarius illius; in hoc casu debet fassionalibus literis inseri plenipotentia, quam produxit, vel specifica illius mentio cum dato etc. fieri. Super bonis autem sub privatis sigillis venditis fassionem perennalem celebrandi necessitatem per patrem filiis contractu imponi potuisse, velut spiritui, D.

2-dæ p. 105. et 2-æ 186. contrarium negamus, quamvis D. 7. p. 200. id supponere videatur: eo minus coguntur ad authenticandam fassionem, quod pater facere non potuit, 19. Jun. 1799. in causa Sághi. Prout vero sub privatis sigillis invalide alienantur bona, ita (quod per se intelligitur) aliena valide remittuntur, D. 8: 200. Stant venditiones sub motibus Bethlenianis coram V. Comitibus et Judicibus Nob. factæ, si vendentem ad confirmandam coram legali loco venditionem admonitum esse probari potest 60: 1622. vid. etiam 18: 1608. Qui contradictioni coram loco authentico cedendo possessorium suum in impetratorem transtulit, pro fatente habitus est in causa Szilasiana 1804.

§. 529. 2) Requiritur præmonitio juris et sangvinis communionem in bonis habentium, ut sunt: 1) Filii et filiæ jam in patria potestate non existentes. Ast majorennes filii, licet sub patria potestate sint, æque præmonendi videntur sensu Decisionis 7: 94. de minorennibus sonantis. — Saltem eadem illorum, quæ vicinorum habenda est ratio, de quibus infra. 2) Ascendentes, quod quidem tunc tantum usu venit, cum parentes vivi proprietatem bonorum in filios transtulerunt. 3) Collaterales juxta proximitatem gradus. Si in eodem gradu plures sint, pendet ordo admonendi ab arbitrio admoneri curantis. Admonitio debet esse judicialis, idest per personam judicialem; potest fieri per Juratum Tabulæ Regiæ, aut per Jurassorem solum, ut Dec. 4: 94. Si multi essent præmonendi, vel non sciatur qui sint, sufficit in generali congregatione Comitatus publicare voluntatem, et conditiones vendendi Dec. 2. pag. 94.

quæ candide semper cum præmonitione insinuandæ sunt 1-mæ 71. 2-dæ 85. Præmonitio vero semel facta occasione venditionis, licet post aliquot annos peragendæ, iterari non debet, D. 5:94. 6:106. 4) Præmoneri debet is, cui id obligatum est, secus contractus in ipsum transvestitur. 1808. in causa Bay. Vicini, si præemere volunt, habent jus præemtionis, post sangvinem, sed ipsi debent admonere fateri volentem vel emtorem cum summa integrali, nec debent præmoneri D. 10: 95. nisi per condonatarios mutua præmonitio obligata fuisset, D. 11: 95. Inter plures vicinos, qui prior tempore, potior jure. Sic: feminæ quoque in bonis solius sexus masculini habent jus admonendi, et præemendi, sed præmoneri non debent, quia sunt extranei 1-æ 60. Si ex præmonitis nemo se pro emtore insinuet intra 15 dies, vel insinuet quidem, verum pro pecunia numeranda non compareat ab admonente extrahi debent testimoniales super peracta admonitione et bona vendi possunt, etiam si quis extraneo fidem de pretio habere velit, nam ut fratri quoque habeat, cogi non potest.

§. 550. Fassio alia est necessaria, quæ fit in casu extremæ necessitatis, et ita fortis est, ut invalidari non possit; verum si casus necessitatis in fassione non est specificatus, debet a fassionario specificari, et probari. Alia est simplex, quando nulla necessitas, imo nec utilitas fassionis adest, verum tantum ex malitia, et propter gulam, vel luxum abalienantur bona. Alia est rationabilis, quæ vel ex necessitate licet non extrema, vel saltem ob utilitatem familiæ fit, v. gr. si pecunia utiliora bona familiæ fuerunt redemta, si quarta, dos, paraphernum, allatura aliter

non potuit exsolvi, si utilia ædificia exstructa sunt, v. gr. molendina etc. aut bona alia insigniter meliorata sunt, cambio utili pecunia superaddita, vel ob sumtus Insurrectionis, aut processuum necessariorum sunt bona vendita, vel bona quidem magna, verum incerta, et involutionibus obnoxia, apud alios hærentia sunt vendita, et pauciora, verum certiora sunt emta, etc. Simplex fassio facile invalidatur; etiam rationabilis, si non fuerint solidæ rationes alienandi, et tota summa per I. liquidata eidem per actorem una cum meliorationum pretio refunditur.

§. 531. Cum hodiernis temporibus, fassio vivo fatente, quoad portionem propriam cujus dominus fuit, invalidari non possit, et tota summa investita deponi debeat liquidanti fassionario, nec præterea homagium alienantis (ut jure antiquo) deponi soleat; hinc, quod hodiedum in literis fassionalibus, onera filiorum, filiarum, fratrum assumantur, est de stilo antiquo, nullum unquam effectum producit, sive in genere, sive nominatim sit assumtio.

§. 532. Processus invalidatorii ex præjudicio, forum, quæstio actoratus, et meritum. §. 533. Actor non debet juris probam præstare §. 534. Nisi præsumtio pro firmitate juris ejus militans per Incattum evertatur, §. 535. Aut fassione, quæ de non possessis celebrata est, invalidata res ad statum antefassionalem reponatur. §. 536. Vel prorsus I. diverso juri inhæreat. §. 537. Observationes ad meritum hujus processus pertinentes. §. 538. Continuantur. §. 539. Processus ex non facta præmonitione, Judex, et quæstio actoratus in eo. §. 540. Observationes me-

ritoriæ, §. 541. Mutationes quædam juris antiqui circa fassiones. §. 542. Actio vicinorum et sexus feminei hominum.

§. 532.

Processus ex materia fassionum:

1) Ad invalidationem ex præjudicio. Movetur coram Tabula Regia, post mortem fatentis, D. 4: 85. quia viventis nulla successio, ergo occasione mortis enascitur præjudicium ex impedita successione. Movetur autem per illum, quem successio concerneret, v. gr. in absentia descendentium etiam per collaterales, prius non, sensu D. 7. p. 100. quia tunc enatum est præjudicium collateralibus divisis, si nulli descendentes jus successionis in bonis illis habentes adsint, qui dum adfuerint, contradictione debuerunt collaterales jura sua sustentare. Actio fundatur in 58, 59: 1-mæ, quæ, si nomen latentis in ea erronee specificetur, condescendet, D. 11. p. 8. cessionario hæc Actio non competit, 15. Jun. 1796. Actoratus quæstio, est connexio cum fatente, et juris et sangvinis cum eo communio. D. 46. p. 95. et edoctio aviticitatis, Dec. 1. p. 85. hæc probatur per divisionales vel testes, quia tantum ex avitorum alienatione potest præjudicium enasci. Si A. fassionem non producat, I. debet illam actoratu stabilito producere, secus invalidatur, 1804. Marschovszki. Datum fassionis in actionali libello specificari debere putatur. Meritum est, an fassio fuerit necessaria, vel rationabilis?

§. 533. Est ergo, in regula, mere facti processus, nec debet actor jus suum radicale probare,

quia jus ejus Incattus non negat, D. 13. p. 87. 2: 16. 15: 64. quia juri illius et fassioni inhæret, et rationabilitate ejus se defendit. Si recedat a jure fatentis, et distincto juri inhæreat, v. gr. juri regio, quod nefors consensu superinducto, accessorie illi collatum est, id debebit probare, D. 43. p. 92. si non probabit, punitur, ut supra diximus, nec poterit amplius rationabilitate fassionis se defendere, quia diverso juri inhærendo, illam pro nulla declaravit, nec statutio pura juvat fassionarium contra fatentis successores, verum sola rationabilitas fassionis.

§. 554. Potest tamen fassionarius obvertere, familiam fatentem temporaneo tantum jure bona illa possedisse: quod si probet, Dec. 25. pag. 89. vel saltem talia documenta adferat, ut merito Judex dubitare possit de soliditate juris actorei, nisi illam Actor edocuerit, D. 6. p. 86. 19. p. 88. fassio stabilitur: quia præjudicium in juribus fluxis, temporaneis, v. gr. contratu camerali acquisitis D. 45. p. 93. non potest enasci.

§. 555. Eadem est ratio illorum, quæ fatens actu non possedit, verum lite revindicare debuisset sensu D. 11, 12, 13: p. 87. aut si quis contradictionem revocando fateatur bona donatario, D. 27. p. 88. Cum ergo tantum jus translatum, et pro incertis aliquid certi acceptum est, sensu etiam D. 18. p. 88. 57. p. 91. fassio sapit transactionem, (imo, si jam lis mota erat, est revera transactio) et quamvis ob defectum rationabilitatis invalidetur, tamen nihil Actori adjudicatur, verum reponuntur bona ad statum antefassionalem, ut remoto obstaculo fassionis, pecuniisque renumeratis eadem exquirere possit, D. 50. p. 90.

Ast licet fatens nihil dederit reipsa, verum indeterminata, et valde multa jura translata sunt pro vili pecunia, invalidatur fassio, D. 29. p. 90. quia fatens non habuit notitiam bonorum. Eadem est ratio, si quis virtualem ex defectu collateralium enascituram successionem transtulerit, D. 58: 91.

§. 556. Si non regio, verum tertii juri inhæreat fassionarius a fassione resiliens, et diversum possessorii titulum producat, a fassione actionali, tunc etiam Actor facile ad juris probam præstandam adstringitur (quin Incatto diversi illius juris cui inhæret, proba imponatur) eo magis si Commissioni neoacquisticæ involuta bona sunt vendita, et donatio est superinducta, 27. Aug. 1799. Radványi contra Grasalkovits et 1803. Répási.

§. 557. Sangvini facta fassio non tam facile invalidatur, 12. 14. p. 87. quam extraneo celebrata, quia manent bona apud familiam, præcipue si fassionarius toti familiæ profuit, D. 54: p. 90. et fassio facto successorum fatentis confirmata fuerit. Si plures fassiones intercesserunt, v. gr. patris fassionem confirmavit filius, nepos non poterit invalidare; nec ille potest ad posterioris per patrem celebratæ fassionis invalidationem agere, cujus avus alteri prius cum clausula: nullum jus, eadem bona fassus est, D. 8. p. 20. nisi prior annihilata, vel alterutra fassio simulata, et sub nomine non consentientis facta fuerit, D. 55. p. 91. ut nec ad invalidationem fassionis paternæ, si ipse aliam fassionem tertio cuipiam celebravit super istis reacquirendis, nisi fassionarius ejus eidem refateatur, sicque posterior fassio evanescat. Si quis, bonis, a majoribus suis titulo tempora-

neo acquisitis fassionem perennalem superinducat, et vendat, filius ejus invalidare non poterit, quia fatens fuit juris acquisitor, D. 21: 88. Si fassionis expositio generica est, per fassionarium ad specificum deduci debet, et probari D. 59: 91. si vero specifice exponuntur in fassione motiva fassionis, fidem habent, donec Actor contrarium probet, nec debet I. probare, nisi de futuro sonent. Verum conjux, cui fassio facta est, semper debet sensu 110: 1-mæ expositionem probare, in contractibus inter conjuges celebratis, intrinseca falsitas præsumitur, donec contrarium probetur. Pro mediis vitæ, D. 14. 16. p. 87. 20: p. 88. pro expensis insurrectionalibus, D. 15. p. 87. aut plane in extrema necessitate factæ fassiones, D. 27: 89. persistunt, non item propter debita paterna, si ex proventibus solvi poterant, D. 56. p. 91. Fassio inter sexum et sexum difficilius invalidatur, et majores irrationabilitatis probas requirit, quam inter extraneos.

§. 558. Qui facto suo approbavit fassionem, v. gr. participavit ex pecunia patri data absque contradictione et reservata, non habet actoratum ad invalidationem. Si frater fateatur fratri, postea absque prolibus moriatur, tertius frater potest agere ex præjudicio, quia in parte bonorum deberet succedere. Si quis pecuniis acquisitis revindicet avita, atque iterum vendat, fassio illa invalidari non facile poterit. Qui incapaces sunt possessorii, nec perennales fassiones valide celebrant, v. gr. Communitates, D. 49. p. 93. si vero illis celebratur fassio vel ex incapacitate possessorii, 16, 28: 1715. coram foro pedaneo, vel vero ex præjudicio, aut non facta præmonitione, edocto Actoratu, idest, aviticitate, et nexu cum

fatente, nullo habito ad rationabilitatem fassionis respectu, ex bonis exsolvuntur, Dec. 40. 41: p. 92. Si I. probet Actorem bona actionalia iterum vendere velle, facile absolvitur. Si quis pignori fassionem superinducat, et tamen in processu invalidatorio, pignoris titulo, et conditionibus illius inhæreat, non auditur, neuter titulus ipsi favebit, verum ad liquidandum adstringitur, D. 42: p. 92. 18: p. 97. (ut in omni fassione invalidata fieri solet) si nolit liquidare, liquidat Actor, et executio penes ejus liquidationem peragitur. In contumacia convicto gratis adimuntur bona. In Novo liquidabit, Dec. Cur. 29. p. 117. Propter civiles fundos avitos abalienatos non datur actio ex præjudicio, uti nec propter quascunque res immobiles inter vivos alienatas, verum, si mortis causa, idest, testamento alienentur, datur ad invalidationem testamenti vel contractus. Prout stabilita fassione juris processus non habet locum, D. 2: p. 16. 15. p. 64. ita statutione consensus R. a contradictione successorum fatentis depurata. Actio ex præjudicio non subsistit, D. 11. p. 87.

§. 559. Processus est 2-do ex non facta præmonitione. Moveri potest etiam vivo fatente contra fassionarium in possessorio bonorum existentem (aut eum cui ille dederit) per non admonitum, vel admonitum quidem, verum eo non obstante, quod se emtorem declaraverit, præteritium, aut ejus successores D. 6: 94. Decurrit coram Tab. Reg. Actio fundatur in 60. 1-mæ. Actoratus quæstio est in edoctione communionis juris et sang. vinis, item, quod bona fuerint avita, D. 1. p. 95. 10: p. 95. 17: p. 96. Recognitio condivisionalitatis per

præmonitionem facta, pro præmonito quidem sed neglecto, contra extraneum I. ad probandam juris et sangvinis communionem, cum fatente et præmonente non sufficit, D. 8. p. 24. Feminis non præmonitis sufficit præhabitum possessorium probare, Dec. 17. p. 96. Fassionem invalidandam I. producet, 1-ma Febr. 1779. Lusinszki.

§. 540. In merito I. debet probare vel factam esse præmonitionem, vel non debuisse fieri, v. gr. non debet fieri si fassio fiat in extrema necessitate 1-mæ 60. vel si jura non possessa, verum involuta et lite revindicanda vendantur, D. 6. p. 106. aut transactio per unum ex cointeressatis super rata sua celebretur, D. 55: 90. sic: non debet præmoneri confatens, vel qui eadem die coram eodem Capitulo eidem vel fassionem, vel cambium celebravit, D. 14: 96. vel qui post fassionem coram se celebratam, ratam suam eidem vendidit. Non debent præmoneri fili minorennes non emancipati, sufficit si pater ipsorum præmonitus est. Ast etiam illi condivisionales debent præmoneri, qui nihil ex familiæ bonis jam possident, verum illa alienarunt, quia per id successoni sperativæ in bonis apud alios fratres existentibus, et juri illa præemendi non renunciarunt, D. 2: 85. 5: p. 94. Inter pares, idest, eodem gradu stantes nulla prælatio, qui prior tempore potior jure, D. 9. 95. 47. p. 146. Si itaque frater agat ex non facta præmonitione, frater in eodem gradu stans, non potest se ingerere, licet non desint exempla contraria. Si soror, ratam ex bonis per patrem filiabus legatis sibi obtingentem fratri vendat, alteri sorori prælatio competit, et viceversa, etiam si in casum defectus unius filiæ, successio filiorum

cum filia superstite reservata sit in testamento, Dec. 19. p. 97. quamvis Tab. R. prælationem denegaverit Pl. 210. Si duo fratres indivisi celebrent fassionem, unius filius movet ex præjudicio, alterius filius non potest se ingerere, verum aliam litem quoad ratam suam erigat, quia etiam prior nonnisi quoad ratam suam habet Actionem, D. 3. p. 85. quia alterius fratris confatentis filius vivit, adeoque ex præjudicio non potest illius ratam petere: ex non facta præmonitione æque non, quia pater ipsius qua confatens, non debuit præmoneri, D. 3: p. 85. Si fratres ex non facta præmonitione invalident fassionem, filii vel nepotes fatentis ex præjudicio illis auferent; versa vice: transactio descendentium ex præjudicio agentium, non obstat actioni non præmonitorum accessorie ad invalidationem etiam transactionis dirigendæ, D. 14. p. 101. Emtor, invalidata fassione eodem foro, D. 18. p. 97. liquidat, verum, si durante lite voluptuarias investitiones faciat, non refunduntur, deteriorationes imputantur. Est causa brevis litis, D. 12. p. 51. — An Actio refassione lite pendente eludi possit, dubitari potest. Dantur Dec. quæ refassionem seposuerunt, 1-ma Febr. 1773. Motsári.

§. 541. Aliqui dicunt, quod, si frater vendat sua bona, condivisionalis frater contradicens possit emtorem via facti ejicere; hoc non est tenendum; quia emtor repræsentat vendentem, et habet titulum bona ingrediendi, fassionem, quæ non est ipso jure nulla, verum invalidabilis. Dicitur etiam, quod frater non præmonitus ante annum communi æstimatione possit bona revindicare, et nonnisi post annum totam summam investitam

deponere debeat, hoc nulla lege nititur. Dicit quidem 61: 1-mæ, quod si frater licet præmonitus emere noluerit, vel non potuerit; tamen deposita tota summa bona sibi vindicare possit; verum hoc jam exolevit quoad fratres divisos (quoad indivisos, si venditio sit irrationabilis, stat, 47: 1723. exolevit etiam id, quod si frater non sit præmonitus, vel est quidem, verum eo non obstante, quod se emtorem obtulerit, tamen extraneo vendita bona, communi æstimatione possit jure prælationis vindicare. Pariter exsolvit id, quod, vi 59: 1-mæ filii, vel fratres, bona in simplici quidem fassione gratis, in rationabili vero vel gratis, vel communi æstimatione possint ex præjudicio invalidare; quia jam tota summa investita deponi debet, (et quidem nonnisi mortuo fatente, adeoque absque homagii illius depositione) quia secundum leges subsequas, 90: 1635. 125: 1647. etiam pignora, deposita tota summa investita, revindicantur, quod eo magis in fassionibus perennalibus stare debet. Observandum adhuc, quod 59: 1-mæ de bonis propriam fatentis personam respicientibus agat; si quis vero filiorum quoque vel fratrum indivisorum portiones alienavit, hoc ad 61: 1-mæ pertinet: qui tamen quoad patres æque exolevit, quia nihil interest, an pater suam tantum vel etiam filiorum indivisorum portiones alienet. Etiam quoad fratres aliorum indivisorum portiones alienantes cessavit id, quod fatentis portio communi æstimatione, vel cum onerum retractatione, idest, homagii ejus solutione revindicetur. Hæc ideo adjeci, quod viros non ineptos, dum Verbőczium legissent, in errorem inductos observavi.

§. 542. 3) Ad invalidationem ex non attenta admonitione movetur per majorennes filios, licet fors præmoneri non debuerint, item per vicinos, aut sexus feminei homines, qui admonuerunt vendentem, et summam ipsi obtulerunt judicialiter. Actio fundatur æque in 60: 1-mæ. Reliqui processus, utpote ad implementum, ad sepositionem, vel invalidationem ex dolo, fraude etc. vel ex neglecta interpretatione fassionis ignoto fatenti sermone concinnatæ ex 687: 13. Ad redintegrationem avitorum ex 723: 49. jam attacti sunt.

CAPUT XXII.

De Inscriptione pro fidelibus servitiis.

§. 543. Inscriptio pro fidelibus servitiis, §. 544. Vix minui, nedum tota invalidari potest. §. 545. Quis succedit Inscriptionalistæ deficienti.

§. 543.

Sive sint bona avita, sive acquisita, possunt pro fidelibus servitiis inscribi, etiam perennaliter, et quidem absque præmonitione condivisionalium, D. 15, 16. p. 96. quia inscriptionis motiva sunt merita personalia. — Si demonstretur servitia non esse præstita, invalidatur inscriptio, sive temporalis, sive perennalis sit. Si generice tantum sint attacta servitia in inscriptione, vel sit pro futuris servitiis, inscriptionalista debet probare præstita esse, D. 10: 86. Si vero specifice enumerentur, Actor debet probare irrealitatem, idest, falsitatem expositionis, D. 9. p. 86. D. 5. p. 106.

§. 544. Inscriptio perennalis pro fidelibus servitiis, si illa præstita sunt, nunquam invalidatur, verum si enormis sit remuneratio, et servitia exigua, ad proportionatum præmium reduci posse et debere vulgo putatur; quamvis difficile, ne dicam impossibile sit, super gradu dexteritatis, fidelitatis et intelligentiæ sub æstimationem judicialem non cadentis, ex una, debilitatis item animi consiliique inopiæ et necessitatis, ex altera parte, præterquam ipsi inscribenti, arbitrari. Secus esset si prætextu servitiorum omnia bona inscriberentur, quæ quis defenderat, vel salvaverat, tunc deberet rationabilitas probari, D. 28: p. 89. vel necessitas.

§. 545. Si sit inscriptio perennalis cum clausula: nullum jus etc. succedet Fiscus ab intestato deficienti inscriptionalistæ. Si vero absque clausula illa sit (eo magis vero si inscribens successionem expresse sibi reservaverit, etiam si consensus cum jure R. inductus sit, sed illud latuisse, Fiscus, vel jure ejus veniens non probet) succedet familia inscribentis; in summa superaddita vero, si inscriptio mixta fuerit, ut etiam in aliis meliorationibus, Fiscus.

Processus sunt iidem fere, qui ex fassione perennali. In invalidatorio doceri debet aviticitas etc. Si inscriptio sit temporanea, sapit pignus, et ita reluitur.

CAPUT XXIII.

De Pignore.

§. 546. Pignoris naturaliter sumti species est hypotheca. §. 547. Res titulo cautio-

nis creditori data, quomodo reluitur, et cui perit?

§. 546.

Pignus sumitur primo, pro re in securitatem debiti vel damni data. Si non tradatur creditori, verum maneat apud debitorem, vocatur hypotheca; estque, vel generalis, quæ etiamsi expresse non sit obligata, naturaliter inest omnibus bonis debitoris: vel selectiva, dum debitor securitatem promittit in rebus suis ad liberam creditoris electionem; alias vocatur optionalis, vel denique specialis, qua determinata res est obligata, et hæc sola est, qua creditori sufficienter cavetur.

§. 547. Pignus ad manus creditoris datum, vel adveniente tempore per contractum aut Judicem determinato, vel post admonitionem judicialem, (si scilicet tempus reluitionis non est determinatum) vendi poterit, si intra 15 dies non solvat admonitus. Si res pereat casu, nocet domino, idest, debitori, qui nihilominus tenebitur satisfacere creditori. Expensas in conservationem rei per creditorem factas tenetur debitor refundere, nisi creditor, re utendo, sibi compensavit; nam in regula pignore uti non licet, nisi expresse per debitorem admittatur, quod quidem in mutuo vere tali, ubi scilicet interusurium non currit, præsumitur admissum esse. Licet pars debiti deponatur, pignus tamen nec ex parte debet restitui, quia creditor non tenetur pecunias suas per partes levare. Si pignus in natura non possit reddi, debet in æquivalenti, nisi casu perierit. Processus ad recipiendum pignus imitatur naturam, et judicatum pignoris immobilium. Funda-

tur in prologali 5. quod suum cuique tribuendum sit, et Ulad. D. 3. initio, ubi dicitur, suum cuique tribui naturæ præceptum esse, quod suapte intelligitur.

§. 548. Jure hungarico sumtum pignus est conventionale, judiciale, legale. §. 549. Effectus pignoris, §. 550. Processus reluitorii, §. 551. Judicatus uberius exponitur. §. 552. Ad Actoratum realitas pignoris, §. 553. Et jus reluendi debet probari. §. 554. An etiam devolutio pignoris? §. 555. Meritum, §. 556. Liquidatio, §. 557. Continuatur. §. 558. De præpignore incatteo.

§. 548.

Secundo. Pignus jure hungarico sumitur pro emtione et venditione bonorum immobilium temporanea, ut impletis conditionibus, in statu quo, D. 5: 199. 16: p. 201. restituantur, et hoc est pignus conventionale. Judiciale, bona immobilia debitoris, vel ob damnum, aut in birsagio convicti per executionem triumphanti assignantur, quæ is perennaliter valide fateri non potest, verum convictus potest, modo alteri satisfiat, nec tenetur hic partem bonorum remittere, quamdiu totum non reluitur et non exsolvitur. Legale, lex ipsa constituit, v. gr. titulo dotis etiam obligata sunt bona illa, quibus vidua jure viduali immansit. Filia quoque, titulo quartæ, ad vires communis æstimationis, in legali Pignore tenet bona deficientis patris, nonnunquam ut suo loco dictum, per alios, in regula per Fiscum reluenda, 1-mæ: 29.

§. 549. Pignoratarius habet dominium utile,

ergo lucrum bonis accrescens illi fructificat, deficienti etiam nefors colono succedit, nisi aliter sit contractum. Potest etiam subinpignorare, verum si proprietarius reluerit, illius pignus evanescit, si vero in majori summa oppignoraverit, quam ipse habuit, ad evictionem præstandam citabitur, quia proprietarius tantum id debet refundere, quod accepit. Idem valet de bonis pro debitis pignoratarii ultra summam inhærentem in pignus judiciale sumtis.

Proprietario bona tertio perennaliter vendente, non potest quidem emtor pignoratarium ante evolutos annos ejicere, quia nemo plus juris in alterum verso vel Fisci jure veniens, non tenetur effluxum illorum exspectare.

§. 550. Processus ex materia pignoris sunt: primo reluitorius, cum vel nulla admonitio, vel tantum amica præcessit, non judicialis. Nisi enim contractu obligata sit admonitio, D. 2: 110. omitti potest; imo si Actio fundetur in admonitione, quæ non est peracta, condescendit, D. 1. p. 1. D. 1. p. 110. Actio fundatur in 1-mæ 80. 82. Judex pignoris est vel Judlium, vel Vice-Comes, vel Tabula Districtualis, 1729: 55. 1807: 9. raro Tabula R. Judlium vel Vice-Comitis judicatum summæ pignoratitiæ magnitudo, Tabulæ Districtualis situs bonorum, Tabulæ Regiæ vero, interpretationis, invalidationis, et juris probæ necessitas, aut involutionum difficultas determinat.

§. 551. Pignus enim aliud est recens et clarum, aliud antiquum et involutum, aliud simplex, aliud colligatum. Simplex pignus est, si una portio, vel plures quidem, verum quæ-

libet in specialiter expressa summa, licet in una charta, impignoretur, sive in uno eodemque Comitatu jaceant portiones, sive in pluribus. Colligatum vero est, si plura bona distincta in una eademque summa, in genere, oppignorentur, etiamsi bona in uno Comitatu jaceant, quæ si non omnia volo redimere, verum tantum unam alteramque portionem, nisi totam summam deponere malim, D. 9: 200. coram Tab. Reg. debeo agere, D. 10: 200. quia cum summa pignoratitia in genere sit posita, partitio ejus subversatur, quod excedit activitatem fori pedanei, quia sapit interpretationem, item invalidationem tacitæ illius conditionis, ut simul debeant bona relui, prout simul erant oppignorata; præterea, si plures possideant, etiam portionum reliquarum possessores debeo evocare. D. 55: 118. ut res'atur, quibus bonis, quantum proportione inhæreat, nisi declarem, me totam summam Incatto velle deponere, D. 56: 118. Præter hunc casum, debet pignus coram Tabula Regia quæri, si clare non possit probari, adeoque juris proba sit necessaria, potest vero tunc, licet sit pignus simplex, et clare possit probari, cum bona, multis involutionibus, fassionibus, donationibus sunt medio tempore affecta, quæ omnia rescindi petentur, quamvis, probata pignoris realitate, per forum pedaneum seponi possent, præcipue, si non proprietarii, verum solius pignoratarii, aut illum repræsentantium facto evenerunt, et illi, juri, ab actionali diverso non inhæreant. Si vero omnia, quæ colligata sunt volo redimere, et in Comitatu uno sita sunt, coram Comitatensi Judice possum (etiam colligatum) pignus revindicare; et quidem si summa pigno-

ratitia non excedat 200 fl. coràm Judlium, a 200, usque 5000, vel coram Judlium, vel coram Vice-Comite, a 3000 usque summam idefinitam coram Vice-Comite. Si in pluribus Comitatibus sint portiones simplicis (licet in una charta, sed in specialiter expressis summis obligati) pignoris, in totidem Comitatibus debeo litigare, D. 10: 200. nisi per auctiones in genere levatas colligatum evasit pignus, sic, ad partem bonorum vindicandam judicatu Tabulæ R. ad omnia vero reluenda Tabulæ Dist. opus est. Quoad bona in pluribus Districtibus colligata habet Actor optionem inter Tabulas Districtuales. Dum Curia Regia contra singulos II. partem bonorum in pluribus Comitatibus in una summa colligatorum in singulis tantum Comitatibus possidentes, Judicatum Tab. R. D. 4. p. 111. non stare debere, verum stare posse decidit; dum item, pro reluitione pignoris in duobus Comitatibus in una summa et charta colligati, verum tantum in uno consummati, Judicatum ejusdem, D. 5. p. ead. condescensioni subjecit: colligatum pignus, non a summa, in genere posita, prout D. 55. 36. p. 118. fecerat, verum a situ bonorum metita esse, et pro parte eorum totum solvi voluisse videtur.

§. 552. Ad actoratum probari debet 1) Realitas pignoris (quod revera pignus celebratum, et reipsa traditum sit) per literas pignoratitias originales usu roboratas: in antiquis pignoribus non semper sufficit literas pignoratitias producere: quia multæ sunt, quæ nunquam in effectum abiverunt, vel vigore quarum jam reluta sunt bona, aliis iterum vendita; ergo sæpe probari debet titulo pignoris actionalis ad alienas manus de-

venisse bona 82: 1-mæ. §. 5. si scilicet Incattus illud in effectum non ivisse, vel jam relutum esse, et literas actionales jam exspirasse cum fundamento arguat, etiam id debet probare Actor, per quas manus devoluta sint bona a prima recipiente familia ad eam, quæ actu possidet (ut certo constet pignus actionale ad suam familiam nondum redivisse) licet hoc in citata lege non habeatur. Probatur adhuc realitas pignoris auctionalibus, si probet Actor, possessorem illorum bonorum, sibi auctionem dedisse, nisi I. demonstret indebite et erronee datam esse, et probet distinctum ab actionali possessorii titulum, femineus sexus vero usum præhabitum. Probatur cessionalibus familiæ Actoris, si prodeat, cessionarium penes illas reluisse, et possessorium adivisse, D. 9. p. 112. Probatur transumtis Capitularibus pignoratitiarum literarum, licet enim illa transumta talia essent quoad formam externam, ut, v. gr. in juris processu, talia transumta privilegiorum, utpote, non in protocollo, verum inter fragmenta tantum inventorum 42: 1725. nihil valerent: tamen, nisi I. diversum titulum possessorii adsignet, adstringitur ad liquidandum, D. 10: 112. Simplicibus paribus pignus non probatur, nisi vel uno teste fulciantur, D. 1. p. 29. Aliqui dicunt (et fors potest casus dari) quod licet clare non probetur pignus, si tamen Actor divisionales, aut alias literas, licet non privilegiales, producat, ex quibus jus illius ad bona illa clarissime prodeat, Incattus ad pandendum diversum ab actionali possessorii sui titulum, secus ad liquidandum adstringatur sensu D. 18. p. 114. Probatur adhuc, ad 60 annos, testimonio eorum qui viderunt, legerunt pigno-

ratitias literas, vel positive sciunt pignus celebratum esse 55: 1625. Domesticis documentis, conscriptionibus, urbariis etc. pignus non probatur, D. 14: 201.

§. 553. 2) Debet probari ad Actoratum jus reluendi competere Actori, atque adeo communio sangvinis et juris cum impignorante, quod Actor sit illius directus descendens, vel si descendentes non adsint, collateralis, et in illius bonis condivisionalis, D. 2. p. 199. Si extraneus sit Actor, debet probare cessionem sibi a proprietario factam, et jus reluendi datum, et cedentem nexum sangvinis et juris cum impignorante habere, D. 7. p. 111. Cessio usu non roborata cum morte cedentis exspirat, (prout enim actoratus mortui cessat, ita, quoad rem, cujus nec in genere, nec in specie dominus erat, datus per ipsum alteri, cessare debet) nec valet contra sangvinem super indivisis exquirendis, extraneo vel remotiori fratri data, ea non obstante, frater cedentis eadem bona indivisa reluere potest, vel a cessionario, fundando actionem etiam in prælatione, vel a priori possessore, si cessionarius nondum adeptus est bona, fassionarius, etiam si ex pignoratario factus, cessionario antiquiori bona remittere debet, et fassionis usum nonnisi post effluxum annorum cessionario obligatorum habebit, salvo ad fatentem, si ipse in bona fide versetur, regressu.

§. 554. Decisiones 3. p. 32. 8. p. 112. 18. p. 114. 2. p. 199. etiamsi I. pignoris actorei non impleti, vel resoluti nulla vestigia adsignet, tamen, si possessor non pignoratarii successor sit, devolutionis bonorum ad manus I. titulo pignoris factæ probam exigunt in antiquis pignoribus, idest

quod hucdum sint bona in eodem pignore actionali, et provocant 82: 1-mæ, atqui ibi nihil aliud, quam realitas et usuroboratio pignoris probanda injungitur, idest, quod familia A. titulo pignoris alienaverit, et eo titulo ad alienos devenerint bona.

§. 555. His edoctis actoratus stabilitur, et, in merito, probanda est quantitas, D. 2. p. 199. 12. p. 201. si scilicet particula tantum prædii, vel possessionis quæratur, et, si plures in eadem possessione compossessores sint, applicari debet localitas possessorio Incatti, D. 18. p. 114. (Conscribi ergo et rite designari debuissent bona, tempore oppignorationis, v. gr. situs vicinitates sessionum, agrorum etc.)

§. 556. His probatis, imponitur parti Incattæ, ut liquidanda liquidet; liquidationem ingrediuntur hæc: 1) Summa tempore oppignorationis levata. 2) Summæ titulo auctionis levatæ, quamvis, v. gr. talis pater levasset, cui in nulla re successerunt proles, et cujus debita alia solvere non deberent ex bonis per se ipsos revindicatis, D. 25. p. 158. 3) Id, quod pignoratarius nefors superinscripsit, idest, loco proprietarii alicui solvit, v. gr. titulo dotis, allaturæ, quartalitii, aut creditoribus. 4) Quod in processus necessarios, v. gr. proportionalem D. 58: 118. metalem D. 1. p. 44. 11. p. 45. expendit. Expensas insurrectionis causa factas possessor debet ferre, nec proprietarius refundet, prout nec pecunias in reluitionem terrarum per colonos alienatarum solutas, D. 51: p. 117. De proportionali processu idem sensit Tab. R. Pl. 222. 5) Ædificiorum pretium, et quidem, si plena in contractu ædificandi fa-

cultas data est, omnium; si vero nulla est data, videndum, an tempore impignorationis necessaria et utilia ædificia adfuerint vel non, si non adfuerint, potuit pignoratarius illa ponere, licet contractu prohibitum sit, nec amittit pretium illorum, quia etiam reluenti prosunt, et talis conditio vel cautela, pro non objecta habetur, quæ fini illi, pro quo quis emit bona, adversatur; si fuerint, et alia ponendi facultas, vel ademta, vel non est data, non refunduntur, verum potest pignoratarius auferre, si absque reliquorum ædificiorum damno fieri potest D. 25. p. 116. quia legitimus possessor fuit, quamvis illicite ædificaverit. Voluptuaria ædificia etiam exsolvuntur, si plena facultas data est ædificandi, non item si pro necessariis et utilibus data est, hinc circa hortos tantum proventus respexit Curia D. 8. pag. 45. Meliorationes quoque aliæ sumtibus constantes refunduntur, non item pretium rerum, quæ in natura ex iisdem bonis (v. gr. materialia) haberi poterant, Incatto liquidare nolente liquidat A. prout vult, vel vero bona gratis, aut saltem pro illa pecunia, quæ ex pignoratitiis, aut tempore executionis ex æstimatione meliorationum prodibit, ipsi restituentur.

§. 557. Uti meliorationes pignoratario, ita deteriorationes proprietario compensantur, D. 51. p. 199. 16: 201. quia in illo statu debent bona reddi, in quo oppignorata erant; æstimari itaque debuissent ædificia, vineæ, silvæ, et id genus, tempore oppignorationis. Licet probari possit non esse tantam summam levatam, quanta est in literis, id tamen hoc instituto controverti non posse, verum, totum refundi debere pignoratario; invalidatorioque instituto opus esse ad falso expositam

summam cassandam docent aliqui: mihi talis conditio nulla, et foro pedaneo seponibilis videtur, quia non mere illegalis, verum fraudulenta, et criminali pœna digna est.

Quod si tutor levaverit auctionem, probari debet per liquidantem, prorsus necessariam fuisse illam pecuniam pupillo, D. 20: 115. secus ipsi non refunditur, sed habet regressum ad tutorem, D. 21: 115. eadem est ratio etiam auctionum per viduam levatarum, nisi probetur in utilitatem familiæ mariti esse impensam pecuniam. Ante annum 1693. thaleri faciebant 30 grossos, (prout imperiales) aurei vero 5 fl. D. 30. p. 117. 1-mæ, p. 150. In dubio, per thaleros hodie 1 fl. 50 denarii intelliguntur, D. 32: p. 117. 1: p. 150. Circa florenos, usus partis ejus, ubi pignus celebratum erat, respicitur D. 34: 118. Summa per proprietarium solvenda, si plures sint possessores, proportionate dividitur, D. 35: p. 118. Expensæ in processu pignoris non currunt, D. 11: p. 200. contra 47: p. 146.

§. 558. Si I. præpignus sibi applicet, aut sexus femineus a pignoratariis masculorum bona ad se pertrahens, his Reluitorio agentibus possessorium præhabitum obvertat. Bona ad manus proprietarias redivisse censebuntur, Dec. 14: 115. 3: 199. Inter sexum et sexum de æqualitate juris quæri debebit. Prout pignoratarius, pluris quam emerat, vendens, evictione tenetur: ita Actorem, sub spe reluitionis, bona, minoris, quam ipse emerat, vendentem, Incattus, eodem processu, quo ipsi præpignus obvertit, indemnem debet præstare (si nefors non hæreditarius sit, verum jure aliorum veniat, summam Actori renumerandam, velut auctionem superinscripturus). Si vero perennali-

ter emit, alioquin cum onere bonis inhærente emisse censetur.

§. 559. Admonitio cum summa minori, et inde enatus processus liquidatorius. §. 560. Admonitio cum summa integrali, et effectus ejus. §. 561. Excusatio summam integralem non levantis, et bona non remittentis. §. 562. Aliæ pœnæ reluctantis pignoratarii. §. 563. Sed tantum in pignore vere tali. §. 564. Admonitio cum summa integrali raro adhibetur. §. 565. Peculiaria de impetratione et præscriptione quoad pignus.

§. 559.

Secundus processus Reluitorio-Liquidatorius, in nulla re differt a reluitorio simplici, nisi quod admonitio judicialis cum minori summa trium vel sex florenorum (prout scilicet bona in uno vel pluribus Comitatibus sita sunt) reipsa oblata præcessit, vel jam prius, vel simul cum termini præfixione, ut illam levet pignoratarius, et majorem, idest, inhærentem liquidet. Actio fundatur in 80, 82. 1-mæ, 1655: 52. Probæ eædem quæ in Reluitorio. Effectus non levationis summæ minoris vix alter potest esse, D. 17: 201. quam quod si clarum sit pignus, et lege vetitis tergiversationibus utatur, processum protrahat, in fructibus a tempore admonitionis convincatur Incattus, D. 15: 201. quod item, si postea ædificia ponat, non refundantur (licet ex contractu licuerit ponere) 6-ta Maji. 1806. in causa Bein, verum licite auferantur.

§. 560. Tertius, Reluitorio-Admonitorius vocatur, si cum summa integra est peracta admo-

nitio judicialis, quæ summa reipsa debuit D. 1: p. 1. præ manibus Judicis admonentis esse, et per illum admonitio pignoratario ostendi; præterea, contra successores in pignus recipientis, admonitio debet esse cum communicatione literalium pignoratitiarum in paribus, ad imitationem liquidi debiti 729: 57. ut inde scire possint annos effluxisse.

Actio fundatur in 1-mæ: 80, 82. 638: 29. Ad Actoratum probandum eædem probæ requiruntur, quas supra retulimus, meritum consistit æque in quantitate, localitate, et præterea in reddenda per I. ratione, quare non remiserit cum summa integra admonitus? Si rationem non det, amittit summam inhærentem, D. 15: 201. et gratis redibunt bona, si juris et sangvinis communionem cum impignorante habens vult reluere, Dec. anni 1808. de judiciali pignore idem habet.

§. 561. Excusatio admoniti locum habebit, licet summa pignoratitia tota sit oblata, D. 24: 116. 17: 201. ast meliorationum bonificatio, tantum promissa est in admonitione, quia nec potuit specifice offerri, cum ab æstimatione pendebat, (nisi ad determinatam summam fuerit in contractu restricta) meliorationum vero æstimationem nemo tenetur ante sententiam convictivam admittere; quamvis decisio citata innuat, admonitum debuisse declarare investitiones; eo magis habet locum, si tota summa investita non fuit oblata; si competentia actoratus admoneri curantis non fuit plana, sed dubia; si conditiones non sunt impletæ, D. 2: p. 1. Huc accedere potest: si admonens cum Jurassore Judex Nobilium non habuerit commissionem a Vice-Comite, vel Juratus exmissionem

a Protonotario, vel Judlium et Jurassor non ambo fuerint præsentes in actu admonitionis. Primum illud post 1807. non putatur vulgo necessarium, eo quod Judlium absque exmissione causas etiam judicare possit.

§. 562. Quod si vero pignoratarius litem per proprietarios motam malitiose ad Tabulam Regiam perducat, et pure vexandi studio litem trahat, præter gratuitam boni remissionem, et investitionum amissionem, in altera tanta summa convincitur Matth. D. 6: 25. 2-dæ 24. §. 6. Si quis summam minorem qua admonitus est, levet, et tamen vel non liquidet, vel non remittat bona, evadit violentus, cessavit titulus pignoris. — Integra summa vero levata, et illam perdit, et tantumdem solvit Matth. 6: 25. Si vero levando totam summam, tantum partem remittat, in fructibus retentæ apud se portionis convincetur, D. 11. p. 200. 28: 116. non item in expensis D. 11: 200. cui contrarium innuit 47: p. 146.

§. 563. Qui, penes contractum cameralem possidens, per impetratorem, cum summa integrali admonitus, non remittit bona, non convincitur in amissione summæ, D. 5: 1. hinc argumentari licet etiam pro illo, qui fassione sub privatis sigillis celebrata acquisivit; quia licet talis fassio et contractus cameralis sapiat pignus, non est tamen verum pignus, et non in omnibus imitatur naturam pignoris, prout alias diximus.

§. 564. Cum autem pignoratarius facile inveniat rationes non levatæ summæ integræ, non temere præmittenda est admonitio cum summa integra, quia admonens, apud quem pecunia deponitur, sibi servabit partem vigesimam pro custo-

dia pecuniæ Ul. I. 95: §. 14. 609: 74. §. 14. 658: 51. §. 2. quod nocet succumbenti Actori; si enim triumphet, idest, gratis recipiat bona, libenter cedit 5 procentum Judici, quamvis Matth. 6: 75. Sig. 2: 9. onus tale semper succumbenti imponat, et qui causam dedit depositioni.

§. 565. Licet pignoratarius, aut illius repræsentans, donationem bonis superinduxerit, et puram Statutionem habuerit; quid quod licet cum compossessore proprietario (sive quod cum illo juris communionem habere erronee creditus sit, sive quod de pignore neutri constiterit) novam donationem impetraverit: tamen, non obstante præscriptione et D. 3. p. 32. reluitorio processu proprietario, vigore Tit. 82: 1-mæ, et sensu D. 8. p. 13. remittere, et jus suum donationale extra dominium persequi debet; idem valet etiam (refragante licet et quidem in quæstione juris Tabula R. Pl. p. 218.) de fassione sub privatis sigillis celebrata, Dec. 10. p. 33. eo tantum observato, quod in dictis casibus, processus vel clari et simplicis pignoris, nulla fors probabili ratione coram Tabula R. movendus censeatur, quod item licet pignoratarius, tempore coimpetratæ novæ donationis jus R. latuisse (ut debet) probet, id tamen non ipsi, verum proprietario prodesse videatur, ex eadem ratione possessorii (quod novæ donationi titulum præbuit) nomine alieno exerciti.

§. 566. Processus conditionum pignoris invalidatorius. §. 567. Actio et actoratus. §. 568. Meritum, et exempla conditionum illegalium. §. 569. Legalium. §. 570. De conditionibus pignoris relate ad Fiscum, §. 571. Relate ad ignobiles.

§. 566.

Quartus ad invalidationem conditionum pignoratitiarum. Quamdiu conditiones pignoris, literis pignoratitiis stipulatæ non implentur, eo usque dicti reluitorii processus non habent locum; si vero nolit quis illas implere, vel non possit, vel non debeat, quod sint illegales, processu tabulari debet agere ad invalidationem illarum, et simul ad reluitionem; quia invalidatorios processus alioquin liquidatio sequi solet. Temporis lucrandi causa, contra Dec. 5: p. 11. loco invalidatorii sæpe movetur reluitorius processus ante evolutionem annorum, ut sin prius, certe illis evolutis, immediate meritoria sententia ferri possit. In hoc casu Inhibitorio utendum, vel tempore comparitionis, agendi facultas, ad tempus evolutionis annorum reservanda, sententia nefors contumaciæ per non defendit lata. Mandato cassari, vel intra dominium transmitti curanda. Nam si Judex, Judicatum, Actionem, ejusque titulum (Institutum scilicet) stabiliat, et, evolutis annis sententiam meritoriam ferat, oppositio erit res periculi plena. Multa fiunt præpostere et vitiose, quæ, facta, tolerantur, et lapsu temporis convalescunt. Institutum etiam quod initio litis incompetens erat, potest, durante lite, fieri competens, D. 15: p. 115.

§. 567. Actio fundatur in 58, 59: 1-mæ, et 80, 82: 1-mæ: 655: 52. 16: 1715. et aliis de pignore sonantibus legibus. Est ergo hic processus, ex invalidatorio et reluitorio compositus, et, refragante licet Tab. R. brevis litis, D. 11. p. 51. Si A. contractum producere non possit, sed pignus in ab-

stracto probet, Incattus debebit producere. — Ad actoratum realem debet probari aviticitas bonorum D. 8. pag. 107. quia tantum avita non licet illegalibus conditionibus afficere; licet non desint, qui dicant, etiam acquisitis superinductas conditiones illegales posse per successores invalidari, (licet perennalem fassionem super illis factam non possint oppugnare) quia per pignus non perimitur successio, verum per fassionem perennalem perimitur in acquisitis, ergo si voluit quis pignus celebrare, debuisset leges observare; sic, licet de acquisitis sit fassio sub privatis sigillis celebrata, possunt per successores bona relui, quia nec primus acquisitor potest contra legem facere. Probabilius videtur, conditiones, quæ in perpetuum impossibilem reddunt reluitionem, etiam in pignore per acquisitorem celebrato, posse invalidari, vel (si scilicet absurdæ aut illicitæ sint) seponi, quia non præsumitur pignus celebrare, et tamen reluitionem impossibilem reddere voluisse, quia hæc repugnant. Aliæ vero conditiones, licet illegales implendæ sunt. Præterea: omnia illa probari debent, quæ in reluitoriis processibus ad actoratum requiri diximus, realitas pignoris etc.

§. 568. In merito agetur de rationabilitate, vel irrationabilitate conditionum, localitate etc. Si conditiones sint irrationabiles, invalidatur pignus, idest, quæ vel impossibilem, vel valde difficilem redderent reluitionem, v. gr. 1) Si ultra 52 annos sit oppignoratio, in hoc casu est hæc causa extraserialis, D. 5. p. 9. illegalis vero est hæc conditio, quia tale pignus majus sæpe præjudicium infert, quam perennalis fassio, quæ mortuo

fatente statim potest invalidari, D. 1. p. 105, hinc a dilapidatore præstat titulo pignoris emere ad 32 annos, quam fassione perennali. Licet autem in literis pignoratitiis 32 anni sint obligati, possunt tamen tardius a tempore auctionis levatæ numerandi novi anni 32 obligari, quia auctionalis contractus diversus est a priori, D. 7. p. 106. In dubio, pauciores, quam restabant, anni obligati ab effluxu restantium annorum, plures vero, a dato auctionalium numerandi videntur, ita tamen ne 32 anni a dato auctionalium excedantur. — Verum si tutor obliget annos, talis conditio, non probata per pignoratarium necessitatis causa, coram foro pedaneo, in relutorio processu seponi potest. Annis ultra 32 annos obligatis, ipse quidem contrahens ligatur, sed quoad successores nulli anni censentur esse obligati. Inscriptio pro fidelibus servitiis temporanea potest ultra 32 annos fieri, v. gr. ad dies vitæ alterutrius, Dec. Cur. 16. p. 96. Super avitis tamen prætextu servitiorum pro pecuniis facta ad 32 annos reducitur. Illegalis conditio est etiam 2) Ut bona non possint relui, nisi determinata specie monetæ talis quæ rara est, et difficulter colligitur, licet itaque emtor, proprietario, eam speciem numeraverit, tamen currenti et debiti valoris moneta ipsi satisfieri potest et debet, D. 10: p. 107. D. 1: 150. 3) Ut ante refusionem vel exactionem restantiarum colonorum, non teneatur pignoratarius bona remittere, quia sic sponte accumulari sineret restantias. 4) Si in contractu major summa est scripta, quam revera levavit oppignorans, idque probari possit sensu D. 13: 108. quam tamen conditionem superius plane seponibilem diximus. 5) Ut plures por-

tiones omnes simul debeant relui, præcipue si avita et acquisita, propria et uxorea quis involverit, verum si quis ex pignore majorum ipse reluat plures portiones, et postea oppignoret, aut reluendi facultatem alteri cedat, et cessionarius effective reluat, potuit ita obligare, ut simul debeant relui, Dec. 5: 106. 1802: 21. (prout etiam mera acquisita). Etiam ita facile reluuntur bona colligata per partes, si facto pignoratariorum, ad plures, præcipue extraneos, pervenerunt, sensu Dec. 55: p. 118. 6) Illegalis est etiam conditio, ut, si certo tempore non redemta fuerint, totidem aliis annis non possint relui, aut 7) propria pecunia debeant relui, et non mutuo levata etc.

§. 569. Rationabiles et legales conditiones sunt autem, v. gr. si tempus vel dies reluitioni præfigatur, et non dependeat ab impignorantis voluntate; item: ut mature præmoneri debeat pignoratarius; ut bonum tantum pro usibus familiæ proprietariæ possit recipi; ut ædificia liceat ponere, ut exstirpaturæ ter vel quater seminari possint etc. Invalidatis conditionibus, si Actio etiam ad reluitionem fuit directa, imponitur liquidatio, ut supra etc.

§. 570. Fiscus in donationalibus proprietario succedens, neque legales annos tenetur, extra casum inscriptionis pro fidelibus servitiis per deficientem (non item per notorium) factæ, observare, quia jure proprio venit, non deficientis, nec est hæres propagativus, verum summam investitam debet deponere, quia vi 9: 1715. salvo jure æreque alieno succedit. Licet 26: 1715. aliter sonare videatur; verum intelligendus est summum, de ultimo deficiente, bona, donatione pura pos-

sessa, alienare et onerare volente, præcipue si summa notabilis esset, et alienatio absque necessitate, vel plane contra inhibitionem Fisci fieret.

§. 571. Ignobiles, uti possessorii, ita et conditionis annorum incapaces sunt, ergo coram foro pedaneo seponi possunt illis obligati anni actoratu nobilium, quia ipse oppignorans, qui ignobili oppignoravit, et conditiones obligavit, contra factum proprium agere non poterit.

§. 572. Processus transvestiendi pignoris. §. 573. Quomodo eluditur? §. 574. Quædam de prælatione vicinorum etc. §. 575. Et nonnullis aliis processibus remissive.

§. 572.

Quintus processus ex non facta præmonitione, seu ad transvestitionem conditionum pignoratitiarum, movetur etiam contra pignoratarium (non jam coram Tab. Reg. verum) coram foro pignoris, æque per illos, per quos contra fassionarium moveri diximus, qui scilicet præmoneri debebant. —Fratres enim, superstite oppignorantis linea, pignus ejus reluere non possunt, verum ex non facta præmonitione debent agere.

Actio fundatur in 60: 1-mæ, probari debet aviticitas, juris item et sangvinis communio cum oppignorante, et realitas pignoris. Actoratu stabilito, in merito, de præmonitione, an facta sit, vel fieri debuisset, de localitate, et quantitate, erit sermo, mox de liquidatione. Auctionales contractus durante lite initi, ergo eo magis fassiones, seponentur, Dec. 1. p. 199. 9: 107. an vero quoad annos tantum, vel vero etiam quoad sum-

mam, non dicitur. Appellatur, ut omnis reluitorius, a Sedria et Tabula Districtuali extra dominium, 1807: 9. Feruntur casus condescensioni subjectæ hujus actionis, si amica monitio præcessit, v. gr. Dacso 1783. Csapodi 1813. 4-ta Maji.

§. 573. Si bona, depositis deponendis, reipsa reluantur, adeoque, ut D. 11: p. 107. item 17: p. 114. habet, non simulate, ad proprietarium redeant, etiamsi nefors eidem a quo reluta sunt in arendam dentur, cessat Actio. Ast remissio bonorum, erga obligatoriales super inhærente summa a proprietario accipiendas, et receptio in arendam interusurio æqualem, ad annos ex pignore restantes, aut plures, elusionem sapit. Fors non item si arenda notabiliter major, anni vero arendatitii pauciores essent, nam tantum in bonis indivisis habent fratres præ arendatore prælationem; verum non obstante arendatitio contractu, pignus in collateralem transvestitum esse dicitur, 1803. Somogyi. Etiam cum summæ arendalis capitale ad semel depositum est, contractum in pignus transvestibile degenerasse decisum 26. Aug. 1806. Horváth.

§. 574. Vicini, et feminei sexus homines ante consummatam venditionem debent summam integram offere judicialiter, D. 27: 116. Etiam actualis pignoratarius possessor ex contractu, potest habere jus prælationis, in casum futuræ oppignorationis, quod tamen fassionario reluere volenti obverti non potest, D. 26: 116. In civilibus, aliisque libere emi et vendi solitis fundis, vicinis ex consvetudine competit jus prælationis. Inter plures vicinos nulla prælatio, qui prior tempore potior jure, prout inter fratres ejusdem gra-

dus. D. 9: 95. 47: 149. 5: 105. bona licet indivisa, quæ frater in condivisionalem suum cum omni jure transfert, emtor frater, absque præmonitione vendentis, licet successionem sibi reservantis, potest qualicunque titulo abalienare.

§. 575. Reliqui processus sunt iidem, qui ex contractu quocunque enascuntur, v. g. ad implementum, ad invalidationem ex dolo, fraude etc. vel sepositionem etc.

CAPUT XXIV.

De Locatione et Conductione, Commodato et Deposito.

§. 576. Locatio et conductio. §. 577. Arenda bonorum. §. 578. Processus in genere. §. 579. In specie, ejectionis arendatoris. §. 580. Commodatum. §. 581. Depositum. §. 582. Processus ex deposito.

§. 576.

Locatio et Conductio est contractus onerosus consensualis, quo quis pro certa mercede, et ad certum tempus cedit usum operarum suarum, vel rerum non fungibilium, idest, quarum usus potest haberi, quin consumantur, adeoque loco quarum alia res fungi non potest, quæ itaque, quamdiu possibile est, eædem in specie debent restitui, secus in æquivalenti. Usus autem rei, sive percipiatur, sive non, merces conventa debet præstari, nisi penitus et absolute non possit percipi, v. gr. ob hostem, vel pestem. — Conductor

potest, in regula, rem sublocare, quia est dominus usus. Si locator rem vendat, emtor, vi juris naturalis, per jus nostrum non mutati, debet conditiones locationis observare, quia et venditor debebat, nemo plus juris in alterum transfert, quam ipse habet. Aliqui hoc negant, atque conductori, contra venditorem, Actionem, id quod interest petendi sufficere docent. Si tempus non est determinatum, mature debet pars, quæ contractum continuare non vult, renunciare, secus tacite consensisse videbitur, idest, vel reconduxisse, vel relocasse, si scilicet, elapso termino re utatur conductor, locator vero id fieri sinat.

§. 577. Si bona immobilia locentur et conducantur, vocatur arenda. Si pecora dentur cum rebus immobilibus, illa ex natura contractus censentur immortalia, vocanturque ferrea, et eodem numero, eadem qualitate debent locatori restitui, vel pretium æstimationale deponi, prout aliarum quoque ad instructionem fundi pertinentium rerum, nisi expresse aliter conventum sit, ergo si pereant, non nocet domino, verum arendatori. Hoc vocatur pactum socidæ.

§. 578. Processus sunt: 1) Ad implementum. 2) Ad desumtionem vinculi. 3) Ob fraudem, vel dolum, vel enormem damnificationem potest contractus vel invalidari, vel seponi. — 4) Ad desumtionem damnorum, imitatur naturam debiti. 5) Ad desumtionem census, aut mercedis conventæ, coram Judice debiti. 6) Computualis coram eodem.

§. 579. Si via facti ejiciatur arendator conditiones observans, potest absque solemni processu, via politica reponi intra annum per Vice-Comi-

tem, 22: 1802. 15: 1807. Arenda bonorum, cum non sit venditio, et personali contrahentium qualitati, et adjunctis, mutuæque eorum fiduciæ innitatur, cum morte contrahentis alterutrius, vel invito altero, cessare potest, adeoque si successores locantis arendatorem ejiciant, repositioni, (nisi pretium meliorationum sub spe futuræ utilitatis factarum repetendum habeat) vix est locus; prout versa vice, nec arendatoris vidua, vel orphanæ proles, ad continuandam, restantibus adhuc annis, arendam cogi possunt, sed ab arenda recedentes meliorationum bonificationem petendi jure vix gaudebunt. Ædificia vero absque consensu proprietarii posita, alioquin omnis arendator perdit (nisi fuerint absolute necessaria) 2-da Dec. 1806. Jakabfi.

§. 580. Commodatum est contractus gratuitus realis, quo usus rei non fungibilis alteri datur ea lege, ut post determinatum tempus et usum, eadem in specie restituatur. Si ab arbitrio commodantis pendet, quando velit recipere, est precarium, quod etiam de aliis contractibus, v. gr. locato valet. Incommodato æque ac locato, nec utile dominium transfertur, quia accipiens non habet usum qualemcunque, verum determinatum, idest solitum. Tamen ordinarias expensas et quotidianas debet ferre commodatarius, ut et conductor; extraordinarias vero, in ipsius substantiæ conservationem faciendas commodans et locans portare tenetur. Si rem elapso determinato tempore, in casu vero precarii ne quidem judicialiter admonitus reddat commodatarius, vel conductor, fit violentus; ergo commodans vel locans, finito usu et tempore determinato, via facti etiam

potest recipere rem suam, modo fiat id absque læsione commodatarii, et tumultu.

§. 581. Depositum est contractus, quo res mobilis gratis custodienda datur et suspicitur. Cum id pro mercede fit, opera est locata. Quandocunque potest repeti, et debet restitui depositum, licet tempus præfixum non advenerit, quia non in favorem depositarii, sed deponentis est obligatum, ergo deponentem non ligat. Si adveniat Dominus verus,et probet rem suam esse, illi tenetur depositarius reddere, non deponenti. Depositarius re deposita uti non potest, si vero ex permissione domini utatur, res fungibilis illi peribit casu, factum est mutuum, circa rem non fungibilem vero commodatum.

§. 582. Processus sunt:

1) Ad simplicem restitutionem depositi cum refusione damnorum et expensarum absque alia pœna. Actio fundatur in 28. 715. Currit pro ratione substrati coram Judicibus liquidi debiti cujus naturam imitatur. Processus depositi recentis, id-est, si non sit 32 annorum, a Tabula Districtuali ad Regiam extra, a Judicibus Comitatensibus ad Sedriam intra, inde extra, si vero casus fortuitus circa depositum intervenisse prætendatur, semper intra Dominium appellatur 1729: 29. §. 6.

2) Ad pœnam violentiæ, coram Vice-Comite, si ad præmissam judicialem admonitionem depositum non restituatur. — Fundatur in 658: 28. 1647: 106.

3) Ad pœnam infamiæ et dupli, coram Tabula Regia, si scilicet contra positivam scientiam, pure ex malitia quis et dolo deneget rem alienam. Hæc pœna ideo dictatur, quia qui depositum ita

malitiose denegat, positam in ipso fiduciam deponentis fallit. Gravat depositarium etiam id, si depositum sit miserabile, idest, occasione calamitatis publicæ, v. gr. ob hostium grassationem etc. fidei suæ commendatam rem abneget.

CAPUT XXV.

De Debitis.

§. 583. Debitum activum et passivum, liquidum et illiquidum. §. 584. Mutuum jure naturali, §. 585. Jure hungarico. §. 586. Chartabiancarum requisita. §. 587. Obligationales formales. §. 588. Valuta debiti. §. 589. Interusurium legale. §. 590. Qualiter currit, vel non currit. §. 591. De Hungaro Austriacis, §. 592. Vel Extraneis aliis obligato, §. 593. Et vicissim.

§. 583.

Debitum, quoad illum qui exigendi jus habet, est activum, quoad debitorem vero passivum; ad certam quantitatem reductum, ab ipso debitore recognitum vocatur liquidum; quod vero, debetur quidem, sed quantitas adhuc a determinatione, limitatione, æstimatione, vel computu pendet, nec est recognita per debitorem, illiquidum.

§. 584. 1) Species debiti est mutuum, quod in stricto sensu significat contractum, quo res fungibilis, numero scilicet, mensura item et pondere constans, gratis datur, ea lege, ut post certum tempus in genere restituatur; quia speciei, quam dedit mutuans, fit dominus mutuarius, idest, qui

mutuo accepit, alias non haberet jus consumendi, atqui usus rei talis in consumtione consistit; ergo casu illi perit; secus ac res locata vel commodata. Res illa fungibilis potest esse multiplex, v. gr. frumentum, pecunia etc.

§. 585. Mutuum jure nostro latiori sensu sumitur, et complectitur etiam fœnebrem contractum, quo res fungibilis (idest, cujus loco altera res ejusdem generis æque fungi potest) et in genere suo restituenda, non gratis datur, verum erga mercedem vel fructum aliquem. Sic solet dari potissimum pecunia, vel penes chartabiancam, vel penes formales obligatoriales.

§. 586. Chartabianca, in sensu stricto significat Albam cum nomine debitoris per ipsum scripto, verum ex 57: 1729. requisitum chartabiancarum est, ut datum, idest, tempus et locum emanationis, quantitatem rei mutuo datæ, (seu valutam) nomen dantis, seu dorsaliter, seu intus, manu debitoris annotata præ se ferant; si illa requisita non adsint, debet probari usuroboratio, idest, numeratio pecuniæ, aut quod debitor recognoverit debitum, idest, probari debet partem aliquam capitalis solutam esse, aut interusurium, vel saltem creditorem super illo debito, vel judicialiter, vel amicabiliter, cum communicatione chartabiancæ admonitum esse, etiamsi nihil responderit, verum non negaverit. Conditiones legales in chartabiancas potuerunt per solum creditorem inseri et inscribi, præter interusurium, ut Curia pag. 155. Nr. 8. decidit.

§. 587. Formales obligatoriales sunt, quas per extensum, cum denotatione summæ, nominis dantis, conditionum, debitor scribit et subscribit, si

tantum subscripsit, pro chartabianca habebuntur in dubio. Chartabiancæ, in usu loquendi vulgari, cum formalibus obligatorialibus confunduntur, et re ipsa, si chartabiancæ modo supra dicto sint confectæ, quoad valorem ab illis non differunt.

§. 588. Si in obligatorialibus dicatur v. gr. 100 aureos esse levatos, quin specificetur, quot florenos effecerint, ordinarii intelliguntur, idest Kremniczenses, et quidem, licet ab illo tempore, quo levati sunt, valor aureorum auctus sit, tamen, si solutio ad numerum aureæ monetæ non est obligata, nonnisi juxta priorem numerarium valorem potest debitum exigi, et solvi, in qualicunque specie monetæ currentis, quia valor moralis spectatur, si species et numerus sint in obligatoriis, (vel pignoratitiis) obligata, in specie et numero debent restitui, licet ab illo tempore valor mutatus sit; quia per contractum aleatorium in lucrum et damnum ex publica dispositione vel calamitate oriundum concenserunt, Dec. 50: 117. Si vero numerus et species non sunt obligata, solutio tamen certæ summæ florenorum in auro promissa, valor aureorum ordinariorum tempore solutionis existens observabitur in mutuo. Ast census seu arenda, in certo aureorum numero annue solvenda, secundum currentem ordinariorum tempore contractus (ut praxis ostendit) initi valorem, in currenti monetæ specie solvitur, Dec. Cur. 11: p. 152, quæ quidem, dum currentis valoris meminit, an tempus obligationis vel solutionis intelligat? non attingit.

§. 589. Interusurium legale 6 pro centum, si obligatum est (quod vel per ipsas obligatoriales. 144: 647. vel, licet illæ de interusurio taceant, hu-

mano etiam testimonio probatur) exigi potest, secus non; quia mutuum est contractus stricti juris; plus vero, nequidem titulo doni vel gratificationis 19-na Nov. 1794. sive in pecunia, sive in rebus quibuscunque licet acceptare sub amissione capitalis, cujus tertia pars, Actore Fisco Regio, cedit denuncianti, et probas suppeditanti, 51: 715. 120: 1725. sed ad juramentum non admittendo, duæ tertiæ vero Fisco, quod vero supra 6 pro centum exactum est, damnificato per idem Judicium restituitur. Præter has pœnas, qui plus sibi obligari fecerunt, quam dederunt, actioni fiscali subjiciuntur, 21: 1802. Si loco interusurii labores præstentur, in regula, non cadit sub censuram legis, nisi labores relate ad commune eorum pretium sint nimis enormes. Colonorum præcipue operæ et producta, titulo interusurii valde vili pretio obligata, ad justum valorem reducuntur, 21: 1802. Ast licitus est contractus societatis quæstus causa initus, ut unus v. gr. operam, alter pecuniam det, maneatque dominus pecuniæ, adeoque casu illi pereat, lucrum commune sit, vel ita dividatur, prout convenire potuerunt. Eadem est ratio, si usus rei in specie restituendæ, adeoque, casus non accipienti, verum danti perituræ, detur. Merces quantacunque non erit injusta.

§. 590. Si non est obligatum interusurium, videndum an tempus solvendo præfixum sit? si est, post illud tempus currit interusurium in liquido debito, (non item in illiquido) si non est, post admonitionem judiciariam curret, D. 7: 155. 16: 156. vel a tempore motæ litis, idest, citationis, si admonitio non præcessit, Dec. 9-na Sept. 1796. Klempa. Si creditor post mortem debito-

ris diu sinat accumulari interesse, quin illud a successore ejus exigat, non adjudicabitur, licet obligatum sit, quia debuisset mature petere. Imo, si non est obligatum interusurium, a successore debitoris licet admonito, vel lite convento non facile poterit exigi, quia habuit sufficientem litigandi, et non solvendi causam, quamdiu non capacitatur, se debere, hoc fit in lite. — Idem valet de debitis obscuris, et juramento probandis Dec. Cur. 26: 158. Si creditor, præcipue solutionem urgens, aut suo tempore judicialiter oblatam pecuniam, D. 5: 154. vel res mobiles sufficientes non acceptet absque legali ratione, cessat interusurium, et pecunia apud Judicem manet, ut et mobilia, Judex creditori partem vigesimam subtrahet, Dec. 20: 157. Interusurii, computu facto in capitale conversi interusurium potest currere, habebitur solutum, et elocatum.

§. 591. Hungari vi articuli 17: 1792. coram foro extraneo debent juri stare, et convinci possunt ibidem, et si fundus ibi non suppetat, Hungarus Judex, penes compassuales Judicis extranei medio Cancellariæ Hung. expediendas, debebit executionem ex bonis debitoris in Hungaria existentibus peragere in sequentibus casibus:

1) Si Hungarus literis cambialibus se directe judicio cambiali extraneo, in hæreditariis tamen Ditionibus austriacis existenti, subjiciat. 2) Licet se expresse non subjiciat, tamen promiserit se in loco in exteris Suæ Majestatis Provinciis sito soluturum. 3) Si societatem cum mercatoribus extraneis ad judicium cambiale pertinentibus fecerit, et ex contractu illo lis emergat. 4) Si simplex quidem mutuum contraxerit, ast se ex-

presse extraneo foro subjecerit. Verum 1) Obligationes debent esse, quæ etiam coram foro Hungarico valerent, v. gr. non minorennium vel sub patria potestate existentium, et nihil adhuc proprietatis habentium. 2) Si tempore executionis aliquis jus suum cum fundamento insinuet, aut obligationis illegitimitatem prætendat, creditor, coram Judice exequente cautionem debebit præstare, et obligationem in se assumere, quod in casum, si coram Judice procedente nullitas obligationis probetur, vel jus alterius coram ordinariis Regni Judiciis, ex prioritate, sive ex ætate debiti, sive ex Intabulatione, aut aliter quomodocunque doceatur, satisfacturus sit. 3) Etiam bona taliter executa pignus judiciale sapient, et nobilitares fundi quandocunque, civiles vero intra annum et diem relui poterunt. 4) Oppositio quoque locum habebit, si coram exequente Judice error in re vel persona probari possit: non ergo ob alias rationes, et tantum ibi, ubi moris et juris est; non ergo inter cives. 5) Citatio medio Decreti Cancellariæ Hungaricæ ad Comitatum, in quo debitor residet, dirigi, et per Comitatum exhibitio procurari debet: eodem modo peragitur executio.

§. 592. Præter dictos casus semper coram foro Hungarico debet Hungarus intuitu debiti per extraneum conveniri etiam per creditorem in ditionibus hæreditariis habitantem. Ad alios vero, utpote non in hæreditariis Ditionibus habitantes, nec illi 4 dicti casus pertinent. Observandum adhuc, extraneos tantum propria debita posse quærere contra Hungaros, sive extra, sive intra Regnum, non emta, quæ scilicet Hungarus Hungaro debu-

erat, secus tam emtor, quam venditor perdit debitum, 41: 1662.

§. 593. Si Hungarus habeat debitorem in Austriacis Ditionibus, qui solutionem in Hungaria pollicitus est, vel se foro Hungarico subjecit, contra illum, vi ejusdem 17: 1792. in Hungaria ferri deberet sententia per illud forum, cui se subjecit, et penes compassuales, per Judicem in aliis hæreditariis Ditionibus existentem, executioni dari, si fundum in Hungaria debitor non habeat. — In aliis casibus, coram suo proprio Judice debet contra illum agi, uti etiam contra eum, qui non in Austriacis Ditionibus habitat. — Potest etiam ad Suam Majestatem, medio Consilii Locumtenentialis, per suplicem libellum, — cum adnexis in authentico Transumto documentis, realitatem debiti evincentibus recursus sumi, et sua Majestas, si debitor in suis Ditionibus nihil habeat, alium Regem, vel Rempublicam pro justitia administranda, interpellabit.

§. 594. Debitum Auszugale, §. 595. Indebite soluti, §. 596. Rationarium. §. 597. Aliæ species debitorum. §. 598. Fidejussor differt ab expromissore. §. 599. Fidejussoris obligatio, ubi habet locum, et quæ est? §. 600. Jura ejusdem. §. 601. Modus contra eum procedendi.

§. 594.

Secunda species debitorum Debitum Auszugale, quod extrahitur ex libro mercantili 1723: 55. qui ita debet esse comparatus, ut omnia debita et credita mercatoris ad quæstum suum pertinentia cum specificatione acceptarum, vel data-

rum mercium cum quibus quæstum exercere solet, pretii item et anni, diei, mensis demonstret. Extractus etiam seu Auszug debet singillative speciem mercium cum pretio, item annum, diem, mensem præ se ferre. Si debitor extractum quandocunque subscribat, debitum via liquidi desumetur, cessat nomen Auszugalis debiti. Si vero non subscribat intra annum, vel sponte, vel requisitus, medio Notarii, vel alterius fide dignæ personæ, penes testimonium prædictorum requirentium, et penes Auszug per ipsos cum libro collatum, movetur Auszugalis processus. — Auszug semiplenam probam faciet, quæ juramento per mercatorem supplebitur. Si mercator extractum tempestive conferri et offerri curare neglexit, in judicio etiam librum mercantilem producere debet, qui si formiter et rite confectus inveniatur, idest rasionibus, cancellationibus careat etc. 2-dæ: 17. semiplenam probam faciet, et juramento mercatoris supplebitur, si vero vitiosus invenietur vel mercator antea jam fallimentarius, seu facultatibus lapsus fuit, et innocentia bonaque fides ejus non prodivit, ad ordinarias probas relegabitur, idest, ut probet per testes, vel aliter, nec admittetur ad juramentum suppletorium.

§. 595. Tertia species est indebite solutum, quod illi solutum est ex errore, cui non debebatur, et quod ille refundere obligatur. Si vero, sensu 1729: 57. §. fin. judicialiter est admonitus cum communicatione talis documenti, unde scire potuisset sibi indebite solutum esse, etiam in interusurio et expensis convincitur coram Judice debiti, actione in 1-mæ 71. 2-dæ 71. 17: 1552.

Prol. 5: 1725. 42: 8, 7. fundata. Idem valet de dono, si error sit in persona, non item de contractibus onerosis. Etiam pupillus contractum per se non necessario et inutiliter debitum, absque consensu tutoris vel curatoris indebite solvet, l-ma 126. etc. non item unus hæredum, vel (licet non in solidum) coobligatorum.

§. 596. Quarta species sunt debita, quæ ex rationibus resultant. Omnis, qui rationibus dandis obnoxius est, tenetur quolibet anno rationes dare, 1715: 57. omnis, qui rationes non potest, vel non vult dare, comprehendi potest, licet sit nobilis 20: 1554. Matth. 6: 33. 1622: 65. omnis, quicunque se in erogationes et perceptiones ingerit, facit se rationibus obnoxium, 20: 1554. 65: 1725. 57: 1715. nominatim: Officiales Comitatuum, Civitatum, Oppidorum, Villarum ac Possessionum, item Dominorum terrestrium, rationes dare tenentur. Comitatus debet rationes exigere a suis Officialibus, qui si illas præsentent et Magistratus intra bimestre non censuret, interim Officialis moriatur, damnum emergens non successores illius, verum Migistratus solvet, hoc valet etiam de Civitatibus 65: 1725. quarum Officiales in præsentia Nobilium in Civitate domos habentium tenentur rationes suas dare, si illi invitati comparere velint 77: 1715. Quoad Oppidanos et Pagenses seu Villanos Judices Dominus terrestris debet invigilare, ut de publicis proventibus rationes dent, si dominus terrestris negligat, Comitatus debet exigere. Supremi ac Vice-Comites, Judices item Civitatum et Oppidorum non possunt proventus publicos ad suas utilitates convertere, aut damnosas et inutiles erogationes facere. Si quis

tamen illos injuste detulerit, et illorum innocentia ex rationibus prodiverit, in minoribus quidem convincitur accusator quoad singulos accusatos in 100 fl. in majoris momenti rebus vero in pœna talionis, eadem scilicet, quæ Magistratuales accusatos mansisset, si accusatio fundata fuisset, 9: 1567.

§. 597. Possunt etiam aliæ species debitorum dari v. gr. ex pretio rei emtæ, ex dono, fundatione pro publicis institutis. Promissum cadit in debitum, S. Steph. 2: 45. Factæ pro publico fundationes per neminem possunt condonari, sed invalidare non est impossibile, v. gr. ex errore, si quis notabilem, quam ignorabat, jacturam passus est etc. Inchoato ex voto operi immortuus, censetur successores obligare, secus non.

§. 598. Qui debitoris obligationem in se assumit, in dubio, est fidejussor, et debitor accessorius, non vero expromissor, cujus obligatio prioris obligationem tollit, nisi per creditorem, semet obligandi incapax per errorem esset acceptatus.

§. 599. In capitalibus fidejussio nunquam habet locum; nec in aliis ad pœnam corporis afflictivam tendentibus, præterquam ratione damnorum et sequelarum delicti sub æstimationem cadentium, quæ assumi possunt per fidejussorem, si tamen ratione personæ in levioribus criminibus, (v. gr. furtis) admittatur, et delinquens fugiat, fidejussor pœna pecuniaria obligata, vel pro arbitrio Judicis, puniendus erit. — Si principalis debitoris obligatio, non ex defectu personalis qualitatis, v. gr. ætatis in debitore requisitæ, verum aliunde sit nulla, aut valida quidem, verum per creditorem debitori remissa,

aut debitor satifaciat vel satisfacere possit, fidejussor non tenetur, ergo primo executioni subjici debet principalis debitor, si apud illum non sit fundus, convincitur fidejussor, etiam in interusurio capitalis, si principalis debitor illo tenebatur, ast qui de damno tantum fide jussit, lucrum cessans non præstat. Si plures debitores vel fidejussores se in solidum non obligarunt (idest, unus pro omnibus, et omnes pro uno) quilibet tantum partem tenebitur præstare, vinculum tamen remunerationis, pro servitio duobus obligato, sed uni tantum præstito, per duos obligatum, refragante Tabula R. Pl. 214. totum in uno desumsit D. 7. p. 151.

§. 600. Fidejussor, si videat debitoris res inclinare, sequestrum contra illum petet, si terminus solutionis nondum advenit, si vero nullus fuit præfixus, judicialiter potest admonere creditorem, ut festinet exigere suam prætensionem, qui si in mora fuerit, fidejussor, in casum defectus fundi, si is post admonitionem enascatur, etiamsi fidejussio ad certum terminum restricta non sit, liberatur a sua obligatione. Si vero satisfecit, etiam quoad sumtus et damna habet regressum contra debitorem, ad meliorem fortunam eluctatum, quoad totum, quamvis creditor in gratiam ejus aliquid condonaverit.

§. 601. Fidejussor coram suo Judice debet conveniri, postquam principalis debitor excussus est, secus accessorie, causa compendii expensarum, absque pœna calumniæ potest et solet eadem lite, et ad eundem (licet alias incompetentem) Judicem citari, quo principalis debitor conventus est, verum nonnisi in tantum feretur contra ipsum

sententia, in quantum principalis debitor solvendo impar fuerit.

§. 602. Processus debiti per quem, et contra quem movetur? §. 603. Quo foro? §. 604. Modus Actionum adornandi. §. 605. Modus probandi. §. 606. Aliæ observationes meritoriæ. §. 607. Expensæ. §. 608. Modus exequendi §. 609. Continuatur.

§. 602.

Processus ex materia debitorum enascuntur:

Processus debiti. Movetur per creditorem, ejus successorem, legatarium vel cessionarium, contra debitorem, expromissorem, fidejussorem, illorum successorem, v. gr. hæredem vel (in defectu fundi apud eum) etiam legatarium, aut secus in jura et obligationes eorum transeuntem 1-mæ: 82. 105: 1647. sic: propter debita patris, omnes ejus successores indivisi, imo, si specialis, vel selectiva hypotheca non sit obligata, etiam divisi citandi sunt. In casu cessionis titulo oneroso factæ, movetur per cessionarium contra cedentem, fundo apud debitorem deficiente, si evictio obligata est (aut debitum est irreale) secus non; nam qui alicujus obligatoriales reales acceptat, factus est creditor ejus. Propter pretium rei venditæ, movetur contra emtorem, non contra illum cui ille vendidit, etiamsi ipsi non sit solutum D. 29: 159. si apud ipsum non sit securitas, contra emtorem inhibitione utendum, ne venditori solvat.

§. 603. Defluit contra nobiles et libertinos, nisi aliter sit conventum, a minimia summa usque 3000 coram Judice Nobilium. Supra 200 usque 12000

coram Vice-Comite, a' summa 1000 Rflor. inclusive Dec. 5: p. 154. usque indefinitum coram Tabulą Districtuali 28: 1715. 51: 1723. 55, 44: 1729. Etiam infra 1000 fl. coram Tab. Districtuali defluit in duobus casibus: 1) Si generalis hypotheca expresse, vel optionalis esset obligata, et debitor in diversis Comitatibus portiunculas haberet, quarum nulla pro fundo executionis sufficeret. 2) Si in pluribus Comitatibus existentes portiunculas, pro fundo seorsive non sufficientes, pro speciali hypotheca denominasset: et hoc ideo, ne, Judice Comitatensi exequi nequeunte, compassualibus opus sit 1725: 31. §. 8. Ubi id ipsum observari jubetur in debitis, quod in §. 6, et 7. de divisione dicebatur. Sæpe vi statuti, usque 100 fl. Jurassor solus summario processu procedere potest, ne expensæ ipsam sortem excedant.

§. 604. Actio debiti fundatur in Matth. 6: 17. Ulad. 1: 38. 51: 1659. Si interusurium etiam prætenditur, in 144: 1647. Ad pœnam calumniæ effugiendam inseri solet hæc cautio seu clausula justificatoria: defalcatis defalcandis, imputatis imputandis, ne scilicet prætendere videatur A. id quod nefors jam solutum esset. — Communicari solent tempore citationis cum Incatto paria obligatorialium, cum lecta Judicis, nisi admonitio judicialis, æque cum communicatione earum præcesserit, v. gr. contra successores debitoris. Si tamen obligatorialium paria cum citatione non transmitterentur, propterea Actio non condescendit; prout nec institutum debiti debet eo solo prætextu ruere, quod computuali agendum fuisset.

§. 605. Probatur realitas debiti per obligato-

riales, vel chartabiancas, aut, 55: 1625. humano testimonio, imo etiam contraquietantia, idest, recognitione debitoris super eo, quod solverit intet- usurium. — Chartabiancæ quales esse debeant, et quomodo per illas probetur debitum, visum supra. Obligatoriales etiam tales esse debent, ut tempus, locus, nomina rite adnotata sint, et omnis cancellatio, rasio, correctio absit, vel per subscribentem recognita sit; quia si talibus defectibus laborent obligatoriales, non sufficiunt ad debitum probandum nisi usuroboratio, idest, vel effectiva numeratio pecuniæ probetur, vel aliter recognitum sit, v. gr. per solutionem interusurii, aut partis capitalis. Imo licet numeratio probetur, et interusurium obligatum sit, tamen si dies emansit, pro mense quo emanavit obligatio, si mensis emansit, pro anno, quo emanavit, non currit. Si annus emansit, nullum interusurium currit licet obligatum sit, nisi hoc omne aliunde constet; potest etiam juramento Actoris committi, præcipue si tantum de mense et die quæratur, et alias obligatorialis pro valida agnoscatur. Si Incattus scripturam suam esse negare sustineat, et ejus esse aliunde probetur, vel numeratio doceatur, criminali actioni subjiciendus erit. Si vero obligatoriales, aut chartabiancæ D. 12: p. 155. omni exceptione majores sint quoad formam externam, in regula probatur illis debitum, si incattus nullas probas adferat non numeratæ pecuniæ, sensu Dec. 12: p. 155. vel non tantæ, quanta est inscripta; si adfert, videndum an A. præter obligatoriales aliquam probam, licet semiplenam, habeat pro numeratione: si habet, supplebit juramento: si non habet, I. se purgabit juramento, semiple-

ne scilicet probans, aut valde gravem præsumtionem movens non numeratæ pecuniæ, et is, qui in facto proprio versatur, uti alias videbimus; secus A. supplebit juramento, idest, si Incattus versetur in facto alieno, Actor vero in proprio. Hac ætate, propter frequentes imposturas, sæpe imponitur Actori proba numerationis, vel valutae, idest, quod naturalia convento pretio dederit.

§. 606. Si obligatoriales inter conjuges confectæ sint, contra successores obligantis conjugis, in regula numeratio debet probari, D. 5. p. 98. — Incattus præexistentiam quietantiæ super solutione probans, juramento accedente absolvetur. Intabulatio probam debiti non facit, sed desiderat. Sæpe si quis non contra levantem agat, debet probare versionem, v. gr. in usus pupilli, Ecclesiæ, Communitatis, nisi, ut. D. 28. p. 158. habet, sub sigillo publico sit levata pecunia, et Senatores subscripserint, ad quos tamen, si non in usus publicos expenderint, regressum habet communitas. Successores debitoris ultra vires successionis non obligantur 1-mæ: 82. §. 10. D. 25: 158. hinc filius, patris nihil relinquentis debita non tenetur ex revindicatis per se bonis, quæ antenati alienaverant, solvere; sed ex bonis, in quibus pater debitor collaterali suo successit, licet illa, propter jus viduale, vita sua comite apprehendere is non potuerat, tenetur; prout mercator, merces communes absque inventario apprehendens, et distrahens, debita defuncti sui socii solvere debet Dec. p. 170. Uxor, quæ se coobligavit quidem, verum non in solidum, tantum medietatem tenetur ex proprio solvere (ut etiam proles ejus ex bonis maternis) nisi tardius totum in se assumserit

Dec. 4: 154. Hæc valent et de marito se coobligante D. 6: p. 103. Quod vero obligationes seu debita solius mariti nobilis (secus quam civis vel coloni) non tantum successionem vidualem vel conjugalem, verum etiam coacquisitionem uxoream absorbere possint, alias dictum est.

§. 607. Incattus in debiti liquidi (non semper vero in illiquidi) processu convictus, expensas actoreas per judicem limitandas refundit 31: 1659. secus esset, si A. solutionem oblatam sine justa ratione non acceptaret, D. 3. p. 154. Actor vero, licet succumbat, tamen expensas Incatti non refundit, nisi prorsus vexæ causa litigaverit absque fundamento, v. gr. capacitatus per quietantias super soluto debito, tamen non destitit litem persequi, D. 21, 22, 23: p. 157. Tab. R. etiam præter dictos casus convincit Actorem succumbentem in expensis Pl. 225.

§. 608. Tempore executionis, si pecunia non adsit, id creditori adsignatur, quod specialiter obligatum erat, ea æstimatione, ut per 6 pro centum interusurium totalis summæ convictivæ in puro lucro reddat. Si nihil est obligatum specialiter, verum selectivam sibi creditor stipulatus est, ille denominat fundum. Si nec specialis hypotheca, nec selectiva est obligata, nec pecuniam potest, vel vult dare debitor: vi 31: 1659. 32: 1723. immobilis fundus deberet executioni subjici pro debitis, illis non existentibus res mobiles fructuosæ secundum justum et verum illarum valorem; verum cum idem 32: 1723. convicto det denominandi facultatem, is, licet habeat immobiles fundos, tamen sæpe mobiles et quidem non fructuo-

sos, et in pecuniam non facile convertibiles denominat.

Si triumphans denominato fundo contentus est, debet Judex eidem assignare, secus licet Judex sufficientem agnoscat, tamen non illum, verum ab Actore triumphante denominatum fundum debet subjicere executioni, quem si debitor exequi non patietur, ad dandam oppositionis rationem citari debebit, in illo processu dijudicabitur, an res vel fundi per debitorem denominati sufficientes fuerint vel minus? Si debitor fundum vel sponte assignatum, vel in executionem assumtum evincere, prout debet D. 4: 25. non possit, incipit interusurium currere D. 18. p. 157. cui quidem Tab. R. refragabatur, eo quod interusurium originaliter non erat obligatum Pl. 214. In bonis fidei commissis, v. gr. Majoratus, vel Ecclesiarum pro debitis majoresconis vel beneficiati prius res mobiles, deinde fructus bonorum immobilium sequestratorum sumuntur in executionem, (pro vitæ mediis parte aliqua bonorum personæ spirituali, relicta) 45: 2-dæ.

§. 609. Si bona sub exequentis Judicis jurisdictione sita non sufficiant, ad alium Judicem, sub cujus jurisdictione bona adhuc adsunt, debent compassuales mitti cum convictiva sententia, et ille exequetur, cui si debitor opponat, coram illo debebit oppositionis rationes dare. Si debitor citatus, ante terminum migret in alium Comitatum, et non compareat, atque in illo, ex quo migravit Comitatu, bona non habeat, penes compassuales executioni subjicietur in contumacia convictus. Nobilis convicti res mobiles in Civitate existentes, Judex ejusdem Comitatus, in quo Civi-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

tas sita est, et coram quo convictus est, præsente tamen aliquo ex parte Civitatis exequetur (quod si Civitas non admitteret, ipso facto ad bona Civitatis dirigitur executio, 93: 1647. præter pœnam violentiæ in Civitate, vigore 1647. 78: §. 17. 20. desumendam) fundos vero civiles Magistratus civicus, penes compassuales. Si convictus rem illam, quam ab A. emerat, et in cujus pretio convictus est, vellet pro fundo denominare, id, vel non admittitur, prout Tab. S. D. 24: p. 158. contra Tab. R. Pl. 215. decidit, vel si admittitur, aut admitti debeat, eo quod specialiter sit obligata, aut non sit alter fundus, res illa non tanto pretio, quo vendita erat, verum secundum æstimationem potest acceptari, prout tempore executionis reperta est Dec. 55: p. 160. ita tamen, ne venditor ex diminuto pecuniæ valore, et inde enata majori æstimatione detrimentum capiat, et pro re propria supersolvere debeat. Processus debiti, infra 12000 fl. appellatur extra, supra vero intra Dominium. Si convictus debitor prorsus nullum fundum habeat, unde plene satisfieri possit, in actione petita persona illius adjudicatur et traditur Actori, et erit illius servus, qui post 15 dies dimittitur juramento adstrictus, ut quidquid mendicando aut quomodocunque acquisiturus est, ejus certam partem creditori ferat, quam fidem si fallat, capietur, et usque satisfactionem ad serviendum cogetur. Idem valet etiam de damnis, D. 5: 125. 28: 5-tiæ, et birsagiis 63: 2-dæ. Hac ætate, solutioni, vel non turbandæ executioni sententiæ uno vel altero juris termino ferendæ, vinculo eodem Judice exequendo, vel plane licitatione obligata cavetur.

quidquod vi contractus, debitum, via Repositionis desumitur.

§. 610. Concursualis processus. §. 611. Per quem levatur? §. 612. Restitutis ex massa rebus alienis, §. 613. In primam classem onera privilegiata ponuntur. §. 614. In secundam rite intabulati creditores. §. 615. Non intabulati in tertiam. §. 616. Prout et vitiose intabulati, et dos contractualis. §. 617. Qui veniunt in quartam classem? §. 618. Jus prælationis absque falcidia. §. 619. Quid juris inter pares creditores?

§. 610.

Secundus processus est: Concursualis, vel Convocatorius, cum scilicet plures creditores contra debitorem concurrunt, vel 1) ab ipso debitore, aut ejus hærede, judicialiter citati; vel vero 2) ad terminum edictalem, per Consilium Locumtenentiale præfixum, et publicatum, quod potest fieri, vel debitore sponte sua semet solvendo imparem magistratui denunciante, vel etiam illo invito, si scilicet, per plures creditores impetitus, statum suum activum et passivum, per Magistratum, ad petitionem creditorum, pandere jussus, id facere nolit, aut pandat quidem, ast creditoribus exsolvendis impar inventus fuerit, nec de solutione cavere possit.

§. 611. In priori casu, levatur causa per ipsum debitorem, in posteriori æque per ipsum debitorem se pro insolvente declarantem, aut vero per defensorem massæ seu curatorem litis per Magistratum constitutum, vel nomine suo, vel nomine curatoris bonorum, viri scilicet illius, qui

pariter per Magistratum cum consensu creditorum qui adfuerint, fine eo constitutus est, ut bona debitoris omnia immediate post denunciatum, vel per judicem declaratum fallimentum, per exmissos ex Magistratu conscripta et æstimata, erga rationes dandas administret, et si postea per creditores confirmatus fuerit, usque finem litis conservet, ni fors, eadem creditores, votis majoribus, (relate ad non intabulatos et non privilegiatos, non a numero, verum a prætensionum quantitate pedentibus) publica auctione distrahere consultius putarent. Potest etiam levari causa per creditores, qui concursum publicari petierunt. Loco actionalis libelli, testimoniique super exhibitione parium ejusdem, provocantur in levata, eique adnectuntur: Instrumenta, quibus vel denunciatum vel declaratum est fallimentum, (extractus scilicet protocolli) decretum item, quo edictalis terminus præfixus est, quoad illos scilicet creditores, qui non sunt intabulati; nam qui intabulati vel per debitorem revelati sunt, peculiariter et singillative debebant citari, prout etiam debitor, qui necessario stare debet in lite. Adnectitur porro conscriptio massæ debitoris, in cujus complementum, in Levata petitur debitor adstringi, ad uberiorem facultatum suarum sub juramento revelationem, et fallimenti causas legitimandas, (quod quidem unus quisque creditorum petendi jus habet) prout etiam creditores ad comparendum, et suas quisque prætensiones liquidandas provocantur, quamvis, cum notis, aut advenientibus creditoribus, etiam ante Levatam liquidare poterat defensor massæ, quam dein liquidationem, post levatam, judicio et reliquis creditoribus præsentabit.

§. 612. Curatore litis per liquidationem cum singulis creditoribus factam, officio suo defungente, creditores, quorum prætensiones reales esse Judex adinvenerit, inter se de ordine exsolutionis agent, cujus judicialiter stabiliti, ratio habebitur, postquam prius omnes res alienæ, in bonis et manibus debitoris existentes, ut sunt: allatura uxorea, res furto vel violenter per debitorem ablatæ aut detentæ, fidei, vel fine distractionis debitori commissæ, depositæ, commodatæ, locatæ et conductæ, (v. gr. bona in arenda apud debitorem existentia, una cum pecoribus, aliisque rebus mobilibus ad instrumentum fundi pertinentibus) vel in natura, si exstent, vel in æquivalenti, si scilicet absque consensu Domini consumtæ sint, suis dominis restitutæ fuerint.

§. 615. In primam classem veniunt itaque vigore Dec. Cur. 56: p. 160. et praxis, onera natura sua privilegiata, ut sunt: onera publica et contributionalia, dos legalis, merces Medici et Chirurgi debitorem curantium, merces item, iis, uno anno a concursu retro numerando debita, qui fallimentario, velut uni domino vel hero serviebant, pretium porro medicinæ, pariter ultimi anni, expensæ funebres, in exequias debitoris uxorisque ejus et prolium, ante concursum quidem omnes, postea vero factæ, tantum necessariæ, item in conscriptionem, conservationem et defensionem massæ factæ, adeoque curatoris et defensoris ejusdem, prout etiam conscribentium honorarium, merces fumarii pro ultimo anno, et quidem hæc omnia, si publica onera exceperis, nulla habita prioritatis ratione, adeoque defectu fundi subversante, cum proportionata jactura. —

Capitali piarum fundationum obæratis elocata (nisi intabulata sint) ad hanc classem poni non possunt, si pereant, est regressus ad incaute elocantes.

§. 614. Tunc demum sequuntur creditores proprie ita dicti, juxta antiquitatem intabulationis, qui vero eodem tempore sunt intabulati, v. gr. in Comitatibus, sub eadem, et qualicunque, sive generali, sive particulari, licet pluribus diebus continuative celebrata Congregatione, aut sub eadem Sedriali Sessione, in Civitatibus vero sub eadem Sessione Magistratus, quoad loca, ad Districtus, separatas portas habentes, pertinentia, pariter sub eadem Sessione vel Congregatione, inter illos antiquitas numeratæ pecuniæ, vel secus contracti debiti spectatur, D. 15: 156. 36: p. 160. Peractam vero in particulari Congregatione publicationem et intabulationem, nonnisi a subsequa generali Congregatione, in qua referetur, vigorem habituram, erronee dicitur, quia 107: 1725. in Comitatibus vult peragi intabulationem, non in Congregationibus; et finis intabulationis non is est, ut tempore intabulationis innotescat illis omnibus, quorum interest, et aliquando intererit (quia hoc est impossibile, eo fine nec publicatio in singulis Monarchiæ locis sufficeret) verum ut ex archivo innotescat. Fine autem intabulationis, (prout etiam extabulationis) originales obligatoriales in copia ad Archivum reponendæ, publico præsentari debent.

§. 615. Post intabulatos veniunt simplices chirographarii, idest, creditores non intabulati, juxta ætatem non emanationis obligatoralium, verum vi D. 15: p. 156. creditæ pecuniæ, adeoque

nullo habito ad id respectu, quod aliqui ex ipsis generalem, optionalem vel specialem hypothecam habeant; his enim non obstantibus, is erit potior jure, qui prior est tempore, quia illæ non contra creditores, verum contra ipsum debitorem sunt adjectæ, specialis vero etiam contra emtores, et contra illos valent, quia lex nostra inter creditores, præter intabulationem, inter non intabulatos, vel eodem tempore intabulatos vero præter numerationis tempus, nullam prioritatem agnoscit. — Specialem hypothecam tamen, et simul, prioritatis jus habens creditor, prout jus habet illam vindicandi, ita non potest ab illa, si nefors infirmi juris sit, invitis aliis creditoribus recedere, et in præjudicium creditorum, ex aliis bonis debitoris sibi satisfactionem petere, verum ad debitorem ipsi regressus in salvo est. — Si vero specialis hypotheca, vel insufficiens, vel superflua esset, prius quidem creditori hypothecario, posterius vero creditoribus aliis fraudi esse non debet.

§. 616. Ad simplices chirographarios referuntur etiam vitiose intabulati, v. gr. in Sedibus dominalibus, vel Oppidis privilegiatis, Comitatus jurisdictioni subjacentibus, D. 55. p. 160. vel post mortem (concurs. Szalai 15. Mart. 1798.) aut fugam debitoris, cum jam lapsus ejus ad publicam notitiam devenit, aut postquam denunciatum, vel per Magistratum agnitum est fallimentum, per quod bona ejus creditorum facta sunt, tum enim, et non post publicationem in Regno factam, quæ apud diversas Jurisdictiones diversissimo tempore fieri solet, (et prout res nostræ sunt) debet, apertus est concursus, ita, ut jam nec executiones

contra debitorem valide fieri, nec is quidquam alienare, vel solvere cuiquam possit. Eodem refertur etiam dos scripta vel contrados non intabulata.

§. 617. Postea sequuntur auszugalistæ non privilegiati et non intabulati, et qui damna non intabulata prætendenda habent, et demum titulo lucrativo venientes, quorum scilicet prætensio ex mera debitoris liberalitate fluit, v. gr. donatarii, legatarii. Hi omnes, si plures ejusdem speciei fuerint, præter Auszugalistas ordine retrogrado exsolvendos, secundum ætatem prætensionum suarum.

§. 618. Jure ergo nostro locum non habet, vel pactum præjudiciale, vi cujus creditores ad relaxandam prætensionum suarum partem teneantur, vel crida, ut singuli creditorum proprietalium, aliquid perderent, et massa proportione inter illos divideretur, verum qui jus prioritatis habet, ex integro (adeoque cum interusurio, D. 1. p. 154. quod etiam sub concursu currit) absque tamen expensis (20. Mart. 1805. causa Hajberger) exsolvitur, etiamsi reliquis nihil maneat.

§. 619. Nisi creditores ii essent, inter quos nulla ratione posset prioritas determinari, v. gr. eodem tempore contraxerunt vel numerarunt, eodem tempore sunt intabulati, ex his quilibet deberet perdere, si fundus omnibus exsolvendis non sufficeret. Si quis tamen illorum ante concursum apertum, bona debitoris omnia pro se solo exequi, vel secus per debitorem sibi tradi fecerit, reliqui nihil accipient: etiam si sententias anteriores pro se haberent, quæ fors ut D. 15. p. 156. aliquid deferatur, in pari ceterum causa, (si scilicet nullus apprehendit bona, vel nemo sit intabulatus, vel fors omnes eodem tempore et numerave-

rint, et sint intabulati) usui esse possent; quia inter pares, qui prior tempore, potior est jure, et melior est conditio possidentis.

§. 620. An intabulatio sola prælationem det præ creditoribus post illam exsolutis, aut bona debitoris ementibus, — §. 621. Prout aliqui docent. §. 622. Et specialem hypothecam superfluam reddunt, sicque in difficultates incidunt, §. 623. Quamvis inter mobilia et immobilia distingvendo illa valide distrahi non item hæc doceant. §. 624. Decisio quam allegant, contra ipsos militat. §. 625. Res debitori fide pretii habita incaute venditæ antiquioribus creditoribus prosunt. §. 626. Malæ fidei debitoris solvere nequeuntis pœna. §. 627. Creditores non concurrentes.

§. 620.

Intabulatio, licet antiquior, contra emtores (etiam si ex creditoribus factos) post intabulationem bona debitoris, sive mobilia, sive immobilia reipsa ingressos, sicque sibi satisfactionem procurantes, tam parum valere videtur, quam contra creditores posteriores quidem, verum per debitorem jam exsolutos; nisi specialis hypotheca fuerit obligata, et vel intabulatio, vel, contra specialem hypothecam emere volentes Inhibitio judicialis præcesserit.

§. 621. Sunt qui (obscure quidem et ambigue) statuant, intabulatum, licet specialem hypothecam non habentem, in defectu fundi agere posse contra illos, quibus debitor bona imprimis ut illi dicunt immobilia tardius vendidit, vel pro debitis amicabiliter cessit, sicque debitum posterius

expunxit. Quod si jure ita esset, mirum videri posset, in tanta debiti processuum segete nullum vestigium hujus casus in Decisionibus occurrere, (mihi quidem nec aliunde innotuit) manifesto argumento agnovisse quidem nostrates, intabulationem, vel absque speciali hypotheca, contra creditores, revera hypothecam sapere, tam quoad res debitoris mobiles quam immobiles, apud ipsum repertas, vel quandocunque reperiundas, aut cum morte relictas, non item per ipsum venditas, donatas, distractas, vel in satisfactionem aliorum creditorum, v. gr. parato ære illis solvendo, vel bona illis vendendo conversas, ni fors hæc omnia mala fide, certo instantis fallimenti causa facta esse clarum sit, quod nequidem illis noceret, qui intabulati non sunt.

§. 622. Enimvero, secundum hanc opinonem, specialis hypothecæ, prout nulla utilitas, ita, ad securitatem procurandam, nulla necessitas erit, atque ineptum fuisset, processus ad superinscriptionem et ex superfluitate fundi contra illum, qui a debitore bona in pignus emit, (etiam per creditorem licet intabulatum?) movendos, excogitare, quod asserere contra communem sensum et usum esse videtur. Porro: dabitur prælatio etiam contra creditorem jam exsolutum, et Actio ad repetendam pecuniam adhuc fortius quam contra emtorem; quia debitor nulli tenetur bonis aliis præterquam pecuniis. Tandem, non erit securum a Lanione, vel Quæstore debitore, carnes, vel pannum, ære parato emere, aut debitori res per illum consumendas, cum periculo restituendi pretii vendere etc.

§. 623. Quod cum absurdum sit, statuunt, res

mobiles valide per debitorem vendi, in solutum dari et consumi, eo, quod rerum suarum manserit dominus, et secus commercium cessare deberet; ast, utrumque verum est de rebus immobilibus, prius quidem simpliciter, posterius vero restrictius; ut adeo aliud nihil interesse videatur inter res immobiles et mobiles, quoad creditorem, quam quod distractiones harum observare sit difficilius, non tamen semper impossibile, quod si sit, creditor sibi adscribat. Ergo si datur actio contra emtorem rei immobilis in specialem hypothecam non nominatæ, potest dari etiam contra emtores rei mobilis. Si vero contra hos posteriores non datur, nec contra priores. Nec valet objicere, sic bonæ fidei creditores, licet intabulatos pecunias suas perdere. Cur enim non stipulati sunt sibi specialem hypothecam, aut cur tali crediderunt pecunias, qui aptum speciali hypothecæ fundum non habuit?

§. 624. Defenditur adhuc hæc opinio ex sensu Dec. 11. p. 155. ex qua elicitur, quod creditor, emtorem inhibens, aut intabulatus contra hunc Actionem habeat, utique habet, si specialem hypothecam, prout ibi dicitur, sibi obligari curaverit; alias sequeretur, quod etiam specialem hypothecam non habens et non intabulatus creditor, quamvis debitori suo res suas distrahere volenti sequestrum imponi non petierit, possit inhibitione valide uti contra illos, qui debitoris sui bona (mobilia vel immobilia) emere velint, quia prorsus eadem prioritas enascitur ex prioritate numerationis, contra tardius numerantes, quæ enascitur ex antiquiore intabulatione contra posterius, vel prorsus non intabulatos, ergo, quo jure

gaudet intabulatus absque speciali hypotheca, eodem jure debet gaudere, qui prius numeravit, et nemo est intabulatus.

§. 625. Creditoribus, quibus debitor literatorie quidem bona resignavit, sed sensu 24: 1-mæ non tradidit effective, intabulatio licet tardior prævalet, D. 14. p. 156. et talia bona massæ debitoris applicantur, prout etiam quæ quis debitori, ad creditum, ut dicitur, vendidit, et licet longa manu, aut emtoris repræsentanti tradidit, licet adhuc in natura exstent merces, quæ si periissent, venditor non diceret sibi periisse, verum pretium exigeret. Ita Decisio Cur. 52. p. 159. approbando sententiam Magistratus Posoniensis, contra judicium Tabulæ Regiæ, et Sedis Tavernicalis, quæ fora traditas res esse negabant, quæ sub ipso profugio mercatoris debitis obtruti, e longinquo advenerunt, et per sodalem ejus fugæ domini ignarum apprehensæ sunt. Res autem per emtorem non apprehensæ, manent venditori, quia in dubio, sub conditione instantaneæ, aut saltem tempore apprehensionis et traditionis præstandæ solutionis censentur esse venditæ, nisi creditores contrarium probent, quod scilicet venditor fidem pretii habuerit, quod idem est ac si mutuo dedisset.

§. 626. Si debitor substantiæ suæ partem reticuerit, aut causas fallimenti non legitimaverit, quin imo, eundem in præjudicium creditorum malis artibus usum esse, defectus fundi conscium, posterioribus creditoribus res suas mala fide cessisse novum debitum, præcipue sub falsis prætextibus contraxisse, vel dispendiosa vivendi ratione, solvendo imparem factum esse prodiverit, cum suis collusoribus tractatur ut fur, atque, tam id,

quod reticuit, quam quod postea quandocunque et quomodocunque acquisiverit, creditoribus non exsolutis, pro ratione ordinis judicialiter stabiliti, obnoxium erit 1807: 12. et Dec. in causa Hunyadi, contra creditores Ürményi, item 9-na Maji concurs. Droher.

§. 627. Non tantum intabulati, vel per debitorem declarati, ast peculiariter non citati, verum etiam alii ad terminum edictalem non advenientes creditores, jus prælationis si quod habeant, vindicare posse videntur, verum omnes massae participes debent citare, præ quibus praelationem praetendunt, nisi specialem hypothecam, et jus praelationis præ eo, cui illa obtigit, habeant. Inauditus enim patribus nostris concursualis processus, nondum est apud nos regulatus. Terminus etiam, rite licet publicatus, potuit juste ignorari, quid? quod notus est mihi casus levatae jam concursualis causae, et nondum publicati in vicino Comitatu praefixi ante aliquot menses per edictum Consillii L. termini.

§. 628. In processu et prælatione inter creditores continuatur materia prioritatis juris. §. 629. An sententia lata præcedat antiquius numerantes. §. 630. An executioni peractæ vim intabulationis attribuere operæ pretium sit?

§. 628.

Tertius processus ex praelatione, in defectu fundi apud debitorem, D. 6. p. 17. 6: p. 155. movetur per illum, qui etiamsi specialem hypothecam non habeat, jus prioritatis sibi praetendit, contra alium creditorem, bona debitoris, sive mobilia, sive immobilia, judicialiter, idest, exe-

cutione mediante ingressum; non ergo contra exsolutum creditorem alium, aut emtorem, nisi specialis hypotheca vendita sit, quae intabulata, vel a cujus emtione emtor judicialiter inhibitus erat, D. 11. p. 155. quia res vadit cum onere, emtor debitor factus est, adeoque in hoc casu, proprie, non ex praelatione quae inter creditores tantum est, verum debiti processu agitur. Intabulatio sola est contra creditores alios, specialis hypotheca cum intabulatione, aut absque ea cum inhibitione contra emere volentes. — Actio ex praelatione contra creditorem posteriorem fundatur in legibus iisdem, et coram iisdem Judicibus, quibus actio debiti, et praeterea in illis legibus, quarum fundamento prioritatem praetendit, v. gr. si ex intabulatione praetendit in 107: 1725. prioritatem dat inter non intabulatos etiam antiquior numeratio, 17: 1792. adeoque in hoc processu, obligatoriales de dato antiquiori producere non semper sufficeret, verum effectiva numeratio, vel secus, realitas debiti probanda est. Intabulatio non dat jus praelationis ad bona sub alia jurisdictione existentia, nisi essent appertinentiae capitis bonorum sub intabulationem cadentis privilegio vel usu longævo declaratæ et regulatæ. — Ita decidit Curia in causa creditorum Comitis Erdödy inter Schildknecht et Genuenses, 7-ma Septembris, 1792.

§. 629. Etiamsi nonnulli creditores jam lite convenerint debitorem, D. 54. p. 160. vel prorsus illum convinci fecerint, ast sententiam executioni dari non curaverint, D. 15: 156. (cui tamen Tabula R. refragabatur Pl. 214.) intabulatio contra illos valide peragitur, et dictis creditoribus

praevalebit. Ita Dec. 15. p. 156. eadem praemittit: non intabulatum, ast latam sententiam pro se habentem creditorem (necessario posteriorem intelligit) præferri non intabulatis (anterioribus) cum tamen vel in casu executioni datæ sententiæ, contrarium verum sit (posito eo, quod inter non intabulatos prioritas crediti det prælationem) et sæpe, v. gr. 24. Febr. 1785. in causa Jud. Österreicher aliud decisum sit; id ergo si quid significat, unice in concursuali, aut si cetera paria essent, stare debet, quod quidem Tab. Septemv. non videtur præ oculis habuisse in omnem casum vero Actionem ex prælatione, quæ ex anteriori numeratione enasceretur, evertit. Intabulationem itaque ne quidem is superflue peragit, qui jam convinci curavit debitorem.

§. 630. Quod autem post executionem invalida sit ad eadem bona posterioris creditoris intabulatio, per se intelligitur, etiam si utraque Tabula Nro. 51. pag. 159. non decidisset, prout invalida est ad omnia in orbe terrarum bona, quæ non sunt, nec erunt debitoris, aut erant quidem, sed per ipsum dudum consumta sunt. Executioni itaque tali, prælationis et prioritatis jus tribuere, eamque intabulationi æquiparare, prorsus idem est, ac si emtio vel solutio æquipararetur intabulationi, atque emtori aut exsoluto daretur prælatio præ eo, qui venditori, aut illi, qui creditores antiquos dudum exsolvit, tardius crederet pecunias. Creditorem vero, pro quo peractam executionem intabulationi alterius posteriori prævaluisse decisum est, anteriorem fuisse, manifeste prodit ex eo, quod alias, intabulatione contra ipsum experiri supervacaneum fuisset, poterat enim ex

prioritate (posito eo, quod illa vigore D. 1. p. 154. justitiæ naturali conformiter, etiam ante 17: 1792. locum habuerit, et hucdum habeat) e bonis ejici.

§. 631. In defectu fundi apud debitorem, vel ex superfluitate fundi agit jure Prælationis destitutus creditor, §. 632. Vel ad superinscriptionem. §. 633. Observationes de superinscriptione. §. 634. Processus auszugalis, indebite soluti, rationarius, et illegalis iterusurii.

§. 631.

Quartus ex superfluitate fundi, movetur pariter defectu fundi apud debitorem subversante, contra creditorem jus prælationis habentem, D. 17: pag. 157. et, præcipue immobilia bona debitoris in pignore judiciali tenentem, aut etiam emtorem, vel alium quemcunque, titulo pignoris contractualis aut legalis illa possidentem, v. gr. viduam nuptam quidem, verum ad vires dotis, allaturæque et investitionum bona retinentem. Debitum actionale pignore judiciali et contractuali incatteo antiquius esse debet. Actio fundatur in 1-mæ. 105. ubi dicitur, quod pignoratarius, post matrimonium bona mariti ingressus, dotem legalem viduæ, in fundi defectu, solvere debeat, unde infertur, alia etiam debita proprietarii posse ab illo exigi, quæ si solverit, summæ, in qua bona possidet superinscribere, et tempore reluitionis liquidare poterit; præterea fundatur in Prolog. 5. quod suum cuique tribuendum sit, atque in æquitate; porro: in legibus de debitorum solutione sonantibus. Probari debet realitas de-

biti, quod item bona, in pignore apud I. existentia majus onus ferre possint, quam est interusurium summæ inhærentis, id quod per conscriptionem et æstimationem bonorum, deliberative decretam, et judiciáliter peractam, probabitur, atque in quantum majus onus ferre poterunt bona, prætensio actorea, vel in parte, vel in toto desumetur in Incatto.

§. 632. Quintus ad Superinscriptionem, D. 10: 155. æque in defectu fundi apud debitorem, debuit præcedere admonitio judicialis contra creditorem jure prælationis pignore judiciali, aut emtorem pignore contractuali, bona debitoris post debitum actionale ingressum et possidentem, et illi tota summa offerri, quam investitam in bonis habet (v. gr. meliorationum etiam pretium) ut vel levet, vel cedat bona posteriori creditori, (quod potest vel absque proba realitatis debiti secure facere) vel exsolvat ejus prætensionem, et superinscribat. Si neutrum fecerit, eodem modo fundatur Actio, quo ex superfluitate, nisi quod, ut dictum, petitio hic sit alternativa, atque optio detur Incatto, qui si deliberative admonitus neutrum elegerit, convincitur in debito actionali.

§. 655. Quoad civiles fundos intra annum moventur hi processus ex 17: 1792. Si Actori ex prælatione præcedenti, parato ære, vel aliter de bonis suis satisfaciat I. hoc etiam necessario superinscriptionem involvit. Idem I. vel sub lite ex prælatione contra ipsum mota, via reconventionis, vel ea finita, superinscriptionem vel superfluitatem fundi, aut plane specialis hypothecæ actoreæ, speciali processu sensu D. 17: p. 157. urgere potest. Si quis pignus judiciale vel contrac-

tuale, quod credito alterius posterius est, tanti ac possedit, vel pluris vendat, emtor tamen bona cedere, aut, vel ipse, vel evictor ejus satisfacere tenebitur. Duo hæc instituta etiam contra filium vivo patre, bona ad se pertrahentem, adeoque patrem repræsentantem (non vero eo mortuo, quia tunc jure proprio reluit bona) moveri possunt; etiam si, vel post mortem patris simplici debiti instituto frustra conveniretur, eo, quod patri non successerit, quia is nihil habuit. Si debitor, jam nihil habens, fundum, non contractuali, verum judiciali pignore affectum, adeoque anterioris vel posterioris creditoris Actioni obnoxium perennaliter vendat, mature reclamandum, sensu Dec. 17. p. 157. in utroque casu vero, idest, sive sit pignus contractuale, sive judiciale, emtor a solutione venditori præstanda judicialiter inhibendus, et pecunia sequestro affici petenda. Propter debita post pignus judiciale vel contractuale contracta, nulla alia datur creditori contra possessores bonorum debitoris Actio, quam, penes cessionem ejus, reluitoria. Et hæc de processu debiti, multis dubietatibus et difficultatibus laborante.

§. 654. Sextus processus est Auszugalis, coram Judice liquidi debiti. Actio fundatur in 55: 1725. 44: 1729. Interusurium non currit, quia non est liquidum. Probam facit Auszug, ut supra dictum. Expensas actori triumphanti I. refundit, et Actor Incatto triumphanti 55: 1725. appellatur ut debiti processus. Vid. supr.

Septimus. Indebite soluti, de quo supra vidimus.

Octavus. Rationarius, contra Officiales dominales, movetur coram Sede dominali per Fi-

scalem D. Actio fundatur in 65: 1622. 65. 1723. Adesse debent aliqui convocati; Præses potest esse vel dominus terrestris, vel alius quiscunque, quem dominus voluerit. Judex nobilium cum Jurassore pro testimonio adesse debet in omnibus Sedibus dominalibus. in hoc processu vero rationario etiam votum habent, 1729: 28. §. 5. in aliis non. Si testes sint adjurandi, vel authenticandi, illos Judex nobilium et Jurassor adjurant vel authenticant in absentia dominalium hominum. Apellatur a Sede dominali ad Sedriam intra, a Sedria ad Tabulam Regiam extra Dominium, Judex Nobilium et Jurassor, subscriptum per Judices in Sede dominali præsentes processum, si appelletur, referunt ad Sedriam. Si ibi etiam convictio intercedat, remittitur processus, et unus ex officialibus dominalibus, cum requisito eo fine Judice nobilium, exmittitur ex Sede dominali pro executione peragenda. In hoc processu, cum sit computualis, habet locum reconventio, idest, Officiali petente dominus convincitur in superrogatis. Processus est summarius, Fiscalis dominalis occasione levatæ adnectit rationes et difficultates ex illis elaboratas, petit in illis convinci, Officialis ad illas respondet. — Potest etiam absque levata fieri, extradantur difficultates rationanti, quo responsionem porrigente, dantur superdifficultates, et ad illas porrecta responsione Sedes dominalis sententiam fert.

Nonus, ad dandas rationes contra Officiales Comitatenses, movet Fiscus magistratualis coram Sedria, contra vero Civitatenses Fiscus Civitatis coram Magistratu civico, contra oppidanos et pagenses Fiscus dominalis coram Sede dominali. —

Actio fundatur in 57: 1715. 65: 1725. Appellatur a Sedria ad Tabulam Regiam extra dominium 28: 1729. Interim rationes talium Officialium (v. gr. Perceptorum) ad Consilium solent mitti, et ibi revideri; etiam rationes Judicum oppidanorum ad viam politicam relegavit Tab. Septemv. in causa Fisci dominalis Csabensis, contra Gubits 1805. 5-ta Sept.

Decimus, Fisci Regii, contra usurarios, aut plus quam numerarunt sibi stipulantes, jam supra attactus est. Judex est pro ratione debiti.

CAPUT XXVI.

De Transactione.

§. 635. Transactio. §. 636. Ubi et per quem fit? §. 637. Quo motivo et effectu? §. 638. Unde metiendus dubius litis eventus, et tempus valide transigendi? §. 639. Bona immobilia non in omni lite possunt transactione involvi. §. 640. Transactio quoad Actorem pecunia contentum potest alienationem sapere. §. 641. Per Fiscum cessa in forma transactionis bona privilegium desiderant. §. 642. Gradus valoris in transactione. §. 643. Processus implementi. §. 644. Invalidationis ex variis rationibus.

§. 635.

Transactio est contractus, quo res liberæ partium dispositioni subjacens, de qua lis defluit, non gratis, verum retento vel promisso aliquo in alterum transfertur. Differt ab amica compositione,

quæ fit vel ante motam litem, vel jam mota lite quidem, verum una pars totam rem litigiosam cedit alteri gratis.

§. 636. Prout consultum est coram Capitulo, aliisve similibus locis authenticare transactionem coram Judice pedaneo factam: sic coram Capitulo, Conventu vel Judice Regni ordinario celebrata, Judici procedenti allegative insinuari debet, D. 4: 99. 11: 101. et exhiberi. 14-ta Maji 1780. in causa Hegyi, et Gelle. 1806.

§. 657. Transactio fit ex dubio litis eventu, ergo quoad ratas illorum, qui in lite aut non, aut tantum per fratrem natu majorem steterunt, non est valida transactio nomine etiam ipsorum facta, nisi ad transactionem concurrerint, D. 3: p. 99. vel Plenipotentiam transigenti fratri dederint, D. 13: p. 101. vel facto suo transactionem approbaverint, v. gr. ratas suas transactione ipsis obtingentes scienter levaverint, D. 6: 99. 15. 102. secus, quoad ratam quidem transigentis D. 33: 90. 1-mæ. 62. est valida transactio (quia præmonitio in transactione non est necessaria) quoad ratas reliquorum vero invalidatur, (nec potest seponi, uti aliæ translationes de bonis indivisis factæ) possuntque fratres quoad ratas suas processu experiri, et litem continuare, D. 33. p. 90. 2: p. 99. 13: p. 101. Sic tutoris transactio, licet præjudiciosa et inutilis, tamen non est foro pedaneo seponibilis, uti aliæ tutorum translationes, verum invalidari debet, et potest D. 5. p. 99. Transactio est contractus aleatorius, hinc, licet post transactionem inveniat quis talia documenta, quibus si uti potuisset, certo triumphasset, tamen jam illis uti non poterit, quia illis renunciavit per transactionem,

ut etiam appellatæ vel novo, ast distincto jure possunt eadem bona quæri. Si vero successores producant instrumentum, quo usus fuit transigens, et clarissimum sit, vi illius certo triumphaturum fuisse, invalidatur transactio, quia non fuit dubius litis eventus.

§. 658. Licet in processu ad invalidationem transactionis moto, non respiciat Judex, in regula, ad strictum causæ illius, quæ transactione finita erat, meritum, ut inde metiatur, an fuerit dubius litis eventus, vel non (quia intuitu Judicis nunquam est dubius litis eventus, ergo ita nulla transactio stare posset, quia alterutra pars necessario triumphasset) verum, tantum id, in quo situ rerum erant partes constitutæ, pro natura et qualitate processus, an oportuno tempore, idest, nec præmature, nec nimis tarde facta fuerit transactio, v. gr. in juris processu, productis ad actoratum pertinentibus, esse potest dubius litis eventus, ast de processu invalidatorio ex præjudicio, id nonnisi post productionem documentorum ad meritum pertinentium potest dici, quia antea tam parum poterat sciri, quid habeat adversa pars in sinu, quam ante citationem, ergo non erat dubius litis eventus; non desunt tamen, qui putent, post levatam (nullo habito ad qualitatem causæ respectu) esse dubium litis eventum; contra: licet sententia finalis adsit, tamen ex dubio litis eventu transactionem docent validam fore, eo quod adhuc appellata, vel repulsio, aut novum restet, quia adhuc sententia mutari poterat, ergo fuit dubius litis eventus. — Tempus ergo valide transigendi est valde dubium. Quando ad invalidationem tutoreæ transactionis agitur, id respicit

Judex, an tutor in illo processu potuisset triumphare? et validitatem transactionis non a tempore, verum ab eventu litis metitur l-mæ 127. §. 2.

§. 639. Lis, in qua transactio de bonis immobilibus fit, debuit ita comparata esse, ut eodem processu bona periclitata sint, v. gr. non debiti, vel alius, qui non est ejus naturæ, ut de proprietate immobilium bonorum, eadem lite sententiam debuisset vel potuissset Judex ferre, v. gr. oppositionalis vel reoccupatorius, facto ejus qui in contumacia convictus est, enatus D. 8. p. 100. Per eum oppugnari non posse transactionem qui ad jura, super quibus transegit, prorsus nullum jus habuit, prout fuit casus Decisionis 12: pag. 101. per se intelligitur.

§. 640. Facta, per Actorem pecunia exsolutum, transactio, potest quidem ad petitionem successorum ejus invalidari, si non sit ex dubio litis eventu, aut, (cum transactio vitiosa recidat ad fassionem) non sit necessaria, vel rationabilis causa transigendi, sed tamen nihil Actori adjudicatur, verum res ad statum antetransactionalem reponitur, ut restitutis pecuniis, jura sua Actor, eadem via, qua ante transactionem potuisset, quærere possit.

§. 641. Etiam Fiscus debet stare transactioni suæ, ex dubio litis eventu factæ, sensu D. 53: 90. et usuroboratæ D. 16: p. 102. verum licet, pro se auferre non possit, potest tamen alteri conferre, nisi transigens privilegium post transactionem inducat, sicque jus regium nefors latens impetret.

§. 642. Solida est transactio rite facta ubi pro bonis litigiosis pecunia datur, solidior ubi bona alia, solidissima vero ubi pars bonorum eo-

rundem, imo hæc sola est veri nominis transactio, 1-mæ 62. §. 5. secus in aliis casibus ad venditionem recidere potest, velut alienatio, sensu §. 4. 1-mæ 62, et unice de rationabilitate ejus poterit quæri, in regula vero difficilius evertitur per incatteos, (non alia bona obtinentes, verum partem litigiosorum retinentes, vel omnia redimentes) quam per actoreos successores.

§. 643. Processus sunt: 1) Ad implementum. Mutuo dissensu solvuntur quidem contractus unice privatos tangentes, ast si una pars utatur beneficio contractus, onus vero ferre nolit, vel non plene satisfecerit contractui, non potest altera pars resilire, vel invalidationem petere, verum implementi vel debiti processu agere debet, nisi in transactione cautum fuisset, ut alterutra parte observare nolente, cesset, ita D. Cur. 17. p. 102. quamvis 15-ta p. 133. reoccupationem bonorum sub certis conditionibus executioni substratorum, iisdem non impletis, impunem declaraverit. — Summæ, quæ vigore transactionis solvenda erat, post terminum solutioni præfixum, etiam interusurium currit, 24. Maji 1806. Jeszenák.

§. 644. 2) Ad invalidationem ex dolo, fraude, vi, metu etc. vel contra factum prætensi plenipotentiarii, si in transactione (vel álio contractu) non sit expressum ubi et quando emanaverit plenipotentia, nec adversa pars possit probare transigentem fuisse plenipotentiarum Actoris, D. 10: 100. 3) Ad invalidationem transactionis tutoreæ. Fundatur in 1-mæ 126, et 655: 24. 4) Ad invalidationem, quoad portionem illius, qui non influxit in transactionem. Fundatur in 42: 1-mæ, ubi denegatur facultas uni fratrum pro alio transi-

gendi, item in 47: 1725. 5) Ad invalidationem transactionis, non ex dubio litis eventu, vel, non coram Judice, aut loco authentico, D. 11. p. 101. Fundatur in 58: 59. 62: 1-mæ, movetur per successores transigentis directos, vel (illis deficientibus) ejus collaterales. Invalidata ex his causis plerisque transactione, redit res ad illum casum, ac si fassio fuisset celebrata, et I. se rationabilitate, vel necessitate alienationis defendere potezit. Facta de bonis per transigentis Actoris antenatos jure temporaneo possessis transactio non invalidatur; si vero contractus (vel testamentum liti substratus transactione firmetur, non contra illum, verum contra istam erit agendum, Decis. 7. pag. 103.

CAPUT XXVII.

De Actibus Potentiariis.

§. 645. Casus actus majoris potentiae. §. 646. Juratus Tabulæ Regiae in officio procedens si verberetur. §. 647. Tam parum debet probare suam nobilitatem, quam alii lege recensiti Officiales. §. 648. Quos tamen magis feriret Incattus contrarium probans, quam Juratum. §. 649. Continuantur casus actus majoris potentiæ. §. 650. Si illis delictum civile committitur §. 651. Cur illis accensetur interemtio nobilis? §. 652. Et qualiter differunt actus potentiarii a criminalibus, et respective ab aliis civilibus delictis.

§. 645.

Præter casus Actus majoris potentiæ in legibus diserte expressos, omnis alia læsio, cuicunque mortalium, intra ambitum Regni, in persona, rebus, vel juribus, facto potentioso illata nisi aliud nomen vel pœnam ex lege habeat) minor potentia, alias violentia vocatur, debet itaque sciri, qui sint illi? sunt vero sequentes: 1) Si quis invadat domum seu Curiam nobilitarem, ut D. 2-dæ Decemb. in causa Baksai habet, v e r e t a l e m, (per nobilem possessam, per quemcunque inhabitatam) aut domum personæ ecclesiasticæ Matt. D. 2: 28. 3: 9. et 15: 1662. Curiis nobilitaribus æquiparatam. 2) Si quis arestet, detineat, 3) vulneret, verberet, 4) interimat nobilem absque justa et legitima causa (nam, ut Cicero de cive Romano dixerat, facinus est vincire nobilem Hungarum, scelus verberare, prope parricidium necare). 5) Si quis bona immobilia alterius nobilis substantialia (non itaque appertinentiam, v. gr. agellum) occupet, D. 14, 15. p. 127. His casibus antiquis, Matth. 6: 15. Ulad. 1: 56. 2-dæ 42. recensitis, jure recentiori adjuncti sunt alii quoque casus, olim notorii 10: 1725. — 6) Detentio, arestatio, vulneratio, verberatio, Judicum Regni ordinariorum, eorumque vices gerentium (idest, Vice-Palatini, Vice Judicis Curiæ Regiæ, Protonotariorum), et aliorum seu Septemviralis, seu Regiæ, seu Districtualium Tabularum, seu Comitatensium Judicum, item Capitularium, Conventualium, Regii, Palatinalis, vel Banalis Hominum, aut Baronum Regni, Supremorum Comitum, Cameræ Regiæ Consiliariorum, Ord. et Vice-Directorum Causarum Regalium, omnium horum in officio actu et legitime procedentium,

§. 646. An verberatio, vulneratio, detentio Jurati Notarii Tabulæ Regiæ in officio, penes Exmissionem, vel Mandatum, rite et legitime procedentis, si ignobilis sit, huc referatur? Aliqui negant eo, quod incapax sit officiorum et functionum publicarum. Aliqui adfirmant ex ea ratione, 1) quod posteaquam officium, et functio publica illi commisa sunt, non amplius quæratur, an sit capax vel non; quod item 2) in casibus dictis non personalis nobilitatis læsio vindicetur, verum characteris illius, quem functio publica dedit, et functionis illius turbatio, quia non privatus læsus est, verum publica persona, (et hinc dant rationem, quod in processu ad actum majoris potentiæ in casibus puncto 6-to recensitis, moto, non debeat personalis nobilitas probari, verum sufficiat, si character publicus, et functio publica probetur) Juratus vero penes exmissionem, vel mandatum procedens, qua publica persona procedat, in talibus negotiis et functionibus, in quibus si officialis Comitatensis (v. gr. Judex nobilium vel Jurassor) læderetur, delictum illud actus majoris potentiæ esset, ergo etiam Jurati talis verberatio etc. actum majoris potentiæ importet. Verum responderi potest, legis, casus numero quarto recensitos pro majori potentia designantis, et in illis casibus edoctionem personalis nobilitatis non desiderantis intentionem non illam fuisse, quasi tacite approbaret ignobilium ad quævis ibi recensita officia applicationem, sed, ut personas ibi denotatas (pro quibus scilicet præsumtio militat) a difficili et graduali proba nobilitatis relevet; quam eo ipso, quod personas

dictas ab illa sublevet, in aliis quinque casibus severe exigi et præstari velle censeri debet.

§. 647. Ergo statuendum quidem est, numero 6-to recensitas personas (inter quas etiam Jurati, licet non expressi, ex ratione legis comprehendi mihi videntur) non debere ad Actoratum nobilitatem probare, uti alii verberati nobiles debent, verum tantum characterem, et functionem publicam; secus inutilis et superflua esset lex, quæ illas personas tam sollicite enumerat, et a casu illo, quo nobilis sub pœna actus majoris potentiæ verberari etc. prohibetur, distingvit; quia si nobilitas per eas probari deberet, suffecisset in genere de nobilibus loqui.

§. 648. Verum si Incattus Actorem ignobilem esse plene demonstraverit, Actoratum ejus ruere debere censeo; secus lex illa ignobiles officiorum ibidem recensitorum capaces esse supponeret, et admitteret. Ergo res eo redit, quod non Actori (pro quo stat præsumtio juris) verum Incatto incumbat proba. Multo facilius rueret in dicto casu Actoratus aliorum Judicum vel Officialium quam Juratorum licet manifeste ignobilium, quia his assistit 19: 2-dæ, sed alia superius recensita officia, (nisi fors officium Causarum Regalium Directoris exceperis) diserte prohibentur ignobilibus conferri.

§. 649. Actus majoris potentiæ est 7) Violatio literarum salvi conductus, quo refertur etiam violatio, verberatio, vulneratio, arestatio Ablegatorum ad Diætam, et aliorum ad Diætam vocatorum, v. gr. Prælatorum, Magnatum, aut eorum servitorum, (non item bonis illorum durante Diæta illatæ violentiæ) D. 15. p. 127. Hujus delicti

rei summario processu judicantur per Tabulam Regiam, actione Fisci, durante Diæta, ad tertiam diem medio Jurati verbaliter citati, 7: 1725. 8) Actum majoris potentiæ incurrunt illi, qui in Diæta conquerentes, propter illam querelam quandocunque verberant, arestant. 9) Verberatores, arestatores illorum, qui ad Diætam, Judicia quæcunque, Congregationes Comitatuum, Sedes Judiciarias, ad negotia sua gerenda eunt et redeunt. 10) Illorum, qui inquisitiones in militiæ excessibus, aut propter fugitivos servos (non jam etiam colonos) peragunt, aut ad easdem peragendas, vel ineundos cum militia computus, eunt vel redeunt. 11) Vulneratores fratrum suorum, et consanguineorum, 10: 1725. 12) Mutilatores membrorum, aut eruitores oculorum, quorumcunque hominum, 14: 1-mæ, 10: 1725. Sig. 3: 5. quod de Judicibus ordinatum, fors eo magis valet de aliis delinquentibus.

§. 650. Actus potentiarii non vindicantur, in regula, actione publica Fisci, nisi enormis tumultus fuerit, verum privata læsi, quia non sunt delicta criminalia, verum civilia, et magis privata quam publica; si quis tamen personas a numero sexto recensitas interimat, mortis pœna, et quidem pro ratione circumstantiarum, cum exasperatione punitur, 11: 1723. actione Fisci.

§. 651. Quod vero interemtio nobilium non ad criminalia delicta, ut homicidium quodcunque, referatur, verum, inter actus majoris potentiæ recenseatur, inde habet originem, quod olim, ex 58: 1563. omne homicidium, Actione illorum vindicabatur, qui occisum proxima cognatione attingebant, v. gr. filiorum, fratrum, vel etiam viduæ,

hinc, quod etiam lege recentiore 10: 1723. interemtio nobilis ab alio homicidio distingvatur, inde id tantum sequitur, quod possit esse occisio vel delictum civile, vel criminale (cujus rei differentia §-pho sequente dicetur) et quod occisio nobilis in casu civili minus delictum sit, quam occisio ignobilis hominis in casu criminali, ergo hoc nihil aliud sibi vult, quam quod liberum sit hodiedum occisi consangvineis, in casu civili, ad pœnam actus majoris potentiæ contra interemtorem procedere, qui alioquin etiam illo instituto in pœna mortis condemnari poterit, vel vero actionem Fiscali magistratuali relinquere, ita ut nonnisi homagium interemti habeant, 11: 1723. §. finali. Quod vero 81: 1647. contra Civitates aut Senatum actum majoris potentiæ per interfectionem nobilis committentem, et criminali processu coram Sedria convictum, etiam foro tabulari, vi 19: 3-tiæ ad amissionem bonorum agi posse, et versa vice, 85: 1655. contra illos, qui in pœna majoris potentiæ convicti sunt, actionem criminalem coram Sedria superesse clare dicat, hodie cessat quidem, ast, actio criminalis et publica loco privatæ, propter quasvis occisiones erigitur, quæ si propter vulnerationem erigatur, homagium cessat 3-tia Febr. 1803.

§. 652. Idem est sive quis solus, sive cum assumtis, sive ipse, sive per missos, vel commissionatos actus potentiarios majores vel minores patret, semper tamen dolus et nocendi studium D. 7: 172. requiritur, ut actus pœnalis sit; ut vero delictum civile sit, requiritur, ut intempestive arrogata sibi jus et justitiam propria auctoritate procurandi, jura sua sive vera, sive opinata

sustentandi, vel vindicandi facultate, adeoque ex abusu proprii Judicatus patretur revera, vel ita patratum esse in favorem delinquentis præsumi possit, secus, delictum criminale, v. gr. latrocinium, prædocinium, vel furtum, aut homicidium erit, vel (quod minimum est) simplex damnum, si scilicet, non cum animo usum vel jus alterius turbandi illatum est, nec trahit post se pœnam violentiæ, aut aliam pecuniariam, nisi lex expresse disponat, v. gr. 42: 1729. §. 8. circa damnum studio per pecora illatum disponere videtur. Nec obstat datæ per nos Actus potentiarii notioni, quod nonnunquam alii quoque casus ad violentiam reducantur (v. gr. 24: 1802.) per id enim id tantum indigitatur, quod eadem pœna debeat dictari, quæ ob violentiam solet.

§. 653. Judicatus actus majoris potentiæ. §. 654. Ad Actoratum personalem quando, et quæ proba nobilitatis requiritur? §. 655. Quando non requiritur, §. 656. Vel sine effectu præstatur. §. 657. Actoratus porro in realibus, in usu vel titulo præhabito (prout etiam in casibus mixtis) in personalibus in ipsa læsione, meritum vero semper in ejus qualitate, et adjunctis consistit, §. 658. Quod exemplis illustratur. §. 659. Pœna est amissio bonorum, et capitis redemtio. §. 660. Olim non omnes eodem modo puniebantur, quo hodie puniuntur, §. 661. Nominatim Ecclesiastici, prout præter beneficialia aliquid habent, vel non habent. §. 662. De sociis sceleris, missis, commissionatis, assumtis, et officialibus. §. 663. Si lædens vel læsus moriatur, respiciendum, an læsio realis vel personalis fuerit, item an mors ante vel

post litem contestatam evenerit. §. 664. De gratia Regis in processu actus majoris potentiæ.

§. 653.

Processus ex actibus potentiariis sunt:

Primo, ad pœnam actus majoris potentiæ. Actio fundatur in 10: 1725. contra nobilem, vel libertinum (v. gr. arendatorem, qui subditus in arendam dantis non est) atque Magistratum civicum; defluit coram Tabula Regia, contra civem coram civitate; si illa est interessata, coram Tab-R. contra colonos coram Sede dominali, contra Magistratum vero oppidorum, quæ vel nullum Dominum terrestrem habent, vel habent quidem, verum privilegiata sunt, defluit æque coram Tabula Regia, contra ipsos talium Oppidorum incolas coram oppidano Magistratu, licet non desint Oppida Dominis terrestribus subjecta, contra quorum incolas etiam ignobiles coram Tabula Regia moveatur. Sub Banali jurisdictione degens, etiamsi bona in hungaria habeat, sed non circa vel propter illa deliquit, coram Tab. Banali debet conveniri, licet D. 11: p. 14. contrarium supponat.

§. 654. Actoratus personalis consistit in 3 antiquis casibus: in edoctione nobilitatis, quæ hic per I. secure in dubium vocari, et negari potest (secus ac in aliis processibus) quia directe ad vindicandam prærogativæ nobilitaris læsionem erecta est Actio, D. 2. p. 20. Nobilitatis proba in hoc processu, in regula, et de stricto jure fit per productionem privilegii, deductionem genealogiæ ad primum nobilitatis impetratorem, quod quidem non est necesse ut quis actu facere possit, verum sufficiunt testimoniales Comitatus super

exhibitis Armalibus aut Donatione, et deducto nexu ad primum impetratorem, D. 5: 21. licet quemadmodum in productionali processu vi Resolutionum, ita et in processu actus majoris potentiæ, sufficere putentur testimoniales id perhibentes, quod actor de familia antiqua, ad publicam Comitatus notorietatem nobili sit, et bona immobilia paterno avita vel actu possideat, vel possederit ab immemoriali tempore, vel ab eo, qui talia bona possidet, pro condivisionali recognoscatur (non item si per Armalistam) et virtualem in talibus bonis successionem habeat, quid quod ad imitationem nobilitaris processus etiam putent sublevari a proba genealogica, qui 60 annorum usum docet, et Armales vel producit, vel illarum præexistentiam sufficienter probat. Verum hæc præsumtiones magis, quam probæ nobilitatis sunt, adeoque absque privilegio et genealogico nexu, vel nunquam, vel tantum tunc sufficiunt, si suspiciones fundatæ in contrarium non adsint, v. gr. quod bona, quæ Actor possidet, per Palatinum collata, vel emta, aut materna sint, quia, si idgenus suspiciones adsint, Actoratus ruet; sic: nihil valent testimoniales Comitatus, quæ tantum in genere testantur aliquem nobilem esse, quin ad radicem deducta sit genealogia, vel alia solida ratio, unde Comitatus sciat nobilem esse? adducatur, et in Tab. Regia pro sufficienti agnoscatur, v. gr. publica notorietas, usus publicus antiquus nunquam controversus, uti nec sufficiunt, quæ ad testimoniales alterius Comitatus provocant, et in illis se fundant, nisi illæ producantur, et pro sufficientibus judicialiter agnoscantur, quod facile fiet, si I. nihil fundati contra nobilitatem

Actoris adducat. Mulier licet ipsa nobilis non sit, si tamen mariti nobilitatem probet, ob sui verberationem, vel e bonis quibus jure viduali immansit, ejectionem, habet Actoratum, quia sequitur conditionem mariti, si sua conditione melior sit, D. 9: 126. Verum is, cujus nobilitas in loco illo, ubi degit, ignota est, D. 6. p. 126. v. gr. non est in usu nobilitatis, nec habetur pro nobili, nec constat publice de nobilitate, non habet actoratum, quia non potest supponi, verberantem tam gravi pœnæ se innodaturum fuisse, si nobilitas alterius illi cognita fuisset.

§. 655. In casibus numero sexto recensitis D. 18: 128. ad actoratum personalem non debet probari nobilitas, verum tantum character, et functio publica. Nec in aliis casibus reliquis, verum tantum facti et circumstantiarum ibidem per legem descriptarum proba requiritur.

§. 656. Servi conventionati si verberentur a dominis, non habent actoratum, licet sint nobiles, D. 4: 125. Sic: condescendit Actio illorum, qui ad mandatum Regis, vel sententiæ civici Magistratus non obedientes in arestum conjiciuntur, D. 14. p. 8. quia civitas habet brachium, ut suas sententias in sua competentia latas exequatur, etiam cum arestatione illius, qui illi non obediret aut illi resisteret, verum, si quoad personalia et res mobiles vellet Magistratus suam jurisdictionem in nobiles extendere, hi vero se opponerent, propter id, absque pœna majoris potentiæ per Magistratum detineri vel arestari non possent, prout nec Procuratores ceterum nobiles, per ullum Judicem, v. gr. in securitatem birsagii Principalibus ipsorum inpositi, Dec. 22. p. 129.

§. 657. Debet probari porro læsio, v. gr. detentio vel verberatio, aut saltem percussio gravior, alias non esset proportionata pœna delicto, licet vel unicus ictus nocendi aut contumeliæ studio inflictus possit pœnam actus majoris potentiæ mereri, quia æque læditur nobilitaris prærogativa per unum ictum, id quod cum ipso merito coincidit, ubi præterea disquiritur, an actus sit pœnalis, tandem: non in casibus tantum realibus (v. gr. occupationum, invasionum) verum etiam in casibus verberationum propter et circa defensionem vel vindicationem rerum vel jurium enatarum, debet ad actoratum probari, vel titulus apprehensi jam possessorii, licet absque annuo usu, vel (quod minus est) annuus usus, licet absque titulo, ut sub violentiali processu uberius dicetur.

§. 658. Non est actus pœnalis, si Actor ipse rixam movens, et certamen incipiens, D. 8. 126. alterius usum turbans, vel alterum in jure ejus impedire volens, servato moderamine inculpatæ tutelæ verberatus est, 22: 5-tiæ. D. 8. p. 126. aut, si verberatio ex mutuis contentionibus orta est, ut D. in causa Sándor 1806. habet. In campis vel silvis controversis sæpe tales casus accidere possunt, ubi, qui in facie loci occupati verberatur, sibi imputet; nisi silvam aggrediens quidem verberatus, titulum lignandi, vel communem usum, illi resistens et silvam defendens autem privativum usum, contra talem qui titulum lignandi non habet, eodem processu potentiario probare possit, quem propter sui verberationem movit; secus enim prior quidem, qua injustus silvæ aggressor, posterior vero, qua alterum in jure vel usu lig-

nandi turbans, in facie loci, et in flagranti, servato moderamine inculpatæ tutelæ, impune potuit verberari.

Sic: si denominato per debitorem sufficienti fundo, triumphans, non contentus, alias res auferre, aut domum vel aulam convicti ingredi velit, et verberetur, non est actus majoris potentiæ, D. 1. p. 44. 17. p. 128. aut qui sua precario per alterum possessa bona reoccupat, D. 5. p. 125. vel sententiæ per accordam exstinctæ, aut contra eam latæ executioni, D. 15: p. 127. se secundario opponit, prout brachio obnoxius non est, ita pœna actus majoris potentiæ adfici non potest; ut nec is, qui, primo, qua non citatus, quoad substratum fundamentalis processus se opposuerat, et ideo ad dandam oppositionis rationem conventus, sententiæ ex contumacia latæ quoad pœnam oppositionis, D. 19: 128. se opponat. (Obs. Secundaria oppositio jam sublata est).

§. 659. Pœna actus majoris potentiæ est 34: 1729. amissio capitis vel bonorum; verum, licet lex alternativam pœnam dictet, usu tamen et sensu D. 11. p. 14. extra casum interemtionis nonnisi amissio bonorum invaluit, et quidem tantum quoad propriam portionem, salvis, ut Curia D. 16. p. 128. decidit, uxoris et filiorum innocentium portionibus, adeoque et jure coacquisitionis uxoreæ, et successione viduali etc. salvis item bonis uxoreis, jureque uxoreo, uti etiam jure et ære alieno, quamvis Tab. R. tantum ex avitis salvam voluerit ratam, prolium, Pl. 222. Bona immobilia communi æstimatione redimi poterunt per ipsum convictum, per filios et fratres ejus, quid quod etiam per filias, licet bona solius sexus masculi-

ni fuerint, quia etiam vicinis datur hæc redimendi facultas 2-dæ: 64. intra tempus per Judicem definiendum 1-mæ 56, ergo eo magis filiabus, sensu etiam 1-mæ 65. A vicinis vero vel feminis eadem æstimatione rehaberi poterunt. Decis. quædam perennalem æstimationem habet, 21. Febr. 1780. Kozma. Quamvis alternativam pœnam dictet lex, tamen, nisi quis ad personaliter comparendum citetur (quod vel ideo fieri potest, ut res mobiles sub juramento revelet) non tenetur personaliter comparere, licet in aliis ad capitis vel corporis pœnam tendentibus, personalis comparitio necessario requiratur. Præter amissionem bonorum, sub jurisdictione Judicis sententiam ferentis (adeoque non ubivis sub corona existentium 2: 65.) incurrit convictus homagium suum 5: 5-tiæ. pariter, vigore Dec. 16: pag. 128. ex propria portione desumendum, quod cum expensis litis, et damnorum nefors, D. 5. p. 125, aut doloris corporis vel vitæ mediorum (quæ verberatus fors jam quærere nequit) compensatione, soli Actori, bonorum vero amissorum duæ tertiæ Judici, una tertia vero Actori cedit, bona occupata cum fructibus et damnis restituere debet convictus, si non habeat unde refundat, persona ejus triumphanti assignatur, D. 5: p. 125.

§. 660. Cum jam, ut vidimus, pœna capitalis stricte sumta, idest, pœna mortis, in casibus actus majoris potentiæ (præter casum interemtionis, et nefors præter casum, si fiducia paupertatis delinquens prorsus nihil haberet quod amittat) exoleverit, et nonnisi pœna capitalis in sensu leniori, idest, amissio bonorum, et capitis redemtio, seu homagii solutio 45: 2-dæ

invaluerit; cessare videtur distinctio inter pœnam illam, quæ inter seculares sibi invicem non consangvineos, atque illam, quæ tunc dictatur, cum processus, inter fratres, aut nobilem secularem, ac ecclesiasticam personam, mulierem item et marem, extra casum interemtionis vertitur, quæ, et jure antiquo et recentiori consistit, non in capitis, verum, secundum 45: 2-dæ in bonorum propriorum amissione, et emenda, prout 58: 1459. habet, præciosi sui capitis, idest, homagii sui solutione, damnorum et expensarum refusione.

§. 661. Etiamsi vero ecclesiastica persona, præter bona beneficialia nulla patrimonalia aut mobilia habeat; emenda tamen capitis, idest, homagium, et damna ac expensæ, etiam ex bonis beneficialibus desumi possunt 42: 44. 47: 2-dæ. Quod vero aliqui dicant ecclesiasticas personas emendam capitis non ita luere, prout 45: 2-dæ eam describit, et vi illius etiam bona amitti vult, verum solum redemtionem capitis incurrere, id de illis Ecclesiasticis intelligendum videtur, qui nulla patrimonialia habent, aut de illis, qui, licet habeant, non ex illis, verum ex bonis Ecclesiæ, et propter illa patrarunt actum majoris potentiæ.

§. 662. Ad pœnam actus majoris potentiæ potest etiam contra illum moveri, qui ipse quidem nihil fecit, verum suos homines misit, vel illis faciendum commisit, qui si fuerint Nobiles, ut socii sceleris, citantur, et pœna actus majoris potentiæ puniuntur; si vero ignobiles fuerint, assumens, mittens, vel committens, jurisdictionatos suos juri statuere in conformitate, actionis, per Judicem, in certificatoriis jubetur, qui singuli in

homagiis ipsorum, per se ipsos solvendis, (secus ac in queruloso processu, ubi dominus pro ipsis solvit) convincuntur, ex praxi Tabulari, quæ legi 26: 3-tiæ §. 5. ubi capitis et omnium bonorum amissione puniendi jubebantur, derogavit. (Eo minus excusatur servus, qui ex mandato domini criminaliter deliquit, et dominus et servus plecti possunt.) Alii vero Ignobiles, assumti quidem, sed principali patratori non jurisdictionati, non juri statuendi, prout in minori potentia, verum peculiariter citandi, vel coram foro Dominorum ipsorum, vel coram Tab. R. (si scilicet Dominos terrestres non habeant, in amissione bonorum, et homagiis suis convincuntur. Si commissio contra Dominum per Actorem probari non possit, Dominus absolvitur, et contra homines illius, coram Sede dominali ejusdem procedetur. Si Officialis, qua talis, idest, ex officiolatu patret actum majoris potentiæ, non ex bonis Domini fit executio (ut in queruloso processu) verum ex propriis Officialis bonis.

§. 663. Si incattus ante contestatam litem moriatur, evanescit Actio ob læsionem mere personalem. Ob realem vero, successores, qua violenti detentores erunt puniendi, post admonitionem; si contestata lite moriatur, successores ejus in communi æstimatione omnium defuncti bonorum convincuntur 61: 2-dæ. sive realis, sive personalis sit læsio, bona vero occupata et damna semper debent restituere et refundere. Si post convictionem moriatur, sententia nefors quoad personam lata cessat quidem, verum executio amissorum bonorum subsequi potest. Sic intelligitur 51: 2-dæ 4. ast, quoad Prælatorum ex bonis be-

neficialibus actus potentiarios patrantium successores adhuc mitius intelligi debet; ergo, licet ex §. 5. posset elici, quod si antecessor evocatus est, debeat successor emendam capitis illius solvere; hoc tamen, nec post litem contestatam intelligendum est, quia non hæreditatis jure successit. Si læsus ante litem contestatam moriatur, et læsio mere personalis fuit, præter casum interemti nobilis evanescit Actio, D. 2. p. 125. verum si realis fuit, idest, quoad bona vel jura fuerit illata, successores ad actus majoris potentiæ pœnam agere poterunt.

§. 664. Cum olim (ut aliqui docent) amissio capitis et bonorum simul erat pœna actus majoris potentiæ, Rex annuam (vitæ et partis bonorum Judicem respicientis) gratiam dare poterat convicto nondum comprehenso, si comprehensus, et Judici pro infligenda pœna resignatus est, nonnisi triduum debuit Actor exspectare, et eo elapso morti dari debuit I. per Judicem 55, 56, 57: 2-dæ. Comprehendi vero potuit post executionem quidem bonorum dum et quando, ante illam vero tantum intra annum, atque si in hoc casu triumphans ipsum mori voluit, bona non amittebantur. Gratia vero eo fine dabatur, ut interea accordet cum triumphante, quod si nequivit, morti subjiciebatur. Illa facultas gratiæ mansit etiam postea, cum subsequis legibus, amissionem capitis et bonorum disjunctive sumi clare ordinatum est; nam si actor caput elegerit, Rex æque unius anni gratiam dare potuit; verum si accorda non successit, post anni decursum potuit ad renovationem sententiæ agi, et vi renovatæ convictus, ubicunque capi atque morti tradi. Nostro

quidem tempore caput adjudicandi vel eligendi facultas (præter casum interemtionis, item si fiducia nihil amittendi eo quod nihil habeat deliquerit I.) exolevit, et nonnisi amissio bonorum dictatur: tamen annuam gratiam hucdum peti posse, 48: 1715. et dari debere favorabilius videtur, exemplumque non deesse dicitur, 1485. §. 5-tio; 4-to vero, item 57-mo 2-dæ (quæ leges, Regem birsagia, non item damna remittere posse innuunt) defenditur.

§. 665. Judicatus et fundamentum Actionis querulosæ, §. 666. Quomodo illi obnoxiæ sint civitates? §. 667. Consortes nobilium violentorum in Actione qualiter tractandi? §. 668. Actione ex officiolatu §. 669. Qui conveniuntur. §. 670. Qualitates Actionis violentialis ulteriores.

§. 665.

Secundus est processus violentialis, alias querulosus dictus, ob actum minoris potentiæ, contra nobilem, aut etiam libertinum, vel Communitatem nobilem, aut saltem privilegiatam coram Vice-Comite (et quidem, propter jura, vel bona immobilia, coram Vice-Comite ejus Comitatus, in quo bona sunt, propter res mobiles, vel personalem læsionem vero coram Vice-Comite ejus Comitatus, in quo degit patrator) moveri solitus. Si vero in Diæta, vel absque ulla præcedente controversia, in collimitio duorum Comitatuum patrata sit violentia, defluit coram Tabula Regia (quia in posteriori casu uterque Vice-Comes est interessatus, Palatinus vero vel delegatus ejus, D. 16: 174. de metis judicat, non de pœna violentiæ.)

Contra cives, et alios ignobiles Civitatum incolas, absque influxu Magistratus volentias patrantes coram Magistratu civico, contra Oppidorum privilegiatorum ordinato Magistratu gaudentium incolas ignobiles autem coram oppidano Magistratu. — Contra communitatem colonicalem, vel singulos colonos aliosque Nobilium vel Civitatum Jurisdictionatos coram Sede dominali, et tunc vocatur simul impensionalis.

Actio fundatur in 1-mæ: 68. 2-dæ: 67, 82. 1615: 25. Si vero per assumtos, missos, commissionatos est patrata violentia, fundari debet etiam in 82: 2-dæ, et 26: 5-tiæ, 56: 1655. Contra Civitates vero, et Oppida privilegiata in 5-tiæ: 19. 60: 1618. 78, 81: 1647. 18: 1649. 42: 1681: 56: 1715. Contra cives vero, vel privilegiatorum Oppidorum incolas in 1615: 25. 81: 1647. 18: 1649. 55: 1662.

§. 666. Potest autem civicus Magistratus violentiæ argui, v. gr. 1) si vicinis Dominis terrestribus, aut aliis violentiam inferat, illorum usum pacificum turbet, aut aliter illos, vel in persona vel in rebus (v. gr. colonis, aut illorum rebus) vel in exercitio juris lædat. 2) Si V. Comiti inspectionem ponderum et mensurarum in civitate non admittat 63; 1715. 3) Si extra territorium Civitatis judicatum sibi arripiat, quia non incompetens, verum incapax judex est tunc. Secus, quod auctore Judice fit licet incompetente, activo tamen et capaci, non est objectum violentialis processus, verum aliis juridicis remediis resanandum. 4) Si res mobiles, aut, personas nobilium in Civitate degentium Judicatum exerceat. 5) Si sententiam, alibi per forum seculare contra nobilem latam, penes compassuales ad se mis-

sam, in fundis civilibus, non exequatur Ulad. 5: 9. idem valere putatur de sententiis sacræ Sedis. 6) Si domesticos nobilium, opificia pro necessitatibus horum perficientes turbaverit, 1725: 74. etc. In istis aliisve casibus, non unus alterve civis, Dec. 1: 6. verum Judex qua talis, et per illum tota Communitas, citatur ad forum Vice-Comitis, præterea, cives ad actum concurrentes citantur ad pœnas violentiæ singillativas, per se ipsos eodem foro 18: 1649, deponendas, Jurisdictionati vero Civitatis juri statuti (qui scilicet non sunt cives, verum tantum servitores vel coloni Civitatis) 18: 1649. ita convincuntur velut jurisdictionati nobilium, idest, ex bonis Civitatis homagium illorum desumitur, supra birsagium, in quo nomine collectivo Civitas convicta est, verum, si Magistratus, in rebus ad jurisdictionem pertinentibus ex officio procedat et vim aliquam in effectuatione sententiæ, licet in personam reluctantis adhibeat, non subsistit contra illum Actio querulosa, D. 20. p. 175. quia facta Judicis illegalia aliter resananda sunt, v. gr. Mandato judiciali, vel vero Appellata, aut via Novi. Extra Civitates vero etiam oppositione, repulsione, reoccupatione, quæ remedia in civilibus causis locum non habent.

§. 667. Si nobilis plures nobiles secum assumserit, quilibet illorum, prout principalis patrator, separatim citatur, licet ejus servi et mercenarii vel uti stylo legali vocantur, familiares fuerint. Ignobiles, seu fuerint patratoris assumentis, mittentis, committentis, servi vel jurisdictionati, seu non 56: 1655. 142: 1647. juri statui petuntur in Actione, et principalis patrator illorum homagia solvet, non item si allegative tantum nominen-

tur, vel si ignobiles illi, alterius Domini ad violentiam influentis quidem, verum non citati, subditi sint.

§. 668. Si Officialis ex officiolatu, 33: 1659. idest, ex bonis Principalis sui, vel propter bona illius ex officio patret violentiam, citatur qua talis (alias Institutum condescendit Dec. 6. p. 197.) æque ad forum Vice-Comitis, et illos etiam sui principalis jurisdictionatos debebit juri statuere, idest, tempore comparitionis illos pro juri statutis declarare, per quos, vel cum quibus patravit violentiam, et executio tam birsagii, idest, 100 flor. quam vero homagiorum illorum, medio quorum patrata est violentia, ex bonis Domini fit, 48. 55: 2-dæ, verum Dominus, si Officiali id patrandum non commisit, habebit regressum contra eundem coram Sede dominali ex Sigis. 6: 6. Ulad. 1: 24. 1647: 37. 65: 1622. qui si ad alium Dominum fugerit, sub pœna dupli homagii ejusdem restitui debet, Matth. D. 6. art. 54. Si Plenipotentiarius patravit violentiam, idem est, sive is, qua talis, sive Dominus citetur, non enim est Officialis.

§. 669. Qui vero servitores œconomici possint et debeant ex officiolatu citari, a charactere, quo illos Domino insignire (nonnunquam satis ambitiose) placuit, metiendum est. Hujus generis sunt v. gr. Præfecti, Inspectores, Provisores, Rationistæ, Spani, Frumentarii, non item Villici (Gazdák, Béres-Gazdák) contra hos impensio petenda, in qua, licet commissio Domini adsit, illa supprimetur, atque, ut Dominus majorem pœnam effugere possit, convictus Villicus, privatim indemnis præstabitur. Si Officialis violentiam, non qua talis, verum qua privatus patravit, coram Vice-Co-

mite convenitur, sive sit nobilis, sive non. Fiscalem Procuratorem non posse ob actum majoris potentiæ ex officiolatu citari decisum est, Dec. 15. p. 8. ast ob minorem id fieri posse vulgo putatur, cum tamen non sit officialis, verum consiliator; nec in rebus officii subsit Sedi dominali, adeoque regressum contra ipsum Dominus non habeat: ergo, factum Fiscalis Dominum præstare, adeoque, si officialis œconomicus, nefors per Fiscalem violentiam patrare jussus qui ex officiolatu citetur, non adsit, sed Jurisdictionatos dominales per Fiscalem missos probari possit, ipsum Dominum citari, secus impensionem peti debere censeo.

§. 670. Actio violentialis habet quædam peculiaria, v. gr. 1) assumti, missi, vel commissionati nominatim recenseri debent, ut adeo, illorum homagia non solvat Incattus, quorum nomina non sunt expressa; si tamen illos e longinquo, et ex bonis suis aliis procul dissitis attulerit patrator vel domicilio, et certo loco mansionis destituti sint, ita ut eorum nomina resciri non possint, sufficit numerum specificare, et simul missionem (si scilicet principalis patrator ipse in actu præsens non fuerit) quoad illos etiam probare, sic homagia illorum solvet patrator 56: 1655. D. 2. p. 170. 2) Cum assumti, vel missi, aut commissionati recensentur, inseri solet hæc justificatoria clausula: Exmissis de jure exmittendis, ne illos si qui nefors nobiles essent, juri statui petere videatur Actor, et in illorum homagio non Domino, verum iisdem nobilibus cessuro, puniatur 2-dæ: 2ō, si prout lex dicit, excipere eatenus libuerit, quod, an in illo casu, si convictio et pœna violentiæ metui potest, relate ad servos no-

biles facere consultum sit? propter pœnam per quem et quomodo solvendam dubium videtur, de qua re alias. 5) Debet tempus, et locus patratæ violentiæ notari. Si tamen dies certo non sciatur, sufficit circiter dicere, v. gr. circa festum S. Michaëlis. Quoad territorium vel fundum solet inseri hoc: Oculariter etiam, si necesse fuerit, remonstrando, idest, loco. 4) Debet læsionis qualitas et quantitas specificari, v. gr. rerum mobilium ablatarum quantitas, vel qualitas, aut verberationis. 5) Modus patratæ violentiæ debet designari, v. gr. an cum assumtis fecerit, idest, ipse etiam principalis patrator præsens fuerit, vel an miserit, aut commiserit? Denique characteres distinctivi locorum et nominum rite exprimi debent, ex 2-dæ: 82. sicut in omni alia Actione, secus non posset Judex ob hujusmodi defectum (si I. illum controvertat) sententiam ferre. Minores tamen nævos in non essentialibus, et nefors per scribentem commissos, et quibus non obstantibus sententia ferri potest, Judex calamo Judiciali in qualicunque processu corrigere potest 24: 1566. et debet, quin Actio propterea condescendere debeat.

§. 671. Probanda ante litem violentialem contestatam. §. 672. Probanda ad actoratum prout fuerit læsio personalis, vel realis. §. 673. Aliquando sufficit in casu realis læsionis usus præhabitus aliquando non requiritur, si scilicet, titulus apprehensi, vel apprehendendi possessorii, aut usus inchoandi adest.

§. 671.

Si Actio in missione vel commissone fundata

sit, ante litem contestatam decet probari missio vel commissio, secus Incattus absolvitur D. 1: 170. 27. Junii 1806. Thóldi, et cessat Actio etiam quoad commissionatos, D. 15. p. 8. licet prodeat ejus homines patrasse violentiam (verum coram Sede dominali contra ipsos agi poterit, contra Officialem vero ex officiolatu) nec imponetur illi juramentum purgatorium, nisi semiplena proba Actoris gravetur.

§. 672. In personali læsione quidem, seu Actori, seu jurisdictionato illius ignobili illata sufficit probare ipsam læsionem, quo facto Actoratus stabilitur, in merito dijudicatur an actus sit pœnalis, et an ad legem applicari possit. Si vero læsio, quam A. sibi illatam queritur, sit realis, (v. gr. quoad fundum, vel quoad exercitium juris) ad Actoratum consequendum, quod minimum est, probare sufficit usum vel positivum, v. gr. rei vel juris, vel negativum, v. gr. immunitatis a præstatione qualicunque, vel servitutem salte unius anni pacificum, et quidem, priorem, vel privatum, idest, per solum Actorem exercitum (qui nonnunquam plane exclusivus est, cum scilicet rei substratæ usus per plures simul exerceri non potest) vel communem cum I. læsionem inferente 68: 1-mæ. 23: 1615. 41: 1729. usque eo sufficit inquam usum probare, donec adversa pars usum precarium tantum, idest, a beneplacito suo pendentem fuisse doceat, aut plane criminalem, v. gr. ex furto vel plane rapina promanantem. Sic: usus vel potius abusus ex cespite communi occupandi, in recentissima occupatione turbato tam parum assistit, quam furi usus furandi. Ad usum vero non sola occupatio, (v. gr. circumvallatio) verum uti-

litatis perceptio requiritur, sic: licet ex communi dumeto occupando, circumferentiam purgaverim, et uno anno pacifice falcaverim; in partibus tamen ejusdem occupatæ plagæ interioribus, tardius purgatis, sequenti anno reliqui compossessores me impune turbabunt, etc.

§. 675. Verum, ut usus annuus debeat probari, ideo inventum est, ne illi, qui nullum legalem titulum possessorii adepti habent, vel illum nolunt pandere et propalare (prout nec debent) etiam post annuum pacificum usum via facti turbentur, et ne quis contra tales proprio judicatu et via facti, etiam post plures annos uti possit, verum via juris agere teneatur. Si quis vero usu annuo potiorem, eumque legalem jam a p p r e h e n s i possessorii titulum habeat, v. gr. aliquo titulo, etiamsi nefors rem, quæ jure ad tertium pertinebat a possessore vero non tamen precario vel criminali, atque licet fors violento, sed nec judicialiter, nec via facti turbato, acquisivit, et per quoscunque (licet per ipsum transferentem) turbetur; item, qui similem titulum apprehendendi habet, 56: 1655. cui scilicet transferentis ab intestato morientis vel legantis, possessorium, velut repræsentanti, adeoque proprietas rei adscribi potest, atque, non per transferentem, vel ejus aut respective defuncti prætensos successores, (contra quos scilicet implementali aut respective successionali processu utendum esset) verum per alios, jus transferentis in se derivatum prætendere nequeuntes, ab apprehendendo arceatur 655: 56. §. 4-to, qui denique, velut actualis possessor principalis rei, titulum u s u s in accessoriis i n c h o a n d i habet, v. gr. compossessor, qui in lignationis,

pascuationis, educilli, aut aliorum similium jurium, licet per alios privative, non tamen exclusive possessorum, et possideri queuntium, usu licet non realiter, virtualiter tamen fuit, idest, non obstante reliquorum usu esse potuisset, si voluisset, adeoque qui meri arbitrii usum non habuit, ut etiam is qui in fundo suo non ædificavit, eum colere neglexit, sed nec per alterum (vel tantum precario) coli admisit, illi inquam, determinati temporis possessorio vel usu non opus est, ut ad pœnam violentiæ actoratum habeat, inchoatio itaque titulo vestiti usus non admissa vel turbata, violentiam statim importat, nec poterit hoc instituto validitas vel invaliditas illius tituli quo Actor rem acquisivit, vel usum inchoare vult disquiri, verum is in usum rei poni vel reponi, et I. in pœna violentiæ convinci debebit, nisi Actori jus proprietatis prætendenti I. vel investitionem legitimam (v. gr. viduus vel vidua in bonis ad collaterales conjugis defuncti devolutis) vel brevem quidem usum, sed exclusivum, et cum titulo licet infirmo (non tamen precario vel criminali, aut judicialiter inhibito) inchoatum, vel denique usum annuum pacificum exclusivum, licet absque titulo, etiamsi v. gr. violenter inchoatum obvertat in his casibus A. in occupanda re sua turbatus non habet actoratum.

§. 674. Meritum processsus violentialis, et casus illud illustrantes hoc et sequentibus §phis, §. 675. Continuantur, et quid inter reverberationem et redehonestationem conveniat vel non conveniat, exponitur. §. 676. Compossessor ex communi occupans, aut illum tur-

bans non est violentus. §. 677. Nec se ad usum rei indeterminate et promiscue per reliquos usuatæ, ponere volens, ast ipsum turbantes, sunt violenti. §. 678. Non item usum determinatum licet improportionatum extendere volenti resistentes, an vero ille ipse fit violentus? §. 679. Differentia inter turbationem usus privativi et exclusivi, item in re communi vel aliena exerciti.

§. 674.

Actoratu stabilito, debebit Actor factum læsionis probare, et sic in sententia meritoria declarabitur, an actus sit pœnalis vel minus? v. gr. usus turbatio, qui fuit tantum precarius, idest, ex arbitrio turbantis pendebat, non infert pœnam violentiæ. Sic: licet in silvis, pro quolibet compossessore excisis, communis ubique pascuatio reservata sit, capras tamen reliquorum licite quis ex sua rata impellet, D. 24: p. 175. Sic: si quis ex silva vel terreno suo fugientem absque ulla interjecta mora persequatur, et in alieno fundo capiat, et rebus apud se habitis in vadimonium damni per ipsum illati privet, non poterit per Dominum territorii actione violentiali conveniri, et puniri, quia non fuit dolus, idest, ipsum lædendi studium Dec. 52. p. 177. Si quis hominem suum inobedientem, et ad fundum alterius fugientem inde absque ullo damno et læsione alterius extrahat, non convincitur, quia abest dolus. Si privigni novercam ex bonis suis maternis ejiciant, cessat pœna, et actus majoris potentiæ et violentiæ, et indebitæ actionis, D. 21. p. 129. 21: 175. Sic si quis eum, qui ipsum verberavit, eodem tempore reverberet, impune facit, quia reverbe-

ratio, in momento servato moderamine inculpatæ tutelæ, est defensa, illo transgresso vel mora interjecta vero, est vindicta. et jurisdictionis arrogatio, adeoque pœnalis, D. 12. p. 173. verberatio aut reverberatio crudelior semper est delictum criminale. Si usum in silva habens, etiam post assecurationem, et promissionem, super eo factam, quod abusus quos hactenus in silva patravit, non exercebit, silvam tamen destruat, et in destructione turbetur, pœnam violentiæ desumere non poterit, licet reponatur in usum, quia turbans non dolose fecit, verum ob bonum commune ex consensu actoris, D. 6: p. 172. Nec sufficit qualiscunque cousus, sed irrestrictus et illimitatus debet probari, 11-ma Sept. 1806. Buschan. Si detineam res illius, contra quem prætensionem habeo, licet inter illas res, etiam alterius res sint, tamen, tantum quoad illum convincor in pœna violentiæ, contra quem prætensionem foveo, D. 36: p. 178. quia quoad reliquorum res cessat dolus, et intentio nocendi; damnum tamen, quod nefors reliquis immediate ex meo facto promanavit, refundere debeo: quia versanti in re illicita, necessariæ licet per illum non intentæ consequentiæ bene imputantur, non item aliæ; imo, etiam jure suo utens, ex pluribus licitis mediis innoxium debet adhibere, secus vel damnum accidentale refundet.

§. 675. Si quis violenter ablatam rem propria auctoritate, mora interjecta reoccupet, et sibi justitiam administret, (quod potest intra annum et suo periculo) non poterit contra eundem occupatorem ad pœnam violentiæ procedere D. 22. p. 175. quia sibi satisfactionem procuravit: po-

test tamen damni processu agere; verum, qui sponte sua restituit id quod alteri violenter abstulerat, a pœna violentiæ non liberatur, 1514: 26. §. 2. ut nec is, qui in flagranti deprehensus, restituere, et re infecta vel plane rebus suis spoliatus abire coactus est, quia, qui se defensivè habet, is judicatum sibi non arrogat, nec liberatur a pœna, qui alterum injuste incepit verberare, et per eum reverberatus est; aliter est in dehonestatione, quia redehonestatio non est defensio, ergo verba verbis, coram eodem judice, via reconventionis (non item coram diversis) compensantur, si in continenti facta est redehonestatio, quia uterque deberet puniri; idem verum est de reverberationibus in flagranti, si non sciatur, uter incepit verberare, D. 11. p. 175. (quamvis vigore õ-tiæ 21. §. 7. is deberet in hoc casu puniri, qui rixæ ansam dando, alterum provocavit) imo etiam de reverberationibus diverso tempore factis, quando utrumque deliquisse certum est; ast in continenti moderate reverberans non semper delinquit, prout in continenti redehonestans. Eadem est ratio, si quis v. gr. occupavit mea bona, ego post annum pacifice expletum reoccupo, ambo violenti sumus.

§. 676. Si ex communi terra (præcipue proportione nondum regulata) privative pro me aliquid occupem, non sum violentus, ut nec illi, qui me occupare volentem impediunt; quia utraque pars in solidum fuit in usu. Si occupare volens verberetur, impune factum est, quia alios voluit re communi privare; si turbantes verberentur, pariter impune factum, quia potuissent via juris agere, v. gr. proportionali (non repositorio, Dec. 2. p. 192.) processu; si proprio judicatu uti pla-

cuit, tolerare debent sequelas. Eadem ratio fratrum indivisorum.

§. 677. Si ego compossessor velim me ponere in usum rei vel juris, quæ vel quod in solidum et indeterminate possidebatur per reliquos, v. gr. pascuatio, lignatio, glandinatio, et nonnunquam etiam educillatio etc. non sum violentus; si reliqui compossessores me turbent, erunt violenti; nec possunt actioni meæ violentiali defectum usus obvertere; quia cum reliquorum usu, licet quoad illos privativo, non tamen exclusivo, potuisset consistere etiam usus meus, et revera nemo meam rem, verum suam quisque usuavit, adeoque possum dicere; non fui in usu, quia non placuit, (nisi prodeat, reliquorum inhibitiones judiciales, aut repetitas, non vindicatas turbationes anteriores obstitisse) quia sufficit mihi titulus absque usu, imo plus est quam usus, titulus scilicet ille quod ego sim compossessor, etiamsi usus non adfuerit. Nam jura ex libertate naturali et civili aut politica fluentia, adeoque a mero arbitrio pendentia, per non usum non amittuntur, præscriptio ergo in illis non currit, hoc vero est præscriptionis species, quod contra illum, qui processum violentialem movet, obvertatur defectus præhabiti usus; secus sequeretur v. gr. eum, cui certo tempore non placuit deambulare in platea publica, amisisse jus deambulandi.

§. 678. Si vero ego compossessor, qui hactenus vel simpliciter non fui in usu, vel fui quidem, verum usum meum via facti velim extendere, vel me prorsus ad usum ponere rei, quæ non in solidum, verum secundum ratas inproportionatas, vel per reliquos solos, vel per me quoque cum illis

usuabatur, et reliqui me turbent vel verberent, atque processu violentiali agam, potest objici defectus usus; quia cum reliquorum usu præhabito, impossibile fuisset meo usui consistere, idest, ut et illi ita fuerint in usu prout erant, et ego ita fuerim prout prætendo, quia hoc repugnat, v. gr. si dividebatur inter compossessores arendatitia pecunia communis beneficii 100 fl. faciens, ex qua ego hactenus vel nihil, vel tantum 10 percepi, et nunc plus volo mihi appropriare, contra resistentes non habeo actionem violentialem, licet nihil jure plus competat, non fui in usu, quia impossibile fuit, ergo absolventur reliqui a pœna violentiæ, prout et ego absolverer, si ob eam rem citarer, quia reliqui, (prout in causa Peterfi contra Ducem Mutinensem decisum fertur) precario possederant illud plus, ad cujus usum me posui, vel ponere tentavi. Secus esset, si secundum justam competentiam habitus usus D. 17. pag. 174. fuisset turbatus.

§. 679. Dum possideo rem, quam mecum, etiam alter simile jus habens, v. gr. compossessor, usuare posset absque obstaculo usus mei, non præscripsi: quia privative quidem, sed non exclusive possedit; talia sunt, ut supra dictum, pascuatio, lignatio, glandinatio etc. — Si vero possedi et usuavi rem communem, ita, ut non potuisset mecum simul alter ita usuare, præscripsi uno anno quoad usum et proprium ipsius judicatum, quia non privative tantum, verum etiam exclusive usuavi; talia sunt: messio, falcatio, habitatio, inædificatio etc. — Cum tamen origo possessorii et usus mei ex communi profluxit, licet 52 annis ita rem usuaverim, ut similis alterius usus ibi impos-

sibilis fuerit, quoad proprietatem non præscripsi, proportionali (inter fratres vero saltem quoad illam plagam adhuc indivisos, divisionali) instituto poterit regulari, dum et quando, quia tantum precario possedi. Quin, imo, frater indivisus dum et quando potest se ad possessorium ponere, absque pœna violentiæ, nisi frater possessor, propriam investitionem in bonis habeat, v. gr. commune pignus ab extraneis reluit, adeoque extraneum repræsentet. — Si vero rem possedi quæ tempore inchoati mei usus, sive privativi, sive exclusivi, (id-est, ut alterius usus impossibilis fuerit) non communis, verum aliena fuit, non quoad usum tantum et proprium alterius judicatum uno anno, verum 32 annis etiam quoad proprietatem præscripsi.

§. 680. Pœna violentiæ per nobilem physicam vel moralem personam directe nobili, §. 681. Jurisdictionato ejus cum mediata et indirecta Domini læsione, §. 682. Vel accessorie cum directa ejus læsione. §. 683. Et denique ex officiolatu illatæ, et modus procedendi. §. 684. Pœna violentiæ, per ignobilem possessionatum. §. 685. Per ignobiles alios. — §. 686. Vel per communitatem ignobilem, §. 687. Aut denique per pagos ex nobilibus constantes, nobili illatæ. §. 688. Distincta a pœnis recensitis specialium quarundam violentiarum pœna. §. 689. Violentia ignobilibus illata, et defectus Actoratus personalis eorum contra nobiles. §. 690. Pœna violentiæ personalis ignobili soli. §. 691. Quoad fundum sed liberum, et nulli censui vel Domino terrestri obnoxium. §. 692. Quoad res mobiles illatæ §. 693. De pœna violentiæ relate ad amissos vel assumtos nobiles ju-

risdictionatos. §. 694. Diversitas pœnæ, prout actus plures, pro uno, vel pluribus habendi sunt, §. 695. Vel personæ plures pro una. §. 696. An morte alterutrius, lædentis scilicet vel læsi tollatur actio et pœna violentiæ. §. 697. Propter actum majoris potentiæ, quin et criminalia minora violentialis processus. §. 698. Executio et appellata in violentialibus.

§. 680.

Nobilis, sive sit physica persona, sive communitas D. 1. p. 6. v. gr. Capitulum, Civitas etc. propter violentiam nobili illatam convincitur in 100 floren. quorum dimidia pars Judici exequenti, dimidia vero actori cedit, 55: 1625. Hinc: si lædens 50 fl. læso judicialiter ante motam litem offerat, cessat Actio violentialis, non item repositoria, vel damni, aut doloris perpessi compensatio. Quarta pars 50 fl. idest, marca levis pro gravi non potest offerri, quia 86: 2-dæ, de incidentalibus tantum loqui videtur. Præter 100 fl. homagia assumtorum etc. ante litem contestatam non mortuorum, item jurisdictionatorum Actoris, occasione principalis delicti contra illum patrati verberatorum solvi, expensæ litis, 2-dæ 67. 55: 1492. 42: 1729. et damna refundi debent, cum corporis nefors dolorum aut vitæ mediorum jam quæri nequeuntium compensationem 51: 1659. et rerum ablatarum restitutione, cum omnibus fructibus, naturalibus et civilibus (idest, qui ex re naturaliter non fluunt, verum occasione ejus percipi possunt, v. gr. census domus) consumtis et exstantibus, perceptis et percipiendis (idest, qui percipi potuissent, etiamsi non sint percepti) perditis meliorationibus et ædificiis in fundo nefors positis 4: 1542.

§. 681. Per id etiam censetur nobilis in jura aliena involare, si hominem alterius nobilis verberaverit, aut in rebus juribusve ejus læserit, etiamsi immediate et principaliter bona Domini non violaverit. Hinc, Domino pro illo actoratum assumente, Nobilis lædens, propter læsum Dominum, in 100 fl. damnis item jurisdictionato ejus illatis, in casu læsionis quoad fundum illatæ convincitur, Dec. 51. p. 177. si vero quoad res mobiles aut personalis fuerit læsio, etiam homagium ejus solvere debere videtur. Quia 31: 5-tiæ postquam reales et personales læsiones distinxisset, de pœna disjunctive loquitur, ut præter 100 fl. vel homagium jurisdictionati, vel damnum præstetur, ratio differentiæ vero mobilium et fundorum infra dicetur.

§. 682. Si vero occasione læsionis, immediate et principaliter Domino illatæ, verberatus est jurisdictionatus ejus (qui nefors, v. gr. jura domini defendere volebat) præter et supra pœnam violentiæ principalis, propter verberationem coloni, non 140, verum tantum 40 fl. solvuntur.

§. 683. Si commissio Domini Officiali facta probari potest, solus Dominus citatur, nec debet Officialis ex officiolatu citari, et licet citetur una cum domino, tamen non est principalis persona in lite, nec propterea duæ pœnæ current, ut aliqui putant, Dec. in causa Fülöp, 1785. Ergo est supervacaneum et Dominum et Officialem citare, idest, ex commissione simul et officiolatu movere; verum si non possit probari commissio, Officialis solus qua talis citatur, et assumtos quoque suos, non obstante 2-dæ. 25. §. 2. juri statuere jubetur, et executio contra Dominum dirigitur. —

Licet vero in commissione Domini fundetur actio ex officiolatu erecta, ea tamen non probata, vel Domino semiplene gravato juramento se purgante, eodem instituto et Dominus et Officialis absolvitur. Unice ex officiolatu erit agendum. Si Officialis moriatur, evanescit actio, nisi commissio Domini probari possit. Officialis licet officium deseruerit, tamen citari potest, verum non reduplicative, idest non ex officiolatu, nec executio ad bona Domini dirigetur, verum eodem processu habebit regressum contra Dominum evictorem, si commissionem ejus probet. Secus est si post citationem discesserit, Dec. in causa Fisci, Comitatus Heves, ignobili cuidam assistentis 26-ta Nov. 1804. lata de hoc casu loqui videtur.

§. 684. Ignobiles jure uxoreo vel materno bona possidentes, æque in 100 flor. et assumtorum homagiis convincuntur, si contra nobilem ex talibus bonis patrent violentiam, 70: 1659. 18: 1687.

§. 685. Cives, et alii ignobiles, licet contra nobilem patrent, tamen in 40 fl. singillative convincuntur, (ut etiam Nobiles illis violentiam inferentes) quia pœna violentiæ centum florenorum (ut Curia decidit) in personas ignobiles cum nobilibus collitigantes, non potest cadere; non obstat quoad cives quod in homagiis suis æquiparentur nobilibus, quia pœna violentiæ mensuram non semper accipit a homagio delinquentis, (quamvis D. 4: 171. pœnam violentiæ a homagio delinquentis metiendo, non restringat) v. gr. Baronum Regni homagium est 400 fl. tamen violenti nonnisi in 100 fl. convincuntur, nisi fors statuatur etiam Baronum Regni homagium vivum, sensu Ulad. 1: 85. 71: 1658. 100 fl. facere.

§. 686. Communitates vero ignobiles communi consensu violentiam patrantes, sive sint privilegiatæ sive non, æque non in una pœna violentiæ 100 fl. collective, verum Dec. 55. p. 178. singuli ad actum concurrentes, in suis homagiis soli Actori cedentibus, damnis item et expensis convincuntur, onusque ad omnes loci incolas derivatur (quamvis D. 1. p. 6. pœnam unam marcalem 42: 1729. propter non resignationem, collective per qualemcunque communitatem solvendam, etiam ad violentiam applicet, et Tab. R. Pl. 216. applicaverit; 62: vero 1655. privilegiatam, verum tunc adhuc ignobilem communitatem Szathmár-Németi, sicut personam nobilem, in 100 fl. convincendam ordinaverit) secus, si privati proprio instinctu patrent violentiam, quilibet suam pœnam homagialem ferre tenetur, licet aliqui sint tantum assumti: quia ignobiles, missionis, commissionis, juri statutionis incapaces sunt, Ulad. Decr. 7. Articuli 9. Civis tamen in causa Engelmay, in homagio quoque assumti convictus esse fertur, 1782.

§. 687. Pagos ex nobilibus constantes, ex bonis communitatis, cumulative, ad actum concurrentes nobiles vero ex proprio in quolibet desumendos singillative, 100 fl. solvere: pariter, illatam bonis vel juribus per communitatem in solidum et promiscue possessis violentiam, cumulative, separatim possessis illatam autem, singillative 100 fl. lui debere videtur, id quod a Dec. Tab. Septemv. in causa Petõ non abhorret.

§. 688. Exactio in fluviis a ratigerantibus, navigantibus, 100 aureis, sequestri silvarum violatio 200 fl. et denique ademtio ædificiorum alterius Religionis non jam amissione bonorum, ut

Vlad. 6: 8. 26: 1681. verum 600 fl. punitur 1791: 26. §. 12. pleræque aliæ peculiares violentiarum pœnæ in legibus antiquis occurrentes exoleverunt, v. gr. casus 83, 84: 1649.

§. 689. Quemadmodum ignobiles per Nobilem conventi in 100 fl. ob violentiam non convincuntur, ita nec active possunt 100 floren. pœnam ob violentias sibi illatas petere, quin imo, contra nobilem condescendet ipsorum actoratus, observato eo, quod in processu violentiali pœnale sit nobilitatem Actoris negare, (secus ac in processu actus majoris potentiæ) nec requiratur tam stricta proba; nam si Actor alicujus Comitatus testimoniales, licet nefors, in processu actus majoris potentiæ insufficientes, pro nobilitate tamen Actoris præsumtionem juris facientes, et per Incatti contrarias probas enervari nequeuntes, producat, aut saltem usum non controversum nobilitatis, doceat, Actoratu personali stabilito, Incattus in homagio Actoris convincitur 56. 2-dæ.

§. 690. Quod ad illatam ignobilibus violentiam attinet, præter illa quæ superius dicta sunt in re hac obscura, Obs. 1) Propter personalem læsionem contra libertinum vel civem ad pœnam 40 fl. agere possunt. Ast contra nobiles vel Dominus terrestris agit pro ipsis ad pœnam 40 fl. præter 100 fl. ut alias dictum desumendam, vel fiscus magistratualis, vel Judex civitatensis, pariter ad pœnam 40 florenor. non item etiam ad 100, quia civis non est jurisdictionatus Civitatis, prout nec libertinus, Fisci Magist. Hi iidem petunt impensionem a Domino lædentis jurisdictionati, pariter ad pœnam 40 fl. non etiam ad 100, quia ignobilis verberando alterius jurisdictionatum, non præsu-

mitur per id involare velle in jurisdictionem alterius, prout nobilis. Civis contra Civem si agat, 100 fl. exigit, eam enim quis pœnam in regula, propter idem delictum exigit, quam incurrit.

§. 691. 2) In casu realis læsionis autem, si illa propter fundum præstationi cuicunque obnoxium patrata est, repositorium quidem processum contra quemcunque suo nomine illos movere posse vulgo putatur, (vid. infra de actoratu personali) ast pœna cessare videtur, si scilicet jus Domini in fundum non est læsum, (prout etiam vel inter nobiles taxalistas et cives birsagium cessat, si litigetur super fundo taxali vel civico). Ast si ignobilis possideat fundum nobilitarem jure materno, et in eo turbetur, non tantum repositionem et accessoria ejus, verum sub actoratu Fisci magistratualis etiam 40 fl. pœnam, qua verus dominus desumere potest, D. 4: 171. idem obtinere puto, licet non jure materno, verum emtitio possideat, quia ex eo, quod exæstimari possit, impune eum lædi posse non sequitur.

§. 692. 3) Etiam propter res mobiles per ignobilem ablatas, præter repositionem et accessoria, pœna etiam 40 fl. actoratu læsi ignobilis desumi posse, Decisioque 10: p. 175. prout et Dispositio 31: 3-tiæ in casu læsionum realium, colonis, aliisque ignobilibus illatarum, pœnam 40 fl. excludentis, nec non D. 31: 177. vel actoratu Domini contra nobilem, 100 tantum fl. propter læsionem jurisdictionati adjudicans, nonnisi de læsionibus, quoad fundum præstationibus obnoxium illatis intelligi debere videtur; nam rerum suarum mobilium quilibet est directus et absolutus dominus, secus ac v. gr. civilium (quorum Domina

terrestris est Coronæ) aut aliorum fundorum taxæ vel censui obnoxiorum, quorum proprietatem nec læsus, nec lædens prætendit, verum tantum usum.

693. Nobiles servitores licet assumti vel missi sint, peculiariter, ut dictum est, citantur. Si tamen juri statui petiti sunt, atque pars I. amissionem causæ metuendam habeat, imprudenter fecerit si nobilitatem eorum insinuet; nam si non insinuat, certo 40 tantum fl. solvet, si vero insinuet, adeoque peculiariter citati qua nobiles convincantur, dubium est an ipsi solvant, vel Dominus pro ipsis? Probabilius est Dominum solvere, sensu D. 5: 172. quæ non convinci asserit assumentem respectu nobilium assumtorum sibi personaliter non obligatorum, ergo supponit convinci respectu obligatorum, conformiter 66: 1647. et 84: 1649. et quia inter assumtos non distingvit 56: 1655. Porro, si Dominus luit pro Officiali, eo magis solvere debet pro servo. Tandem, debet aliqua differentia esse inter nobiles servos, et nobiles alios assumtos, qui non habent regressum ad principalem patratorem, licet taxalistæ ejus fuerint, atqui si nobiles servi ipsi deberent solvere, nulla esset.

§. 694. Licet plures actus violentos uni (quod præstat et moris est) vel totidem actionibus includam: tamen, si illi continuative vel in continenti et ad unum eundemque finem sint patrati, una pœna currit, D. 8. p. 172. 25: p. 176. propter diversos actus vero, licet uni actioni inclusos, totidem distinctæ pœnæ currunt, quot actus distincti vel diversi fuerunt. Actus plures etiam pro continuativis habentur, si unum eundemque ef-

fectum habeant, et unam eandemque virtutem et finem, v. gr. impedire in aratione, in falcatione vel messe sunt actus continuativi. Propter plures res mobiles aut etiam immobiles, uno eodemque actu, et eodem loco ac tempore occupatas una pœna currit, verum propter plurium colonorum aut aliorum jurisdictionatorum, licet simul et eodem tempore, et in continenti factam verberationem Dominus illorum totidem pœnas exigere potest, quot læsi coloni vel jurisdictionati ignobiles fuerint, sic: etiam propter diversorum, et in diversis locis sitorum bonorum immobilium, vel etiam particularum, licet eodem tempore factam occupationem, diversæ pœnæ currunt. Ex pluribus, intuitu ejusdem fundi patratis actibus, si primus fuerit licitus et impunis, et reliqui tales erunt, hinc ad posterioris actus vindicationem non possum agere, nisi et priorem actum actioni includam, tunc duo pluresque actus pro uno haberi debebunt, nisi intercesserit annuus pacificus usus, sic enim plures pœnæ habebunt locum, prout, si primus actus per Judicem damnabitur, etiam sequentium annorum turbationes, lite jam mota (non item antea factæ) pœnales erunt.

§. 695. Etiam personarum læsarum vel lædentium, quamvis ut moris est, uno libello conventorum, numerus diversas pœnas importat; nisi quoad jura vel fundum, propter quem violentia patrata est, unum idemque jus foventes indivisi condivisionales D. 17: p. 174. fuerint, sensu etiam 23: 1615. ubi indebitæ actionis pœna divisis nobilibus singillative dictatur solvenda, ergo et pœna violentiæ per divisos debet solvi et peti singillative. Ad pœnam violentiæ per fratrem indi-

visum propter jus commune patratæ cumulative solvendam reliqui concurrere jussi sunt, in causa Pély. Imo compossessores quoque, aliquod jus vel fundum, in solidum et promiscue possidentes vel prætendentes tam active quam passive, unam tantum pœnam exigunt vel incurrunt, Dec. in causa Czakó, 1810. Tabula Septemv. singulis compossessoribus Actoribus singulas pœnas addixit in causa Petõ 1810. Etiam violentia per maritum et uxorem patrata ita sumitur D. 18: 174. ac si per unam physicam personam patrata fuisset, non singillative, verum, ut loqui amant, cumulative in una pœna convincuntur.

§. 696. Si læsio est personalis, sive lædens, sive læsus moriatur ante litem contestatam, cessat lis; si vero est realis, mortuo lædente contra successores, non quidem violentialis, verum damni, vel repositorius; si vero facto patris post admonitionem judiciariam inhæreant, D. 2. p. 183. etiam violentialis processus erigi vel continuari potest. Sic mortuo læso, contra lædentem ob realem læsionem processus violentialis per successores erigi potest.

§. 697. Propter actum majoris potentiæ potest soletque violentialis processus moveri vel ideo, quia sæpe actoratus personalis proba difficilis est, vel quia cui licet plus, licet minus, in eodem genere; quamvis possibilis sit major jactura propter minorem, quam majorem potentiam, possitque pœna omnia convicti bona absorbere, cum ratio prolium non habeatur, secus ac 68: 2-dæ innuit, atque ob majorem potentiam fieri assolet. Experimur etiam ob delicta criminalia, v. gr. rapinam leviorem, et imprimis furto ablata ex silvis ligna,

sæpe violentiales processus et pœnas usu venire, idque per I. eo, quod privata actio infamis non sit, tolerari.

§. 698. Pœna violentiæ, ut et reliqua birsagia ex rebus mobilibus convicti debent desumi, illis non existentibus ex immobilibus, si nec illa adsint, persona adjudicatur, in actione vel saltem in insinuatoriis executionis et in levata executionali petita, 68: 2-dæ. 1655: 29. §. 5.

Appellatur processus violentialis a Vice-Comite ad Sedriam intra Dominium, inde extra Dominium, et licet pœnam violentiæ fora inferiora non adjudicaverint, verum Curia Regia, si tamen convictus se illi sententiæ opponat, coram Vice-Comite debebit oppositionis rationes dare. Si convictus temere appellet, pœna duplicabitur, Matth. 6: 55. 48: 1565.

§. 699. Pœna Indebitæ, et quid significet sub specie violentiæ proprietatem quærere? §. 700. Non tamen semper obstat defectus annui præhabiti pacifici usus actioni violentiali. §. 701. Numerus pœnæ indebitæ, et §. 702. Modus illam effugiendi.

§. 699.

Sæpe, propter motum violentialem processum, convincitur Actor in pœna indebitæ actionis (præscissis juridicis remediis) in eadem illa pœna, in qua Incattus convictus fuisset, si Actor triumphasset. Licet autem Incattus absolvatur, et plane ab expensis relevetur, tamen non semper punitur Actor pœna indebitæ, D. 7: p. 172. 27, 50: p. 176. verum tantum 1) Si pure vexandi studio litem movit, et nec speciem violentiæ habet actus

actionalis. 2) Si usus precarii turbationem vult vindicare. 3) Si Actor sub specie violentiæ proprietatam quærat, 23: 1613. idest, loco alterius instituti utatur violentiali, aut tunc se ad usum ponere voluit rei, quam successionali, divisionali, liquidatorio, implementali, debiti, reluitorio etc. Institutis debuisset quærere, cum violentia, quam actioni prætendit, est illata (quia fundamento juris agit, atqui hoc alio instituto debuisset) in hoc casu, contra illum ipsum A. dabatur actio Incatto, et hoc est fundamentum reconventionis, et pœnæ desumendæ, prout etiam illi infligendæ. 4) Qui eam ob causam movet processum, quod alter ipsum in jura sua involantem turbaverit et impediverit, D. 26: 176. ut adeo 5) etiamsi violentialem, vel repositorium habuisset quis movendum, sed maluit via facti uti, si in ea turbatus vel verberatus propter hanc verberationem violentialem moveat, pœnam indebitæ non effugiet, argumento fortiori D. 55: 178.

§. 700. Si tamen A. ad usum juris exercendi se ponens, et turbatus, sensu l-mæ 68. et 56: 1655. titulum juris exercendi habuit, licet in usu non fuerit antea (v. gr. compossessor aut emtor, aut legatarius, anni usum non expleverit, ut alias dictum) non tantum pœna indebitæ contra ipsum non curret, verum etiam I. in primo juris exercendi momento, vel respective post apprehensionem illum turbans pœna violentiæ afficitur, præcipue si nec Incattus fuit in usu rei vel juris illius, in cujus exercitii initio Actorem turbavit, vel fuit quidem, verum illius usus, quantumvis privativus, non tamen exclusivus, consistere potuisset cum usu tali, qui et Actori communis fuisset,

v. gr. piscandi, pascendi usus, non item aratio, falcatio in una eademque gleba. Quamvis Actor ad usum transactionalis, sed jam pridem interruptæ pascuationis D. 25: 175. item emtor, ad possessorium bonorum per tertium precario possessorum, quæ, evoluto certo tempore, via facti apprehendendi jus, venditori contractu per tertium stipulatum, illudque jus in emtorem translatum erat D. 55: 178. se ponere volentes, et non admissi ob violentialem processum motum pœnam indebitæ reportaverint. Licet vero quis in pœna indebitæ convincatur, tamen in expensis actoreis non convincitur, Dec. 29: 177. et anni 1803. causa Vandernath.

§. 701. Quot diversæ pœnæ dictari debuissent propter actus actionales, si Actor triumphasset, totidem distinctas indebitæ pœnas debebit Actor luere, non tot quot petiit Dec. 8, 9. p. 172. Si ergo plures II. propter unum actum singillative convinci petiti, unam tantum pœnam indebitæ exigere possunt, licet Actores plures, unum tamen jus commune foventes sint, D. 19: 175. etiam una tantum pœna violentiæ locum habitura erat. Quoad assumtos et alios ignobiles pœna indebitæ non currit, sed tantum quoad nobiles, licet assumti quidem, sed peculiariter citati et singillative convinci petiti fuerint, D. 54: 178. (quamvis Tabula R. cum duo nobiles sunt citati, et alter illorum assumtus fuit, unam pœnam indebitæ dictaverit) quia indebitam petere est, reactio, idest, Actorem se facit, qui indebitam petit, quod ignobilibus non competit contra nobiles.

§. 702. Qui pœnam indebitæ effugere vult, actionem in prima instantia deponere debet, id-

est, statim initio processus, saltem ante petitam per I. pœnam indebitæ, quia tunc evadet Incattus per reactionem alterius, Incatto vero depositio non suffragatur; præterea, ne actor se pœnæ indebitæ exponat, consultum est, ut, antequam processum ad pœnam violentiæ moveat, inquisitionem collateralem, super facto violento, et turbatione sui usus pacifici (ubi ille sufficit) peragi curet, et si viderit probanda probari posse, processum inchoët. Possunt etiam assumti testes agere, sed illorum homagia convictus solvere non tenebitur, nec peti debet ut juri statuantur, sensu Dec. 7. p. 51. licet Tabula R. etiam testimonium juri statutorum admiserit, Pl. 217. adeoque non in quæstione facti, verum in quæstione juris, secus ac pag. ead. dicitur, fuerit dissensus.

§. 703. Judicatus in repositorio processu, §. 704. Actoratus et meritum. §. 705. Repositio proprio judicatu. §. 706. Summarissima per Vice-Comitem, quibus inservit, quibus non? — §. 707. Quid juris circa repositionem relate ad Arendatores? §. 708. Relate ad alios contractui non satisfacientes? §. 709. Et Dominos terrestres, terras cultoribus adimentes. §. 710. Uti processus violentialis absque repositione, ita repositio absque violentiæ pœna subsecutura possibilis est. §. 711. Titulo provisus via repositionis non ejicitur. §. 712. Convenientia et differentia proprii judicatus et repositionis. §. 713. Effectus decretæ vel non petitæ repositionis summariæ.

§. 703.

Tertius processus ex actibus potentiariis est: Re-

positionalis. Actio fundatur in 4, 5, 15: 1542. 44: 1625. 11: 1681. 22: 1802. Defluit coram Vice-Comite. Si vero ejectio sit antiqua, modo jus sit sustentatum, licet multæ involutiones circa bona evenerint, vel privilegia sint superinducta, defluit coram Tabula Regia, D. 8. p. 17. quæ probæ juris necessitatem non necessario supponit. Repositio sub specie processus damni coram Judice Nobilium quæri non potest D. 5. p. 192. ut nec damnum sub specie et instituto violentiæ, imo nequidem repositionis, coram Vice-Comite, nisi accessorie, cum tituli vel usus probatione, ex abusu proprii judicatus illatum est, vel illatum esse præsumi potest. Potest repositionalis processus non tantum quoad bona corporalia, verum etiam incorporalia, idest, jura aut immunitatem a quacunque præstatione et servitute moveri.

§. 704. Eo differt a violentiali, quod hic birsagium vel pœna indebitæ non currat, quod item tantum in realibus locum habeat, et quod omnibus hominibus competat, tam quoad res mobiles, quam quoad fundos taxæ obnoxios. Ceterum præter forum, in eo convenit cum violentiali, quod ad actoratum doceri debeat vel titulus inchoati aut inchoandi usus, vel possessorii, vel, quod minus est, annuum præhabitum pacificum possessorium, secus, hoc instituto nihil consequetur Actor, D. 2, 5. p. 192. In merito, æque ac in violentiali probare debet, se via facti esse ejectum, D. 6. p. 193. 1. p. 192. secus non reponetur, sed ad aliud institutum relegabitur; quia quilibet ea via est ejiciendus e bonis, quia ingressus est; hinc, si v. gr. non via facti, verum aliis malis artibus est quis ingressus, aut titulo aliquo, licet per legem

annullato rem apprehendit, successionali sepositorio, vel ad restitutionem in integrum, et simul ad sepositionem directa Actione est utendum. Ast licet quis non via facti et proprio ausu est ingressus, verum titulus (secus etiam ad transferendum dominium inhabilis) quo hactenes usus est, jam cessavit, contra ipsum repositio locum habet, v. gr. contra dotalistam simplicem, jam nuptam 61: 1618. contra arendatorem, evolutis annis bonis exire nolentem, sic in commodato precario etc. Etiam circa servitutes violentiali et repositoriæ liti utrinque locus est: verum sive quis sit Actor sive Incattus, illi incumbit proba, qui extra possessorium est, vel servitute scilicet premitur, vel illam vult alterius fundo imponi.

§. 705. Intra annum, quilibet via facti ejectus suo periculo semet via facti reponere potest 68: 1-mæ. 22: 3-tiæ, si enim is, qui non in defensione, verum in vindicatione rei suæ turbatus, vel servato moderamine verberatus est, queratur, non auditur; nam via facti agendi modus est odiosus, quem leges tolerant quidem, sed non jubent, imo de infelici ejus exitu querentem puniunt, D. 26: p. 176. 33: 178.

§. 706. Præstat itaque recurrere ad Vice-Comitem, 22: 1802. 13: 1807. qui intra annum recurrentes, æque intra annum a recursu, sub amissione officii, debet reponere, (vel saltem repositionis opus inchoare) illos scilicet, qui vel in præhabito annuo pacifico, cujuscunque juris, aut immunitatis, vel re mobilis aut immobilis usu turbati sunt, vel quos, licet usum non habuerint, eo quod illo potiorem titulum habeant, processu violentiali agere posse diximus, ubi de actoratu

hoc egimus; non ergo mere, idest, absque juris et usus turbandi intentione damnificatos, (quia illi non possunt proprio judicatu uti, nisi in instanti aut in continua persecutione, quod quidem magis defensionem, quam proprii judicatus exercitium sapit) prout nec illos, qui implementali processu agere deberent, eo quod non per tertium, verum per contrahentem alteram partem, vel eum repræsentantes, rem apprehendere, licet contractui satisfecerint, vel satisfacere velint, non liceat; quamvis, si illis quantumvis reluctantibus apprehenderint, impune fecerint, quia tantum illum potest quidem Vice-Comes reponere, qui via facti potuisset (non tantum impune, verum plane licite) uti, sed non omnem illum, v. gr. vitiose, vel plane nulliter executioni subjectum, sic: venditore, rem tradere nolente, aut cuipiam tertio vendente, soluto vel judicialiter oblato pretio illicite quidem, impune tamen ut dictum, rem vere emtam occupamus, sed repositione uti non possumus, verum implementali. Res arendatoris in fundo deprehensæ, per dominum qui arendam dedit, aut hospitis, per cauponem propter damna, aut restantem censum, vel respective pretium rerum consumtarum, impune detinentur, sed repositio frustra ab alterutra parte peteretur; ast, si v. gr. propter mutuum non solutum detinerentur res arendatoris, is repositionem obtineret. Sic: executa pro debitis, damnis, vel birsagiis, fratris condivisionalis, vel vicini bona, frater alter, vel vicinus, tempore executionis plenam et instantaneam satisfactionem offerens, eamque si non acceptetur apud Judicem deponens, impune occupat, sed repositioni

locus non est. Eandem puto rationem esse fratris non præmoniti, aut fratris vel vicini se pro emtore offerentis, solvere volentis, emtorem ab ingressu bonorum inhibentis, bonaque apprehendere non permittentis, imo eadem præoccupantis, si vero quis non rem suam, verum alienam, eidem, cujus esse agnoscit, plene exsolutus, absque conditione pro remissa declaret, locus est repositioni, si effective resignare nolit, sed summam conventam levare nolens, et cum ea admonitus, illicite quidem, sed impune ejicietur, ast repositioni locus non erit. Si unus compossessorum vel ejus colonus ex communi occupet, vel exstirpaturam faciat, intra annum quidem via facti turbari potest, verum repositioni (seu summariæ seu solemni contra eum locus non est, D. 2. p. 192. nisi fors inducta jam proportione, fundus usui communi relictus esset occupatus). Ast, si unus compossessor, tale beneficium, in cujus usu posset consistere cum aliorum usu, vellet sibi privatum reddere, v. gr. solus vellet pascuare, vel lignationem exercere, et reliquos turbaret, esset locus repositioni.

§. 707. Etiam arendator, conditionibus per ipsum non impletis, potest ejici, licet repositioni contra ipsum locus esse non videatur, verum processui implementali, damni, debiti. Si vero tempore pactato elapso arendator exire nolit, vel prorsus bona, tertio, licet nefors, eodem, vel firmiori jure utenti tradiderit: in arendam dans, et via facti et via repositionis uti poterit, v. gr. frater indivisa bona per ipsum reluta dederit in arendam (non item si oppignoraverit, et pignoratarius alteri fratri remittat, in pari causa melior est conditio possi-

dentis, investitionem in bonis habentis, processu divisionali-liquidatorio opus erit contra illum). Bona pro remissis declarans, si erga censum postea mutuo consensu determinandum, et tempore remissionis nondum determinatum maneat in bonis, et deinde super censu conveniri non possit, nondum est arendator, in suspenso mansit contractus, nec ipse, nec is, in quem bona nefors transtulit, possunt vel via facti, vel repositionis ejici, ast, si census est determinatus, et repositio et via facti locum habere videtur, etiam si apprehensio formalis et solemnis, v. gr. prænumeratio census non adfuerit, (nam hoc non ipse arendator, verum alii, quorum interest, v. gr. creditores bona resignantis possent controvertere) arendator absque justa causa ejectus, repositionem obtinere solet.

§. 708. An præter arendatorem, in aliis casibus, pars contractualibus conditionibus non satisfaciens, rem contractu debitam præstare nolens, absque reservata eatenus facultate, via facti, (nam quod repositioni pro neutra parte sit locus, certum videtur) ejici possit? propter Decisiones jam alias adductas, 17: p. 102. 15: 155. dubium est, illicite quidem ejectionem fieri, atque si infeliciter tentata est, licet in contractu reservata sit, querelam pœnalem fore censeo, D. 55: 178. sed si caute et felicer facta est, tolerari debere puto, non enim possunt jura illi assistere, qui ipse in culpa est, v. gr. contra emtorem, vere emtam rem, venditori, eam tradere nolenti, via facti adimentem, pretium apud Judicem deponentem, frustra repositionem peteret venditor; ast fide pretii habita, a moroso debitore, via facti, rem venditam

recipiens, et repositioni et pœnæ violentiæ obnoxius fieret.

§. 709. Contra Dominum terrestrem, qua talem, relate scilicet ad fundos censui obnoxios, coloni ejusdem Domini, repositionem a Vice-Comite frustra petunt, altiori auctoritate possunt reponi, ut re integra, negotium in Sede dominali pertractetur. Propter res mobiles, non causa et respectu præstationum domino debitarum ademtas, repositioni locus est. Quin imo, si extraneus, nobilis vel ignobilis, e vineis et domibus in terra alterius nobilis possessis via facti ejiciatur, repositionem obtinere debet. Quia 48: 1655. violentiæ pœnam dictat, adeoque et repositionem supponit, licet D. 4. p. 195. (in fine) contrarium insinuet.

§. 710. Possibile quidem est, ut quis ad pœnam violentiæ procedere possit, sed repositio non sit necessaria, cujus rei exempla occurrunt sparsim in jure; ast, si repositio locum habeat, etiam pœna violentiæ, vel contra eundem, vel alium quempiam in regula, locum habebit, nam, quamvis v. gr. contra bonæ fidei possessorem, unice repositio, et non pœna violentiæ obtineat, sensu D. 6. p. 172. cum tamen insinuatio repositionis per Vice-Comitem judicialiter facta, vices admonitionis subeat, adeoque bonam fidem tollat, etiam pœna violentiæ subsequi potest, ut dixi, in regula, nam contrarium non est impossibile, præcipue, si probæ, ut semper deberent, cum insinuatione termini repositionis, Incatto (v. gr. in facto alieno versanti) non transmittantur.

§. 711. Prout vero is tantum potest petere repositionem absque annuo præhabito usu, qui titulum possessorii vel apprehensi, vel apprehenden-

di, (eo scilicet sensu, quo exposuimus alias) vel usus inchoandi habet: ita, contra illum non potest repositio peti, qui ipse titulo provisus est, v. gr. emit tardius, et apprehendit prius rem per tertium antea emtam, sed non apprehensam, aut est præsumtus successor, vel legatarius defuncti, cujus res occupavit, aut compossessor, et inchoat usum rei vel juris, non exclusive per reliquos possessi, quem hactenus non exercuit, aut qui precario, vel penes continuas turbationes per alterum possessam rem via facti recepit, v. gr. patris continuo turbati, bona eadem dividentium filiorum unus, in rata sua æque continuo turbatur, alter non, post pacificum tamen unius anni usum turbatus, repositionem frustra petiit, quia turbatio partis, turbationem totius involvit, etc. Sic: qui emit vel dono obtinuit a pupillo vel tutore, non repositioni, verum sepositioni locus est, nam habet titulum, licet illegalem, et fors Evictorem etc.

§. 712. Si læsus in usu præfuerit, non destructionem vel diminutionem (nisi ut diximus, violenter, cum usus vel juris turbandi intentione factam, atque occasione principalis læsionis, accessorie considerandam) verum turbationem vel ademtionem rei supponit, et via facti, et repositio, quæ res, si jam non exstat, in æquivalenti debet restitui per V. Comitem: ast proprio judicatu non æquivalentem, verum ipsissimam rem ablatam permittitur quis recipere. Differt præterea repositio a via fecti, cui surrogata est, eo, quod via facti nemo possit se in casu damni, licet potentiose illati, indemnem præstare, (nisi, ut dictum, in flagranti, aut continua persecutione, damnificantis res in securitatem refusionis damni adimendo)

ast via repositionis, damnum, quod immediate ex facto ademtionis enatum est, resarcitur, non item omne id quod interest, idest, quod læso accessisset, si læsio non intervenisset. Porro: qui via facti recipit rem ablatam, non potest pœnam violentiæ petere, ast repositus potest, in regula (imo, pro re nata, etiam pœnam actus majoris potentiæ) et, omne id quod interest, seu lucrum cessans. — Tandem: contra occupantem, via facti, vel, sensu 1729: 42. §. 9, 10. inhibitione, singulis annis turbatum, reoccupatio via facti etiam post plures annos admittitur, sed repositio hæc summaria peti non potest. — In eo vero convenit repositio summaria cum via facti, quod per violentum occupatorem judicialiter et in specie oblatam rem non acceptantes, neutra possimus uti; quia re, non jam facto ejus, sed facto nostro caremus.

§. 713. Qui repositionem per Vice-Comitem decretam non admittit, contra ipsum, petente V. Comite, per Comitatum brachium decernitur, recursus tamen utrinque (vel re ipsa integra) ad Suam Majestatem in salvo est 22: 1802. 15: 1807. Si quis intra annum nec via facti usus est, nec repositionem summariam petiit, intra 32 annos violentiali (quam repositio quoque sequetur) postea vero, si jus in re sustentavit, solemni repositorio processu utetur. In civitatibus, a Judice, inter vel colonos vero, aut quoad fundos dominali potestati subjectos, vigore Resol. Regiæ, a Domino terrestri petenda est repositio summaria, prout solemnis.

§. 714. Impensio judicii. §. 715. Per quem, contra quem, §. 716. Quomodo petitur? §. 717.

Alter modus procedendi. §. 718. De termino impensionis. §. 719. Quis tenetur impendere? §. 720. De condescenso vel terminato processu impensionali. §. 721. Pœna in impensionali dictanda. §. 722. Pœná non impensionis, et modus procedendi, vel contra dominum, vel contra colonum. §. 723. De colono vel arendatore, in dominum violento, item, de violentia arendatori vel servo, aut proli coloni illata.

§. 714.

Quartus processus est impensionalis. Sensu lato ita vocantur omnes processus contra communitates colonicales, aut singulares colonos vel alios jurisdictionatos ignobiles, coram Sedibus dominalibus per extraneos moti, 26: 3-tiæ. In specie vero, ob actus potentiarios, sive majores sive minores, per colonos aut alios, dominis suis jurisdictionatos ignobiles absque influxu domini patratos, quamvis Decis. 11. p. 5. etiamsi commissio domini adsit, impensionem peti supponat.

§. 715. Impensio Judicii solet peti modo sequenti: Nomine Judicis nobilium et Jurassoris aut Jurati exmissionem habentis, adornatur formula admonitionis per dictas judiciales personas subscribenda, in qua deducitur qualem quis actum, quando, ubi et quomodo patraverit, applicatur ad leges de violentiis sonantes, præcipue ad 29: 1609. 25: 1613. 5-tiæ 26. 41: 1729. et virtute earum admonetur dominus lædentis, ut terminum servandæ Sedi dominali præfigat, eumque admonentibus intra quindenam insinuet, ut illi admoneri curantem certiorem reddere possint, porro: ut ter-

mino per ipsum præfigendo jurisdictionatum suum juri statuat, jus et justitiam administret.

§. 716. Potest etiam ita fieri admonitio: Vice-Comes in forma Mandati Præceptorii, vel potius Commissionis mandatum redolentis, (ut in violentialibus solet) Judici Nobilium et Jurassori sonante deducit totam rei gestæ, idest, actus violenter patrati seriem, applicat ad leges, committit Judici Nobilium et Jurassori, ut dominum lædentis, per transmissionem vel exhibitionem parium commissionis illius actionem redolentis moneant, ut terminum Sedi dominali præfigat, lædentem juri statuat, justitiam impendat. Commissionem per actoreum Advocatum paratam Vice-Comes subscribit in duobus exemplaribus, unum exhibetur admonendo per eosdem Judlium vel Jurassorem, alteri, velut originali inscribitur peracta exhibitio parium, et responsio admoniti, et restituitur admoneri curanti. Si vero penes simplicem admonitionem (quæ, tamen Actionem redolet) petita est impensio testimonialibus super exhibitione parti admoneri curanti extradandis inseri debebit etiam totus contextus et tenor admonitoriarum cum responsione admoniti.

§. 717. Impensionem solus Nobilis potest petere vel in persona sua, vel rebus, juribus aut jurisdictionatis suis læsus. Pro cive Judex civitatis, pro libertino vero Fiscus magistratualis petit, quia contra Nobilem litigare in propria persona non potest, atqui in hoc processu ipse Judex habetur pro Incatto, et illius Advocatus comparet, et lædentem pro juri statuto declarat, exceptionesque, si quas circa formam habet, adfert, quia ipse lædens, qua ignobilis, nec exceptiva adferendi fa-

cultate gauderet. Juri statutio etiam exceptivis superatis potest fieri; quia tantum meritorie potest et debet lædens respondere, potestque tunc sibi Procuratorem constituere; verum etiam meritorie Fiscalis dominalis solet pro illo agere. Contra taxalistam vel servum nobilem non potest impensio peti, verum ipse debet ad forum Vice-Comitis citari. Sic nobilis servitor vel taxalista per jurisdictionatum alterius nobilis læsus, ipse petit impensionem medio personæ judicialis.

§. 718. Si tempestive non pervenit admonitio ad manus admonendi, excusabitur a pœna non impensionis Dec. 28. p. 177. si vero pervenit, et is terminum præfixit, penes dictas testimoniales, vel penes originalem actionem in forma Mandati, seu Commissionis, uti dictum est, concinnatam levabitur causa adveniente termino. Quem terminum judicialiter D. 28: 177. ita insinuatum si differre voluit Dominus terrestris, æque judicialiter debebit insinuare impensionem petenti, simul cum præfixione alterius termini, ut etiam omnis alius Judex 32: 1681. Si secunda vice distulerit terminum, in processu subsecuturo impensionali rationem debebit dare dilati termini, si non possit, convincitur per Vice-Comitem ac si non impendisset, 41: 1729. ut etiam si valde longum terminum ponat, qui legem vult eludere.

§. 719. Impendere tenetur Dominus sive proprietarius, sive temporaneus, sive secularis, sive ecclesiasticus, nec interest quis sit præses, an ipse Dominus vel alius per eum denominatus, debent tamen adesse aliqui convocati, ut etiam Judex Nobilium cum Jurassore, qui testes exami-

nant, vel authenticant in absentia Domini, aut dominalium hominum, ut alias semper.

§. 720. Si processus in exceptivis condescendat, sive major sive minor fuerit potentia, semper appellatur ad Sedriam, et per Judicem Nobilium atque Jurassorem subscriptus eo refertur, ubi si sententia reformetur, remittitur processus, et statim meritorie debebit agi æque sub pœna non impensionis. Si vero Dominus nollet processum originalem cum omnibus documentis ad manus Judicis Nobilium resignare, convincitur, ac si non impendisset. Ob actum majoris potentiæ in merito, ad Tabulam Regiam intra Dominium, ob actum minoris potentiæ autem, vel ob aliam prætensionem, ad Sedriam (semper tamen cum subscriptione Judicis Nobilium et Jurassoris, secus non revidebitur) intra, inde extra Dominium 29: 1729. appellatur. Actor succumbens, via reconventionis, in expensis Domino et Jurisdictionato ejus causatis convincitur, et post revisionem Sedriæ ejusque auctoritate per Judlium executioni subjicitur. Ex bonis Episcopi et Capituli Zagrabiensium, causa impensionalis (secus ac urbarialis, criminalis et censuralis seu rationarius) per Comites Curiales eorundem, absque testimonio articulari decisa, (prout omnes aliæ) ad Episcopum vel Capitulum, inde vero ad Tab. R. et Septemviratum appellatur.

§. 721. Ob actum majoris potentiæ convincitur lædens in amissione omnium bonorum ad portionem suam cedentium, et in homagio suo; duæ tertiæ bonorum cedunt Domino terrestri, qua judici, una tertia vero Actori cum homagio, refundi debent damna et expensæ litis. In minori po-

tentia pœna est 40 fl. damnorumque et expensarum refusio, 40 fl. cedunt soli læso, potest illa sententia vel ex merito, vel ex contumacia ferri, si lædens non compareat, vel se non defendat; imo etiam si ante petitam impensionem fugiat, tamen ex rebus illius relictis debet Dominus satisfactionem præstare. — Si vero nihil reliquit, ante petitam impensionem fugiens colonus, liberatur Dominus ab impensione. Si post admonitionem fugit, et res aliquas reliquerit, æque satisfactio debet fieri, imo licet nihil reliquerit, tamen, si culpa Domini fugerit 26: 5-tiæ, luet Dominus pœnam non impensionis.

§. 722. Est illa eadem quæ violentiæ, auctore V. Comite desumenda, et præterea, si ob actum minoris potentiæ petita est impensio, homagia illorum de quibus debuisset impendere, damnorumque et expensarum refusio, et plena pro colono suo satisfactio. Dominus tamen quoad homagia, et ea, quæ pro colonis vel jurisdictionatis suis luit, habebit regressum contra illos coram Sede dominali, quia illorum non interest, coram quali Judice convincantur; alioquin, etiam ad forum Vice-Comitis potuisset Dominus ita citari, ut illum, de quo impendere noluit, juri statuat, qui æque coram V. Comite in homagio etc. convinci potuisset. Ob actum majoris potentiæ contra non impendentem coram Vice-Comite, contra jurisdictionatum vero illius coram Tabula Regia debet agi, vel vero post convictionem Domini impendere nolentis per Vice-Comitem in 100 fl. factam, iterato potest ab eodem domino impensio peti, et is toties quoties, ob non factam impensionem convinci.

§. 723. Si colonus vel servus ignobilis, in Dominum suum, vel Domini sui jurisdictionatum sit violentus, medio hominis sui citat eum Dominus, et in 40 fl. in Sede dominali summario processu convincit, vel, quod præstat, pœna corporali eum afficit. Verum arendatorem violentum licet ignobilem, si non sit simul illius subditus, coram Vice-Comite debet convenire. Nobilis servitor, prout et arendator, sibi vel suis rebus illatam violentiam ipse potest vindicare. Verum si violentia scopo usum turbandi illata est, proprietarius aget. Si vero vel filiis coloni illata est violentia, servo item vel prolibus liberi hominis. Fiscus magistratualis penes determinationem Comitatus erga instantiam læsi factam actoratum contra lædentem nobilem assumet, vel impensionem petet.

CAPUT XXVIII.

De Larva, et proditione fraterni sangvinis.

§. 724. Notio larvæ. §. 725. Pœna Incatti vel Actoris succumbentis. §. 726. Stellio. §. 727. Notio proditionis fraterni sangvinis. §. 728. Casus in quibus incurritur, §. 729. Vel non incurritur. §. 730. Forum actoratus, meritum, pœna et ejus effectus.

§. 724.

Larva est delictum privatum reale, quo quis alterius nomen, personam, titulum, prædicatum et jura dolose usurpat, aliena bona sub ficto nomine vendit, debita sub eodem contrahit, se in fa-

miliam alienam intrudere, sibique successionem in bonis ejus adstruere vult. Prædicatum vel usui antiquo, præcipue, ex publicis instrumentis eruendo, aut vi Dec. 2: p. 130. possessorio loci, unde sumitur, firmato vel privilegio inniti debet, quo expresse collatum est, vel in quo quis expresse ita nominatur, quod prout vel in Armalibus fieri potest et sæpe factum est: ita ex eo, quod quis sit Donatarius, jus prædicati non sequitur. Antiquis temporibus, vel servi et coloni, loco ex, per de designabantur in publicis etiam actis.

§. 725. Processus contra eos, qui ipsi assumunt larvam, movetur ad pœnam perpetuæ servitutis, contra nobiles quidem vel liberos coram Tabula Regia, contra cives coram Magistratu, contra colonos coram Sede dominali. Qui non ipsi assumserunt, verum a majoribus suis ad se transmissam larvam continuant, nulla pœna afficiuntur, verum si capacitati et edocti scienter continuent, impossessionati quidem æque servi illius fient, cui per larvam insidiabantur; possessionati vero pœna illa, qua falsarum literarum confectores affici solent puniuntur, adeoque vel infamia vel alia arbitraria. Literaria apud larvatum inventa arestantur, 51. Jun. 1805. Fisci Comitatus Pest.

Actio fundatur in 2-dæ 16. et 46: 1723. Actoratus tantum nobilibus possessionatis, et quidem soli sangvini, idest, illi, qui ex illa familia est in quam se delinquens intrudere volebat, competit, non ergo v. gr. donatario contra illum, qui deficientis bona sub larva deficientis sibi vellet appropriare, D. 1. p. 129. Sic: si quis assumto nomine familiæ fatentis vellet fassionem invalidare, et succumberet, eodem processu, et ad petitionem

fessionarii non convinceretur. Si quis vexet alterum, et larvam non possit edocere, convincitur in expensis, D. 2 p. 140. posset convinci in emenda lingvæ via reconventionis, nisi jam antea, bona fide et judicialiter capacitari petiisset D. 2. p. 185. si vero contra sangvinem movit ad pœnam larvæ, evadit proditor fraterni sangvinis.

§. 726. Si quis sub larva tertio insidietur, absque damno familiæ illius cujus larvam gerit, est stellio, committit stellionatum (quæ vox omnem imposturam legibus non expressam designat) pœna larvæ non afficitur, verum in damnis nefors illi tertio illatis, vel, pro re nata, in pœna confectionis falsarum literarum convincitur, quæ si non ad pœnam infamiæ, verum ad arbitrariam pœnam, damnorum nefors illatorum refusionem, tendat, peti potest, ut jam dicemus, ex 12: 725. coram Vice-Comite, vel Judice nobilium, quod observandum etiam contra larvatos in minoris momenti excessibus, qui pœnam servitutis non merentur. Experimur vero ob quasvis imposturas criminalem Actionem intendi.

§. 727. Proditio fraterni sangvinis est delictum reale, quo quis legitimum suum sangvinem, intra quartum gradum, pertinaciter, justis juribus sangvinis, qualicunque demum sub colore, fraudare vult. Ultra quartum gradum non se extendit hoc delictum et pœna illius, ex usu, quia (ob matrimonium) usque eo interest nosse consangvinitates.

§. 728. Proditio fraterni sangvinis est: 1) Si quis novæ donationis titulo bona familiæ pro se solo impetret, et primitivas literas occultet, aut contra contenta earundem, nomina reliquorum

fratrum condivisionalium et sororum ex donatione nova exmittat, 1-mæ 38. 2) Si aliqua femina in bonis utrumque sexum concernentibus se præfici curet in præjudicium legitimorum successorum 1-mæ 7. 3) Si quis parentes, fratres, aut sorores, amentes, mentecaptos, lunaticos, furiosos, et administrationis bonorum incapaces prætexat, et ita bonorum dominio et usu excludere velit 46: 1723.

§. 729. Non committitur per illum 1-mo, qui eum admittat ad bona qui non habet ad illa jus, v. gr. feminas, ubi bona solum sexum masculinum concernerent (quia contra illas datur actio ad exclusionem). 2-do: Per mares, qui agunt ad exclusionem, licet succumbant, nisi mala fides prodeat, quod literalia utrique sexui inservientia, ex quibus feminæ communionem juris probare potuissent, suppresserint. 3-tio: Per illum, qui præter novam donationem quocunque titulo pro se solo acquirat bona familiæ, si probet jus regium vel alienum latuisse. 4-to: Qui eum abnegat, qui habet quidem communionem juris, verum non habet communionem sangvinis, v. gr. condonatarii etc. 5-to: Qui in dubium revocat nexum alterius, et se, de geneologia illius capacitari petit, (quia nemo tenetur sponte alterum agnoscere absque proba, verum ille incurrit, qui pertinaciter negaverit). 6-to: Qui talibus juribus vult fraudare sangvinem, quæ jura non ex communione juris et sangvinis habet, quia quoad talia non sunt fratres, v. gr. quoad mutuum etc.

§. 730. Processus proditionis fraterni sangvinis movetur coram Tab. Reg. Actio fundatur in 58, 59: 1-mæ, 46: 1723. Probari debet dolus, seu

studium nocendi ut in omni delicto, item juris et sangvinis communio. Pœna est servitus, et amissio illorum bonorum, quibus volebat sangvinem exhæredare, si quis etiam juramento negaverit sangvinem, major erit pœna. — Ad has pœnas formales tantum ob jura nobilitaria solet agi. Inter impossessionatos pœna servitutis non currit, potest tamen amissio successionis illius, cujus parte quis alterum fraudare volebat, currere. Deficiente fratre triumphante, frater convictus illi succedet in bonis quæ amiserat, non Fiscus, quia uti nullum damnum, ita nullum commodum potest exspectare ex contentionibus privatorum.

CAPUT XXIX.

De Delictis circa Literas,

§. 731. Falsarum literarum confectionis modi. §. 732. Pœnæ pro varietate delicti diversæ. §. 733. Modus procedendi in casu detentionis literalium. §. 734. Modus probandi et puniendi. 735. Differentia repetitorii processus a processu ad transumta. §. 736. Repetitio literarum cum bonis, §. 737. Detentio literarum missilium.

§. 731.

Delinqui potest circa literas 1) Per falsarum literarum confectionem. Quo pertinet etiam falsorum sigillorum confectio, vel usus, aut cum quis genuino sigillo false utitur, idest, fal-

als literis imprimit, vel falsis literis, licet per alium confectis scienter utitur D. 2, 3, 4. p. 36. illas producit, defendit, vel literas rite confectas falsificat, alterat, mutat, interpolat, et ita alteri nocere intendit.

§. 732. De Capitulis vel Conventibus, Capitularibus vel Coventualibus, falsas literas in rebus officii facientibus, alias dictum est, ut etiam de homine Regio vel Palatinali. Dictum est etiam de Judicibue Regni ordinariis, et aliis sub sigillo authentico falsas literas conficientibus, quod sint notorii 9: 1723. 16. 2-dæ. Extra illos casus itaque observandum: 1) Si falsarum literarum, aut sigillorum confectio, aut falsificatio tendat ad amissionem vitæ alterius, est, pœna mortis. 2) Si tendat ad vitæ simul et bonorum amissionem, pœna est æque mortis, præterea damnorum et expensarum, de bonis ad propriam portionem cedentibus, salvo jure uxoreo, item jure ac ære alieno, nec non portionibus filiorum. Si vero bona reipsa propter tales literas amissa sunt, illa restitui debent cum fructibus 723: 11. 3) Si tantum bonis alienis insidiatus est quis per falsarum literarum usum, pœna est: perpetuæ infamiæ, restitutio bonorum cum fructibus, damnorum et expensarum refusio. 4) Si quis vero literas, v. gr. passuales, missiles, false conficit, in levioribus casibus vel illis scienter utitur, licet absque ullius nocumento, non quidem mortis, aut infamiæ, verum arbitraria pœna puniendus est 12: 1723. damnum, quod intulit, refundit.

Processus fundatur in legibus citatis, decurrit in 1, 2, et 3 casibus coram Tabula Regia, D. p. 187. in 4. vero coram Vice-Comite vel Judice

Nobilium, sub actoratu læsi. Processus contra larvatos, proditores fraterni sangvinis, falsarum literarum confectores, perjuros et impostores alios, vocatur processus falsi.

§. 733. Secundo: Per detentionem alienarum literarum. Circa hoc delictum sic proceditur: Dominus literarum sive nobilis, sive ignobilis, medio personæ judicialis admonet detentorem, ut illas sub pœna legali 500 fl. restituat. — Non subsecuta restitutione, movetur procesus repetitorius coram Vice-Comite, vel Judice nobilium, D. 5. p. 15. 4. p. 184. 5: p. 109. Actio fundatur contra extraneum, et nil juris ad literalia habentem in 14, 75: 1622. 659: 45. 662: 55.

§. 734. Probari debet vel possibilitas deventionis literarum ad Incattum jure præsumtæ juramento elidendæ, vel effectiva deventio ad manus illius, si non specifice, saltem in genere. Si in genere tantum probatum est, pariter juramentum revelatorium, a quo appellata non datur, D. Cur. 3: pag. 184.) imponitur Incatto, quod si non deposuerit, vel justam rationem non dederit non restitutionis, v. gr. quod expensas habeat repetendas etc. convincitur in 500 fl. restitutione item literalium; duæ tertiæ birsagii cedunt Actori, una tertia Judici: appellatur ad Sedriam intra, inde extra Dominium. Alia juridica remedia in hoc processu præscissa sunt. Si neque post executionem restituat, vel revelare nolit, iterum admonetur, et iterum in 500 fl. convincitur, idque toties quoties. Vel vero movetur processus ad pœnam perpetui evictoratus, æque in legibus citatis fundata actione coram Tabula Regia, ut scilicet, si quis actorem impetat, illum defendere,

et evincere teneatur, adeoque si quid Actor processu ex bonis in actione specificatis amittat, illi ex suis bonis satisfaciat. Hæc eadem pœna, etiam via appellatæ potest imponi, coram foro procedenti jurare nolenti, si eo est Actio directa, una cum 500 fl. D. 3. p. 184. Tutores quoque sub evictionis onere tenentur literas revelare 24: 1655.

§. 755. Differt repetitorius processus, a processu ad transumta in eo (præter forum D. 3. p. 109.) quod in hoc posteriori deventio ad manus Incatti non debeat probari, quia præsumtio militat contra Incattum, quam juramento elidere potest. Item, quod ad transumta sangvis possit agere, licet bona sua vendiderit D. 8. p. 109. ad repetitionem vero plerumque contra extraneos agitur. Licet etiam frater natu maximus, qua conservator literarum ex 42: 1-mæ 54: 2-dæ 28: 1729. ad literalia instrumenta sibi resignanda, contra reliquos possit agere, etiamsi condivisionales, contractu mediante, alteri commiserint conservationem, quia contra legis dispositionem fratrem natu maximum suo jure fraudare non poterunt, pœna tamen et expensæ in hoc casu non current Dec. 1. p. 183. Imo, etiam reliqui fratres condivisionales, aut condonatarii, licet extranei, contra conservatorem agere possunt ad communicationem vel (ut in causa Mészáros stabilitum est 1810.) ad transcriptionem, ex 42: 2-dæ et 28: 1729. non etiam ad restitutionem, Dec. 5. pag. 17. 2: 185. Etiam pœna 500 fl. inter condivisionales et condonatarios in dictis casibus locum habet 43: 1659. et potest peti, ut, si I. non compareat, vel jurare nolit, possit desumi, idem valet etiam de alio quocunque processu, in quo revelatio subversatur, licet

principaliter in illa lege non debeat Actio fundari D. 9: 110. v. gr. ad transumta.

§. 756. Accessorie etiam possunt peti literalia in omni processu quoad bona moto, et tunc, præter principalem petitionem, probari debet etiam id, quod Incattus cum bonis literalia ad manus suas acceperit, si utrumque probetur, imponitur illi tempore executionis deponendum juramentum revelatorium, et cum bonis etiam literalia restitui debebunt 38: 1681: (qua lege, ipse Fiscus etiam jubetur restituere, et 2-dæ 52.) quia accessorium sequitur suum principale. In invalidatorio processu fassionarius cum bonis literalia acquirens, debet illa sub juramento revelare, ut A. aviticitatem ex illis doceat, quam si absque illis docere potuerit, tempore executionis debebit Incattus revelare et producere, secus novum ipsi non admittetur, D. 7. p. 55. Si I. probet, literalia, ex quibus se defendere deberet, esse apud Actorem, eo usque silentium imponitur Actori, donec sub juramento literalia revelet et restituat 622: 75. Si vero Incattus sua literalia apud alios esse causatus fuerit, respirium ei datur, ut literalia acquirat, ex 55: 1725. si moras nectat, processus reserabitur, et curret.

§. 757. Per literarum missilium violationem, quo refertur earum interceptio, detentio, effractio, vel suppressio. Processus movetur coram Judice Nobilium ad pœnam 100 fl. instar liquidi debiti desumendorum, et præterea refusionem damni, si quod datum est. Actio fundatur in 59: 725. appellatur semper extra Dominium. Una tantum pœna habet locum, etiamsi duo læsi sint, ast damnum utrique præstatur.

CAPUT XXX.

De Damnis.

§. 738. Damnum ex morosa reparatione communium beneficiorum, §. 739. Ex aggeribus et molis quoad publicum, §. 740. Quoad privatum. §. 741. Servitus aggerum et canalium. §. 742. Sequestrum rerum sub lite existentium, v. gr. in causa debiti. §. 743. Silvarum, §. 744. Avitorum bonorum dilapidationi obnoxiorum, §. 745. Ecclesiæ bonorum curari neglectorum.

§. 738.

Damnum est diminutio, destructio rei alterius. Quod si adhuc infectum sit, potest inhibitione judiciali eidem occurri, vel saltem actioni futuræ via sterni, aut cautioni.

Imminere potest damnum specifice:

1) Per morosam reparationem communium ædificiorum, v. gr. educilli, molendini etc. judicialis admonitio præmittenda est contra illum, qui noluit concurrere ad reparationem, si neque ita concurrat, potest admonens ad damni, expensarum item in litem erogandarum refusionem agere. Admonitio et Actio fundatur in 69: 1715. Defluit coram Vice-Comite. Appellatur ad Sedriam intra, inde extra Dominium. Si admonitio ita directa est, potest admonens propriis expensis reparare, et proventus pro sui indemnisatione in sequestrum sumi facere.

§. 739. Per nocivas molas et aggeres, qui si publico noceant (v. gr. navigationi vel ratibus deducendis) vel præcipue contribuentibus per exundationem: Post oculatam per artis peri-

ros, v. gr. Geometram cum Judicibus Comitatensibus exmissis factam, admonetur Dominus terrestris, ut nocivas molas et aggeres tollat vel emendet, qui si parere noluerit, processus contra ipsum per Fiscum coram Sedria movetur Dec. 1. p. 189. probatur necessitas emendationis vel sublationis, per sententiam ipsi hoc imponitur, si noluerit expensis ipsius (sumtis v. gr. in sequestrum proventibus molendini) emendatur, vel si emendatio non sit possibilis, prorsus cassatur et tollitur. Actio fundatur in 751: 14.

§. 740. Si privato noceant aggeres et molæ (vel scilicet aquis antiquiori molæ subtractis, vel eluvionibus) etiam is potest coram Vice-Comite D. 1, 2: p. 189. per Comitatum auctoritate instructo, ad sublationem vel emendationem molæ recentis vel aggeris agere, fundando Actionem in l. mæ 87. 561: 14. probat realitatem damni vel testibus, vel per oculatam artis hydraulicæ peritorum, vel evidentia facti, deinde per sententiam determinata sublatione, molendinum vel agger tollitur, si per artis peritos non possit emendari, quia prius omnia tentanda sunt, quam ad cassationem molæ procedat Judex D. 3, 5. p. 189. Admonitus ut impedimenta tollat, et molam suam emendet, etiam damnum refundet a paritate morosi reparatoris communium beneficiorum, Dec. 4: p. 190. Appellatur intra Dominium D. 6: 190.

Potest etiam privatus a Comitatu petere Deputationem pro oculanda mola vel aggere, ad cujus relationem, si prodiverit nocivam esse molam, determinatur emendatio vel sublatio, Dominus non obediens fiscali Actioni fit obnoxius.

§. 741. Si quis in usu fuit, ut in alterius fun-

do molendino suo, aut agris et pratis suis inservientes aggeres et canales servet, potest agere ex 87: 1-mæ ad obtinendam reparationem D. 1. p. 189. contra illum, qui nollet admittere aggerum et canalium reparationem, qui si illos plane destrueret, præcipue si admonitio præcessit, etiam violentiali processu agi, aut repositio via politica peti potest, quia etiam via facti locum habuisset. Quamvis non fuerit quis in usu, tamen vi legis et decisionis citatæ, æquitatis item naturalis, fine conservationis rerum suarum, habet jus aggeres ponendi in alieno, in quantum absque damno alterius fieri potest.

§. 742. Metui potest damnum ex destructione rerum sub lite existentium, aut illarum præcipue mobilium distractione, cui ut occurratur, sequestrum judiciale accessorie peti potest. Terminato vero processu, non obstante intra vel extra Dominium appellata, apud illum manere, vel illi debent res ad manus dari, qui cautionem præstare potest, 28: 1715. 429: 28. vel vero in sequestro judiciali gratuito manent. Quoad res immobiles non est tantum periculum, quia non tam facile distrahi possunt occulte, et alioquin 27: 1-mæ cautum est, ne pendente lite ullæ involutiones possint fieri, si tamen factæ sunt, evocari debet possessor novus ad consortium litis, ne opponendi ansam habeat.

§. 743. Intuitu silvarum tamen 57: 1791. disponit, ut si illæ sive ex causa dilapidationis, sive quod possessorium ambiguæ liti, aut metali controversiæ subjectum sit, sive quod compossessorium regulatum non sit, destruentur, devastator per Comitatum sub onere fiscalis Actionis a

devastatione inhibeatur, et pro re nata etiam sequestrum silvis imponatur; quod si violetur, 200 fl. desumentur cum damnis et expensis et honorario Fisci Comitatensis 21: 1807. Eadem pœna currit propter pascuationem in silva prohibita succrescente, leg. cit.

§. 744. Imponitur adhuc sequestrum ob dilapidationem cuicunque, sed debent bona esse avita, et præterea probari debet dilapidatio, idest, abalienationes irrationabiles, et magni momenti, pro ratione bonorum, quia prætor minima non curat. Actio fundatur in 725: 48. Competit successoribus præsumtis, (vel etiam Fisco Comitatus, quia publici interest bona privatorum conservari) coram Judice successionis. Dici posset, quod si ex præjudicio non datur Actio filiis vel fratribus, nec ad sequestrum detur, verum dispar est ratio, quia qui sequestrum petunt, nolunt sibi adhuc successionem procurare actu, verum tantum conservare bona.

Bonorum administratio concreditur alicui probo viro, si fieri potest condivisionali, erga rationes dandas et salarium, sequestrato aliquid deputatur pro intertentione, reliqua convertuntur in exsolutionem debitorum. Si debita sunt soluta, et emendatio appareat, reseratur sequestrum vel processu per sequestratum moto, vel vero per Mandatum Regis reseratorium. Etiam via politica vel per Mandatum ad Comitatum, in quo bona jacent, directum, vel absque illo, potest imponi aut tolli sequestrum. Si quis ab eo emat bona, vel ei credet pecunias, qui publica auctoritate dilapidator declaratus est, vel cujus res sequestro affectæ sunt,

amittit pecuniam, secus non, licet per successores inhibitus fuerit.

§. 745. Prælatis ex bonis beneficialibus notabiles proventus habentibus imponitur sequestrum, si bona et ædificia desolari sinant, vel absque justa causa in beneficiis suis non resideant. Actionem Fiscus fundat contra illos, in 71: 723. 16: 1741. fieri potest etiam via politica, ut multa alia.

§. 746. Processus damni jam illati, in genere. §. 747. Spoliatio in silvis damnum inferentium. §. 748. Quid ad id requiritur, ut verberationes in silvis vindicari possint? §. 749. Hinc præstat esse Incattum, ubi usus vel titulus lignandi est dubius. §. 750. Violentos ultra spoliationem verberare, vel inarestare non licet, ast damnificantes nonnunquam, fures vero semper possunt arestari. §. 751. Iidem, si noxam avertere volentes læserint, acriter puniendi.

§. 746.

Hactenus præcipue de damnis infectis, et illis occurrendi modo egimus, si vero jam re ipsa damna sunt illata, duplex est modus illa reparandi; potest scilicet in omni processu ubi damnum subversatur, accessorie ejus refusio peti, et edocta principali petitione damnum ad specificum debebit deduci.

Potest etiam præcise processus damni erigi, (exemplo rationum tutelarium 24: 1655. intra præscriptionis annos). Actio fundatur in Ulad. 1. 16. 26. 28: 3-tiæ, 31: 1659. Imitatur naturam debiti, idest, expensæ currunt, appellatur ut debitum, Judex est ut debiti. Probari debet realitas damni,

et dolus, vel culpa. Si fieri potest exprimi debet in actione quantitas et qualitas damni, et probari, verum in genere probata realitate, poterit Judex eruere quantitatem, et secundum illius limitationem refundi debet, 27: 1638. non secundum juramentum actoris, ut olim fiebat, et hodiedum contra legem fit, quod quidem in criminalibus tolerari potest, quia in facto tam atroci versatus favorem non meretur, Judex autem, in limitando diversum gradum valoris et pretii rei destructæ, maximum scilicet, medium, vel minimum, respicere debet, pro eo, ac dolus vel culpa lata, levis, et levissima subversatur. Quamvis autem acta Magistratus, vi officii procedentis, processui invalidatorio nullatenus subsint, adeoque si quis error intercesserit, vel novo, vel lite contra privatos mota resanari debeat, D. p. 108. tamen non tantum in restitutione rerum damnificato ademtarum convincitur, verum si proceduram legalem non observavit, etiam alia pœna puniri posse supponitur D. 5. p. 182. 22: p. 129.

§. 747. Inferri potest damnum in specifico:

4) Per decorticationem silvarum, aut succisionem arborum, glandium, gallarum, aliorumque fructuum silvestrium collectionem. 55: 5-tiæ dicit colonum alienum in succisione silvarum deprehensum capi, rebus ad se habitis spoliari posse, quas res amittet, et præterea in pœna violentiæ, idest, homagio suo coram Domino convinci poterit. Proprii coloni ejusdem Domini, præter damni refusionem, ad trium dierum labores condemnantur. Urb.

§. 748. Lex tacet de nobilibus, verum usus universalis hanc legem etiam ad nobiles exten-

dit, etiam illorum res, v. gr. currus et jumenta adimuntur, licet præstaret via juris agere, et illos si A. privativum usum probare potest clare, citare: nam secus etiamsi in silva deprehensum, (non mere damnificantem aut furem) ast jus vel usum prætendere queuntem, adeoque vel in actu licito et civili, vel saltem in exercitio judicatus proprii versantem, jusque suum, sive verum, sive opinatum per sequentem, rebus suis privare volens in instanti, et facie loci servato moderamine verberaretur, propterea contra verberantem agere non posset, nisi privativum usum contra I. (qui titulum lignandi non haberet) probare posset, eo minus posset agere aggressor silvæ verberatus, nisi communem usum, vel saltem titulum lignandi probet, ut alias diximus.

§. 749. Si itaque usus est dubius, et via facti sive aggressive sive defensive, uti placeat, cauti homines id agere solent, ut in via facti superiores evadant, utque alter sit A. ipsi vero Incatti, quia usus, qui a pœna liberat, non semper sufficit ad pœnam exigendam. Quidquid ejus sit, si spoliatio facta est, res ademtæ Judici debent resignari, quas 33: 3-tiæ quidem dicit ipso facto amitti, verum a paritate 42: 1729. tunc demum amitti debere videntur in perpetuum, si judicialis binaria admonitio vel protestatio præcesserit, ut a silva abstineatur. Colonos, in silva, ad quam per Dominum inviati erant, pecoribus, vel rebus aliis spoliatos, Dominus indemnes debet præstare 25: 1802.

§. 750. Ceterum, in silvæ succisione deprehensus, licet ignobilis, sed qui nefors suum vel Domini sui jus in silvam prætendere potest, verbe-

rari, ligari (nisi et in quantum ad securam spoliationem absolute necessarium esset) aut in arestum conjici non potest, verum rebus ademtis libere dimitti debet, secus verberans abducens, vel detinens, violentiam, vel plane majorem potentiam incurret Dec. 1, 21 p. 181. quibus tamen Tab. R. contrariabatur, Pl. 217. Etiam in actu alterius cujuscunque damnificationis, aut in continua persecutione capti, possunt rebus apud se habitis spoliari, (non item mora interjecta) imo si statuto Comitatus, alicui damnificationis speciei corporalis pœna posita est, v. gr. depascuationi segetum, possunt in arestum duci ignobiles. Fures vero qualescunque, et qualiumcunque rerum, ut etiam alii malefactores, per capientem tribus diebus detineri possunt, 4-ta vero die Judici resignari debent, S. Lad. D. 5. cap. 9. 52 5-tiæ.

§. 751. Fures, prædonesque, res suas defendentibus, aut hominibus publica auctoritate ad persequendum missis, armata manu resistentes, jure statario (ubi illud ex permissione regia, vel palatinali in usu est) intra 24 horas pendere possunt, Resol. R. Quid quod vel damnificantes, si damnum a rebus suis avertere volentibus realem et corporalem læsionem inferant, vel inferre attentent, criminaliter tractari experimur, non item potentiarios, idest, qui violentiam inferentes, aut eam avertere volentes verberaverint, in regula, nam, ut sæpius diximus, ob enormem tumultum, etiam contra hos fiscalis Actio locum habet.

§. 752. Damnum per pecora illatum. §. 753. Impulsio, invagiatio, abactio eorum. §. 754. Quando, cui, et sub qua pœna fit resignatio?

§. 755. Quomodo currit cessatque pœna? §. 756. Nonnunquam resignatio impune omittitur, §. 757. Quæ est vel literatoria vel realis. §. 758. Sæpe tamen cum æstimatione damni, ut vel refundi, vel pro eo realiter caveri, vel illud reæstimari possit, §. 759. Nisi abactio fuerit, in qua literalis cautio sufficit, prout etiam tunc, si damnum prætenditur quidem, sed nullum probatur. §. 760. Ad plenam satisfactionem quid adhuc debet Dominus pecorum in casibus invagiationum et inpulsionum præstare.

§. 752.

Quinto per pecora et pecudes, si scilicet segetes, herbas depasci, conculcari, destrui quis fecerit, aut in plaga aliqua pascendo jus alienum, vel prohibitionem specialem violaverit. Altilia, v. gr. anseres, possunt mactari, verum debent domino restitui; etiam porci altiles, qui absque cura domini oberrant, et capi, impelli, vel claudi non possunt, mactari poterunt, (si insinuatum est domino, ut curam habeat et tamen non clauserit) eo magis canes in vineis 1802: 24. Verum gregales porci (cum totum gregem, vel etiam partem gregis facile sit impellere, secus ac unum et alterum vagabundum, et absque custode oberrantem) impelli debent, ut et alia animalia, v. gr. boves, equi, vaccæ, oves, caprae etc.

§. 753. Impulsio habet tres species. Nam si ex loco specialiter et positive tantum prohibito sit impulsio, licet nullum speciale, aut sub æstimationem cadens damnum sit illatum, nec jus alterius turbatum sit, vocatur impulsio simplex, v. gr. si pars pascui, secus liberi, prohibeatur, et

pro specialibus pecoribus, vel pro speciali anni parte reservetur. Si ex damno, v. gr. ex segetibus aut pratis, quæ naturaliter prohibita sunt, et simul ex loco, qui proxime, per impellentem quoad collimitaneum pecorum dominum quidem saltem privative, quoad compossessorem vero exclusive et pacifice, possessus est, facta fuerit impulsio, vocatur invagiatio. Si vero ex loco jam antea per collimitaneos simul tento, vel inter illos in controversia existente facta est impulsio, aut tali qui respectu compossessoris per impellentem privative, licet non tamen exclusive usuabatur, sive prætendatur damnum sive non, vocatur abactio, v. gr. propterea quis eo pepulit sua pecora pastum, quia plagam vel privative ad se pertinere, prout impellens, vel saltem promiscuum et simultaneum usum sibi in plaga illa competere prætendit.

§. 754. In dictis casibus, habet jus impellens, pecora vel pecudes triduo apud se detinendi, judicatum suum quoad damnum desumendum exercendi, (quod si excessive exegit, datur regressus ad ipsum), ultra non; verum debet ad manus Vice-Comitis, vel proximioris Judicis Nobilium (non Jurassoris) omnia resignare, secus pro qualibet die solvet 3 marcas, idest, 12 fl. nullo respectu habito ad numerum pecorum, sive plura, sive tantum unicum fuerit. In Civitatibus aut Oppidis Comitatui non subjacentibus, Judici debet fieri resignatio.

§. 755. Pœna cessat post 15 dies, nisi impellens per Dominum pecorum judicialiter sit admonitus, ut restituat, quia ita curret pœna marcalis aut damni in pecoribus emersuri refusio tamdiu, donec pecora ad manus domini devenerint, inci-

piendo a 15-ta die post admonitionem, ad manus domini autem devenient pecora post executionem. quia si admonitus intra 15 dies non restituit, postea acceptari possunt, sed non debent.

§. 756. Extra dictos casus nemo habet jus aliena pecora impellendi vel adimendi, idest, tunc tantum habet, cum usus turbatio, damnum vel violentia, per pecoris Dominium illata arguitur, aut prohibitio præcessit. Nec est pœnale non resignasse extra hos casus, verum ademisse vel detinuisse præcipue post admonitionem, est violentia. Nec Judex debet sibi resignata pecora acceptare, nisi aliquis ex illis titulis adsit, quia absque titulo nec Judex potest res alienas in manibus suis detinere, sub pœna violentiæ post admonitionem incurrenda sensu Dec. Cur. 22. p. 129. actum Judicis ab actu hominis distingventis. Errabunda etiam, et gregi nefors alieno immixta pecora resignantur, sed hoc testandæ bonæ fidei magis, non pœnæ effugiendæ causa fit. Qualicunque autem modo devenerint pecora aliena ad manus nostras post triduum, ut æstimari curentur, est consultum.

§. 757. Resignatio potest esse vel literatoria vel realis, idest, vel tantum scribitur Judici quot, unde, quando, et qualia sint impulsa pecora, vel vero, si ita velit, realiter ad ipsum pelluntur. Resignatione literatoria per Judicem acceptata, absque scitu ejus non sunt extradanda pecora, quia sunt sub illius manu, nec licet falcem in alienam messem mittere 78: 2-dæ. Super qualiter, et quando peracta et acceptata resignatione vero testimoniales dare debet Judex resignanti.

§. 758. Si damnum sibi illatum prætendit im-

ERDÉLYI KÖNYVTÁR

pellens, male facit Judex, si acceptat resignationem, et testimoniales extradat, priusquam ipsi æstimatio prætensi damni per Juratos loci peracta præsentetur, quia absque illa resignatio est elusoria, nam intentio et ratio legis resignationem ordinantis est illa, ut pecora quo celerius ad Dominum deveniant, atque absque æstimatione non possent devenire, nam in casu damni vel solutio, vel realis cautio deberet per Dominum præstari, atqui quanta cautio, et quale pignus sufficiat? non poterit Judex determinare absque æstimatione, id quod ille deberet dijudicare. Si vero acceptaverit Judex resignationem realiter factam absque æstimationalibus, pecora Domino illorum simpliciter absque ulla cautione restituet, literaliter resignata vero, licet damnum prætendatur, erga literalem cautionem, si scilicet promittat Dominus pecorum, se damna, si quæ illata esse probabuntur, refusurum, per invagiantem restitui jubebit.

Licet vero æstimatio damni cum resignatione transmissa sit; non tamen obligatur Dominus pecorum, damnum parata pecunia statim refundere, verum tantum cautionem realem, idest pignus relinquere, Judex autem realiter resignata pecora tenetur extradare, si cautio sufficiens fuerit; literatorie resignata vero, invagians tenebitur ad insinuationem Judicis super sufficienti præstita reali cautione factam, sub pœna marcali restituere, Dominus pecorum habet jus intra 15 dies, a die extradatorum sibi pecorum, æstimationem, si nefors illa contentus non esset, medio Judicis Nobilium emendanti, et secundum alterutram æstimationem satisfaciendi, atque ita pignus suum

reluendi, quod secus post 15 scilicet dies invagianti manebit. Si Judex Nobilium, peractam per Dominum pecorum reæstimationem damni, a priori æstimatione non multum differre viderit, potest utramque summam in unam reducere, et bipartiare. Per plures illatum damnum in uno desumi potest, quia obligantur in solidum ex facto illicito, salvo ad reliquos regressu, 25. Febr. 1801. in causa Fisci Schemnicz.

§. 759. In casu abactionis, etiamsi damnum quoque illatum sit, tamen sufficit literalis cautio, qua obtenta, pecora realiter resignata Judex, literatorie resignata vero abigens sub pœna marcali debet extradare. Verum in literali cautione Dominus pecorum obligare debet, se, tempore judiciariæ revisionis pecora vel in natura, vel in æquivalenti restatuturum et rationem redditurum, quare eo pepulerit pecora? Etiamsi vero ex tali impellentis possessorio sint impulsa pecora, ut actus ille invagiatio dici posset, ast nullum damnum est æstimatum, vel non erat quod sub æstimationem cadat, sufficit literalis cautio, quia alia est impossibilis, quin imo, vel illa superflua est; absque omni cautione debet extradari pecus, resignatio non liberat a pœna admonitum, et non restituentem.

§. 760. Si publico loci statuto specialis prohibitio intercessit, et certa taxa prohibitionis defixa est, coloni ejus loci tenentur etiam taxam illam solvere ö-æ. 35. §. 4. Nobiles vero, aut nefors etiam Ignobiles jure materno vel uxoreo bona ibidem possidentes, tantum ita tenentur, si consenserunt in taxam, vel vero auctoritate Comitatus est posita, neque extranei, idest, aliorum locorum inco-

læ tenentur ad taxæ prohibititiæ solutionem, nisi vel publica Comitatus auctoritate defixa sit, 55: 5-tiæ, vel lege 21: 1807. Verum taxam impulsionis (hajtó-pénz, nyargaló) item pretium intertentionis, secundum limitationem judicis, D. 6: 180. nisi usu pecorum conpensatum sit, in omni casu impulsionis debet dominus pecorum refundere, et si impellens plus prætendat, quam judex limitavit, nec pecora, licet cum oblatione summæ admonitus restituat, incipiet pœna marcalis currere; quia via facti et proprio judicatu agendo, evadit violentus detentor.

§. 761. Processus marcalis. §. 762. Per quem et contra quem movetur? §. 763. Meritoriæ observationes. §. 764. Pœna simplex, vel cumulativa. §. 765. Vel pro numero dominorum, quos læsi, vel lædentes coloni habent. §. 766. Pœna violentiæ loco marcalis. §. 767. Processus adhuc aliquot, præcipue violentiales, et ad amissionem pecorum. §. 768. An in perpetuum amittantur pecora et res ademtæ? §. 769. De damno reciproce per impellentem et dominum pecorum, nonnunquam vel casuali, præstando.

§. 761.

Processus ex hac materia sunt:

Primo marcalis. Multi sunt processus, in quibus lex vel plures vel pauciores marcas dictat in pœnam, verum hic ex impulsionibus enasci, et in 55: 3-tiæ, 42: 1729. fundari solitus, per excellentiam marcalis vocatur. Movetur coram Vice-Comite, posset etiam coram Judice Nobilium moveri, quando præcise ad marcas desumendas abs-

que petita pœna violentiæ movetur, et pœna judicatum Judicis Nobilium non excedit, licet sit birsagialis, quia 55: 1729. nonnisi causas violentiales ad Vice-Comitem restrinxit. Per 94: 1715. Vice-Comes ponitur judex, cujus legis non rubrum, sed nigrum respiciendum est, ex illa itaque non debet deduci, contra colonos ob succisionem silvarum coram Vice-Comite agendum esse, de nobilibus enim et liberis hominibus intelligenda est, qui silvas destruerent, vel pecora ibi ademta, vel undecunque impulsa non resignarent. Coloni coram Domino sunt conveniendi.

§. 762. Processus marcalis moveri solet per dominum pecorum (si is ignobilis esset, per Dominum ejus etc.) contra impellentem, propter prætensum damnum adimentem, invagiantem, aut abigentem in casibus his: 1) Si vel prorsus non, vel non omnia pecora resignavit intra triduum. 2) Si ex loco damni, et pacifici sui possessorii impulsa pecora, oblata justa satisfactione, æstimatione scilicet damni vel reali cautione, (nisi literalem acceptasset D. 6: 180.) in abactionibus literali cautione, in impulsione simplici taxa prohibitionis oblata, et præter hæc in omni casu impulsionis, pretio intertentionis, et taxa impulsionis soluta non restituit, licet resignaverit tempestive. Ut vero contra Dominum, propter non resignationem pecorum per suos impulsorum actio marcalis stare possit, ipsum commisisse vel impulsionem approbavisse (quod ex tentata per ipsum tardius resignatione non sequitur D. 1: 179.) debet probari; alias, contra ejus homines coram Sede Dom. erit agendum.

§. 763. Si pecora impellens, in plaga, ex qua

impulit, privativum annuum pacificum ante tempus impulsionis proxime præhabitum usum probare possit, et æstimationem damni judici transmiserit, etiamsi ab adverso per dominum pecorum antiquior usus probaretur, non convincitur in pœna marcali, si non restituerit ad literalem cautionem, licet per Judicem, cui resignatio facta est, pro sufficienti agnita sit cautio, quia in illo casu, realis cautio fuisset necessaria, a qua Judex dispensare non potuit, D. 6, 7, 8: 181. Ergo literalis cautio tantum tunc sufficit, si proximo ante abactionem anno jam plaga controversa fuit, vel, summum tempore impulsionis cepit quidem in controversiam sumi, ast damnum æstimatum non est, vel nullum erat, qui in his casibus non restituit ad literalem cautionem, punietur pœna marcali; verum, si resignatio literatoria fuit, debebat cum ipso cautio communicari per Judicem, secus non tenetur restituere; imo licet communicata fuit, si tamen cautio non sit talis, qualem supra descripsimus, non tenetur restituere, nec pœnam marcalem incurret licet admonitus, D. 2, 5. p. 180. Sic: si quis tantum legalem in genere et in abstracto cautionem offerat, nec in casu damni, nec in casu abactionis tenetur invagians vel abigens pecora restituere, quia cautio specifica esse debet, in casu scilicet invagiationis vel æs paratum, vel pignus reale, in casu abactionis cautio literalis, stylo legali concepta, D. 4: 180. Pecus, quod, pluribus impulsis, in pignus solutionis relictum est, seu per dominum pecorum seu per hominem illius, non debet per invagiantem resignari, vel absque effectiva damni depositione restitui, verum, potest etiam post

admonitionem impune detineri, quia non jam facto impellentis est apud eum, verum facto domini vel hominis illius D. 5: 180. vid. §. 759.

§ 764. Pœna est, ut dictum, trium marcarum gravis ponderis, idest, 12 fl. in singulos dies, cujus birsagii duæ tertiæ Judici, una tertia Actori cedit (quod in genere de omnibus birsagiis notandum, 12: 1495. nisi lex in speciali casu aliud disponat) præterea restitutio pecorum cum fructibus, et damnorum dolo seu studio, vel ex negligenti pecorum custodia enatorum, lucrique cessantis (1804. Beniczki) ac expensarum litis refusio. Si nomine collectivo communitas sive nobilis, sive ignobilis impellat, et non resignet etc. nomine collectivo luit unam pœnam, licet posterior plures dominos habeat, 42: 1729. Si vero plures nobiles, vel libertini impulerint, et non resignarint, singillative luent pœnam, licet una eademque Actione conveniri possint.

§. 765. Si plures subditi (non tamen communitas) impulerint, nec resignaverint, tot diversas pœnas luent quot Dominos terrestres divisos in bonis illis habent, et contra illos procedi debet coram Sede dominali cujusque domini. Si plurium Dominorum terrestrium divisorum fuerint pecora, toties currunt pœnæ, quot diversi domini pecorum sunt, item si colonorum plurium pecora sint impulsa, toties, quot diversos Dominos terrestres habent, v. gr. si quatuor subditi divisis quatuor Dominis subjecti impellant uno vel saltem continuativo actu, et simul sumti pecora quatuor colonorum æque divisis quatuor Domini subjectorum, pro singula die octies currunt tres marcæ: quatuor læsorum colonorum Domini possunt

a quatuor lædentium colonorum Dominis impensionem petere, et non singillative quilibet læsus Dominus a quolibet et singulo ex quatuor Dominis, ita sedecies curreret pœna marcalis, atqui odiosa et pœnalia sunt benignioris interpretationis, et lex dicit, pro numero Dominorum, quos lædentes et læsi habent, currere pœnam, secus esset, si diversi actus fuissent, idest, quatuor impellentes non simul sumti, aut quatuor læsorum pecora non simul sumtim fuissent impulsa, tunc contra quatuor colonos quatuor colonorum pecora impellentes, sedecies current tres marcæ, pro qualibet die, per sigulos in singulis desumendæ.

§. 766. Si violentialis processus moveatur loco marcalis, et marcæ plus facerent quam violentiæ pœna, non exciperetur contra Institutum, secus exciperetur, et condescendere deberet.

§. 767. Secundus processus est violentialis, movetur æque per dominum pecorum vel simul cum marcali supra dicto, vel sine eo.

Actio fundatur in 42: 1729. Probari debet, dominum pecorum, ante abactionem, usum loci pacificum, ad minus unius anni, licet simultaneum cum abigente, citra tamen judiciariam prohibitionem aut contradictionem, sive personaliter, sive in generali Congregatione aut Sedria Comitatus per abigentem factam, non precarium aut clancularium habuisse. Secus absolvetur I. imo si is privativum pacificum usum probet, pœnam indebitæ solvet Actor, secus non, D. 13: 175.

Tertius, æque violentialis, movetur propter usus turbationem per abigentem contra dominum pecorum, quod in alienum fundum pepulerit sua pecora pastum, licet damnum nullum

illatum sit, debet probari usus privativus saltem unius anni publicus, manifestus, non precarius aut permissivus, citra judiciariam prohibitionem domini pecorum per abigentem Actorem exercitus, fundatur æque in 47: 1729.

Quartus, æque violentialis, movetur propter malitiosam damni illationem, per invagiantem, contra illum, qui dolo et studio data opera damna per pecora sua intulit in loco per Actorem invagiantem privative et pacifice possesso. Idem processus habet locum si præcessit inhibitio contra dominum pecorum, ne in territorium alienum pellat pecora. Fundatur æque in 42: 1729.

Quintus æque violentialis, movetur contra dominum pecorum, pecora sua licite impulsa liberantem, et e loco, ubi invagians illa clausit, via facti auferentem. Actio fundatur in 82: 2-dæ, quem nonnulli etiam ad illos extendunt, qui pecora pellentibus in via adimerent. Ut vero appareat an dominus pecorum factum suorum hominum, qui pecora vi vel furtim receperint, suum facere et præstare velit, ad illa restituenda judicialiter admoneri debet. Illicite impulsa pecora licite quidem, sed cum proprio periculo quis receperit. Præstat itaque repositorio vel violentiali processu uti.

Sextus ad amissionem pecorum, movetur præter violentialem, per abigentem. Probatur usus privativus, præterea, inhibitionem contra dominum pecorum, vel ejus Officialem, binis vicibus, personaliter (idest, non in Congregatione vel Sedria per porrectam et ibi perlectam protestationem) medio judicialis personæ peractam esse. Actio fundatur in 42: 1729.

§. 768. Alias diximus, consvetum esse in silvarum devastationibus deprehensorum etiam nobilium currus auferre et abigere, idest hoc citato articulo defendi potest, qui ex loco damni vel in controversiam sumto pecora invagiari et abigi in genere dicit: verum ex eadem lege hoc etiam sequitur, non in perpetuum amitti tales res, ut 55: 5-tiæ innuit, non tamen videtur dari Actionem ad recuperanda talia jumenta et currus, nisi quis simul processum violentialem, aut saltem repositorium, quoad silvam, movere sustineat, vel se in errore aut ignorantia versatum esse, juri in silvam renunciare, damnum refundere velle judicialiter declaraverit.

§. 769. Septimus processus esse potest damni processus, et tam per dominum pecorum ob male curata pecora, quam per illum, cui pecora damnum intulerunt, potest moveri, si pecora non potuerunt invagiari, et culpa datum est damnum, idest, incuria domini pecorum (quia si dolo datum est, violentialis etiam putatur posse moveri) si vero absque culpa domini casu intulerunt damnum pecora, non refunditur, paritate 16: 1622. D. 2. p. 182. quia casus nocet domino rei, quæ destructa est. Alia est ratio, si pecora impelli potuerunt, non restituentur ante refusionem damni, quin imo, admonito et reluere nolente domino post 15 dies vendi poterunt, quod supernatat, restituetur domino. Melior est conditio possidentis. Lex quidem 21: 1807. de silvis lata, innuit casuale etiam damnum refundi debere, verum fors invagiationem præsupponit. Casuale habetur etiam damnum, quod nefors pecora, præter naturalem instinctum, quo feruntur ad depascendas segetes

et herbas, damna vel læsionem inferant, v. gr. per calcitrationem, aut boves vel vaccæ cornupetæ si quem lædant, quod raro potest domino imputari. Licite impellens ob male curata pecora in culpa lata, illicite impellens vero etiam in levissima convincitur; quid quod etiam in casuali, quia semper in mora est; quod etiam de licite impellente, sed non resignante verum est, melius debuisset rem alienam quam suam curare.

CAPUT XXXI.

De Dehonestatione.

§. 770. Notio dehonestationis. §. 771. Processus, Judex et Actoratus in eo. §. 772. Meritoriæ observationes. §. 773. Pœna, eaque sæpe non simplex. §. 774. Aliæ quædam præcipue civilis dehonestationis species. §. 775. Quomodo cessant morte.

§. 770.

Dehonestatio est delictum, quo alterius existimatio et honor, verbis vel scripto, aut illis æquivalentibus signis (pictura vel gestu) dolose læditur. Contra Principem, id genus verba et scripta, crimen læsæ Majestatis redolere possunt. Verba et facta spurca, sordida, auctorem tantum dehonestant, quod vero nimium est, facto recursu, via politica, Fiscali Actione compescendum ordinabitur. Verba blasphema criminis loco sunt. Dehonestatio semper vitium moralitatis appingit alteri, vice versa non semper, v. gr. invidiam objice-

re non est dehonestatio civiliter. Non omnia punit respublica quorum infundata insimulatio ut videtur, dehonestationem sapit, v. gr. ebriositas, mentiendi consvetudo, si sit absque læsione aliorum; ast, quidquid Resp. punit, si alioquin natura sua, idest, ante legem positivam, immorale sit, tale quid infundate objicere, dehonestatio esse videtur.

§. 771. Processus dehonestationis potest defluere vel coram Vice-Comite, vel coram Judice Nobilium, pro praxi cujusque Comitatus. Actio fundatur in 72: 2-dæ. 1723: 57. qualitas dehonestationis disertis verbis exprimi solet. Ignobilibus contra nobiles actoratus personalis non competit.

§. 772. Si verba dubia possunt in sensu probo accipi, non est dehonestatio, nisi illa proferens declaret se in dehonestatorio sensu accipi velle. Ast sensus verborum non dubius, verum vulgaris, excusationem non recipit. Quod joci, vel ab eo qui id juris habet, corrigendi causa profertur, non est dehonestatio, quia non adest dolus et nocendi studium, id quod ex circumstantiis metiendum est. Si delictum objiciatur, quod reipublicæ interest scire, v. gr. impostura, homicidium, furtum, latrocinium etc. et probetur, non punitur qui illa objecit, sic: si causa se defendendi objecit, v. gr. testibus contra se adductis quod fidem non mereantur, et probet, non punitur, quia hoc potuit facere ex 2-dæ: 56. Verum si nec ipsius intersit, et publicum ignorare et ignorari malit, v. gr. delicta carnis, dum vis, incurrens scandalum, et seductio non adest, nec corruptio metuitur, licet probet quod objecit, tamen punitur. Dehonestationem præcedens vel subsecuta re-

vocatio et deprecatio non tollit, et ea non obstante datur actioni locus, verum retorsio tollit, non, quasi liceret convicia reddere, verum quia uterque deberet convinci, ergo tantum lites multiplicarentur.

§. 775. Nobilem dehonestans Nobilis (ut in violentiali) solvet 100, inter ignobiles non cives vero, in 20 fl. vivo scilicet eorum homagio, tacente lege, et auctoritate, tantum Kittonitsii c. 9. q. 20. pœna consistere dicitur: præstat corporali pœna punire, exemplo Curiæ R. Rusticis vel propter dehonestatum Nobilem, jam pridem 24 baculos dictare solitæ. Inter cives 100 fl. dictari audivi. Si sit lis inter Nobilem et civem, aut honoratioris ordinis ignobilem (qui baculo non punitur) Ignobilibus arestum, Nobilibus vero pecuniaria pœna 20, vel prout ob violentiam, 40 fl. solet dictari. Birsagii duæ tertiæ Judici, una tertia Actori cedit. Expensas non dicit lex refundi debere, imo illas excludi censent aliqui per 57: 1725. §. 3. de dehonestatione Judicum Comitatensium in Sede Judiciaria, vel Congregatione facta sonantem, et §phum 4. quamcunque aliam dehonestationem eodem modo puniri ordinantem; hinc etiam Curiam ab expensis præcidisse ferunt; tamen in aliquibus Comitatibus adjudicari solent. — Pœna toties currit, quot distinctis vicibus facta est dehonestatio, et quot fuerunt personæ dehonestantes vel dehonestatæ 1725: 57. §. 4. Etiam si plures contumeliæ in continuo et eodem tempore sint prolatæ, vel in una epistola aut pasquillo plures dehonestationis species sint; tamen una tantum pœna currit, habetur pro continuo vel uno actu. Licet quis in probam diffamatoriæ suæ dictionis æque

tale documentum producat, D. 1. p. 185. tamen una pœna tantum currit, quamvis possibile sit, ut quis propter repetitam allegative actionalem, aut aliam dehonestationem, præter pœnam violationis Sedis, penes aliam citationem iterum convinci possit. Si quis alteri commiserit dehonestationem, tam mandans, quam mandatarius punitur. Appellatur extra Dom. 28, 29, 729. Dehonestant ad deprecationem vel honoris declarationem judicialiter apud nos non cogitur.

§. 774. Processu hoc possunt etiam conveniri, qui injuriosam expositionem faciunt coram Rege vel Judicibus Regni ordinariis ex 2-dæ 72. Verum in majoribus, uti alias diximus propter Magistratuales infamatorie apud Regem delatos, pœnam talionis dictat Tabula Regia 63: 1725. si accusatio infundata fuerit. Idem valet in casu prætensæ notæ.

Si quis alterum ignobilem dicat, is vero suam nobilitatem fidedignis testimonialibus probet, mortuum homagium læsi, idest 200 fl. solvendi sunt 56: 2-dæ. D. 1: p. 185. videturque posse desumi etiam actoratu filiorum, vel collateralium læsi mortui. Sic: si quis alterum infamem vel perjurum appellet, in homagio ejus, soli eidem cedente, convincetur, si is se honestæ conditionis hominem esse probabili documento poterit evincere ut 2-dæ 56. dicit.

In Diæta sive in loco Sessionis, sive extra illam, pœna dehonestationis Ablegatorum sive verbalis seu scriptæ, idest pasquillorum, consistit in 200 fl. intuitu cujuslibet læsi per Tabulam Regiam summario processu, in I. ad tertiam diem citato desumendis, soli læso cessuris, 7: 1725.

§. 775. Dehonestatio, cum sit mere personale quid, eveniente ante contestationem litis, sive lædentis sive læsi morte, exstingvitur, in regula, D. 16. pag. 8.

CAPUT XXXII.

De birsagiis, et aliis quibusdam pœnis interveni-entibus.

§. 776. Calumniæ casus recensentur. §. 777. Pœna ejus. §. 778. Natura violationis Sedis Judiciariæ, et pœna ejus publica. §. 779. Salva nefors Actione et pœna privata. §. 780. Temerarii litigatores. §. 781. Procuratoribus imponitur silentium. §. 782. Vel emenda lingvæ, quæ proprie et improprie sumitur. §. 783. Item, infamia, tam illis, quam aliis quibusdam pessimæ fidei hominibus. §. 784. Effectus hujus infamiæ. §. 785. Modus eam tollendi. §. 786. An infamia ex contractu incurratur.

§. 776.

Primo. Calumnia, in genere, est delictum, quo quis alterum dolose litigando vexat, v. gr. Si A. eandem rem duplici judiciaria via quærat 2-dæ 70. aut diverso titulo incompatibili, vel I. duplici titulo inhæreat, temporaneo v. gr. et perennali, aut A. quærat rem, de qua jam alterum securum reddidit, v. gr. transegit, vel amicabiliter convenit, aut quam condonavit. Verum ad invalidationem doni vel transactionis potest agere absque calumnia. Calumniosus porro est, qui litem legitime terminatam absque juridico remedio resuscitat,

v. gr. absque novo, vel non terminata lite absque depositione aliam suscitat, vel intuitu ejusdem substrati binariam citationem principalem, eodem titulo, quin prior condescenderit, adornat 2-dæ 25. (Si diverso (sed infirmo) titulo litem moveat, posterior Actio absque pœna condescendit, 5-ta Mart. 1805. Mesko.) Item, si literas quas ipse habet, processu quærat, aut aliam quamcunque rem, 2-dæ 34. Vel si plures ex collusione eandem rem et ex eodem fundamento contra unum eundemque quærant. Si quis simul et semel in eadem causa pluribus remediis juridicis incompatibilibus utatur, donec priori cedat; aut illud judicialiter cassetur, v. gr. appellet, postea appellatæ non cedendo, noviset, aut prohibeat simul et appellet. (Appellata et oppositione simul uti non est calumniosum). Porro calumniosus est, si quis novo simplici bis utatur, aut novo cum gratia, vel ubi novo cum gratia deberet uti, novo simplici utitur, D. 1: p. 35. In his casibus quoque si I. nonnisi Instituti condescensionem petat, illud condescensioni subjicitur, et pœna cessat, D. 13: p. 54. alioquin, calumniæ pœnam, aut (in regula) aliam, in gratiam privati, judex, nisi petatur, non dictat.

§. 777. Pœna calumniæ est amissio causæ perpetua, et 200 fl. in una tertia parti adversæ, in duabus tertiis partibus vero Judici cedentes. Convictus novisare non potest, verum appellare permittitur. D. 2: p. 55. Etiam fora inferiora possunt pœnam calumniæ dictare, licet (ut aliqui dicunt) nonnisi in 100 fl. quod quo fundamento dicatur, non video, quia articulus 48: 1565. quem allegant, nonnisi in violentiæ pœna dictanda prohibet Comitatus 100 fl. excedere D. 5: p. 55. Calumniam

allegans et non probans, pari pœna non afficitur, quia lex de illa pœna tacet, Dec. 5. p. 55. Qui in facto alieno versatur, calumniam non incurrit, quia non est dolus, nisi pertinaciter agat. Ex facto Advocati calumniam importante, potest quis se juramento purgare, quod illud nesciverit, D. 4: p. 55. Facta contra judicatum incompetentem exceptione calumniæ pœna nulliter dictatur.

§. 778. Secundo, violatio Sedis Judiciariæ est delictum, quo quis indecenti dicto vel facto in figura judicii commisso, dignitatem judicii violat. Hoc extenditur etiam ad Congregationes Comitatuum 725: 57. Committitur non per illum tantum qui in figura judicii sententiam vellicat, injustam dicit, D. p. 56. verum etiam qui vel solo nutu, aut gestu aliquem præcipue judicem lædit, Prol. 16: §. 4. Pœna est 25 marcarum gravis ponderis, quod unus si in continenti vel ære parato, vel in pignore, v. gr. annulo, horologio etc. deponatur, marca gravis, levi, idest, floreno reluitur; si vero convictus petat secum hominem Judicis mitti, et domi solvat, marcam gravem, media, idest, duobus florenis redimit 2-dæ 86. Si pignus non redimatur, 100 fl. dementur. (Lex citata, de omnibus incidentalibus birsagiis dicere videtur; ante executionem, marcam gravem, levi, vel respective, media, redimi). Dictari debet hæc pœna stante eadem Sed. vel Congregatione, nec potest alia die sententia ferri. Hinc, Fiscus Comitatensis statim porrigit suam actionem, et vi Sig. 6. 7. Matth. 6: 58. Ulad. 1: 67. 1649, 94, 2-dæ 69, 72. 57: 1725. petit convinci. Appellata extra Dominium admittitur. Ex Matth. 6: 52. usque 15 dies deberet exspectari convictus, verum moris est,

ut in Congregationibus detineatur, donec deponat. In Tabula Regia onus totale deponitur, et vi 69: 2-dæ convictus, ex Sessione prius quam solvat, non dimittitur.

§. 779. In figura Judicii aut in Congregatione læsivis et dehonestatoriis terminis affectus videtur actionem ad pœnam dehonestationis habere, licet in instanti convictus sit, qui illos protulit; quia pœna ibi dictata est ob loci reverentiam D. p. 56. violatam, et quia secus melior esset conditio illius, qui in loco tali dehonestat alterum, quam qui alibi, quia minori onere, marca levi deposita, satisfacere potest, quod quidem in dehonestatorio processu non currit, quia ibi majus onus, idest totam pœnam in 100 fl. consistentem luit r-mæ 69. ubi contra distingvitur sententia propter violationem Sedis lata ab aliis minoribus sententiis, quales sunt dehonestationis et violentiæ, in quibus onus majus deponi jubetur. Etiam judex, si non qua talis, idest, non in re officii est dehonestatus, actionem adhuc privatam, præter publicam, habere videtur; si vero qua talis læsus est, non habet, quia totum onus depositum est, ex quo tertiam partem capit.

§. 780. Tertio, pœna temere litigantium 1729: 52. §. 3. Qui processum ad supremum forum perducit, et nullibi sententiam favorabilem, saltem inviatoriam, vel remissoriam. D. 3: p. 38. aut circa fructus et expensas D. 1: p. 37. eo minus in merito, reportat, verum æqualiter et simpliciter in omnibus foris succumbit, punitur per sententiam Septemviratus ad summum in 100 fl. nisi lex aliam pœnam dictet expresse, præterea in refusione fructuum et expensarum, licet secus non currerent

32: 1729. nec expensas adversa pars peteret, D. 2; p. 58. et in causa Bene, 28. Nov. 1804.

§. 781. Quarto, silentium Procuratori imponitur ob delictum contra fidem et officium patratum, ne alienas causas agere possit: 1) Si colludat cum adversario. 2) Si intempestive deserat suum principalem absque justa causa, et per id illi damnum inferatur. 3) Si amicam compositionem impediat. 4) Si legitima auctoritate impulsus causam pauperis assumere nolit. 5) Si falsas literas conficiat, aut illis scienter utatur, illis inhæreat. 6) Si 58: 1723. §. 5. præcipue pauperum advocatus, de quotta litis cum principali paciscatur, Dec. p. 57. vi cujus, Tab. Septemvir. hanc pœnam perhibente pl. Tab. pag. 218. nemine petente, ultra sphæram Actionis imposuit. 7) Si sæpius admonitus, processum tamen trahat etc. 8) Si Judicem enormiter lædat etc. Extenditur ut judicis illud imponentis auctoritas. Tollitur gratia Principis; illud vero, quod non via politica, verum in processu est impositum, etiam via apellatæ.

§. 782. Quinto. Emenda lingvæ, proprie, ob delictum lingvæ imponitur, propter dehonestationem, violationem Sedis Judiciariæ. Italis emenda, Gallis amende, significat mulctam, apud nos a temporibus Caroli Roberti ex Gallorum Regum familia orti, ast Neapoli ad nos adlati, in Hungaria invaluisse videtur prout aliæ multæ voces, v. gr. avisare, cum gentibus, gverra, bladum, plur. blada (non biada) ex bled, frumentum, homagium l' hommage, terragium terrage, lingvagium langage, birsagium bürsage, a bürsa, unde et bursale, gallicum (præstatio pecuniaria)

Hungaris non inauditum, cumpulsoire, condescendre, collationner, indorsare (endosser) cancellation, etc. quamvis aliquæ etiam antea occurrunt, v. gr. Senior pro Dominus, parentes pro Cognati.

In sensu inproprio incurritur emenda lingvæ per Procuratores, si adversarius petat: 1) Si absque mandato, idest, Procuratoria constitutione agant, aut si jam illa exspiravit, nisi constaret esse Procuratorem Fiscalem ordinarium ejus, pro quo quis agit, D. 3: 57. 2) Si quis causam a Principali transactione sopitam resuscitat, promovet, appellat, licet sit legitimus mandatarius Dec. 2: p. 57. 3) Qui in allegando læsivis terminis utitur 2-dæ 72. Emenda lingvæ facit 100 fl. quæ si statim deponatur, marca gravis, marca levi redimitur, secus totum deponi debet, et quamdiu non deponat, non permittitur coram illo foro agere convictus Procurator.

§. 783. Sexto: Infamia, alia est facti, quæ contrahitur factis turpibus, de quibus notorie constat. Effectus habet hos: excipi potest contra testimonium diffamati 2-dæ 29. 1729: 27. Adimit Actionem ob dehonestationem in eo genere, in quo quis est diffamatus. Alia est infamia juris quam lex dictat, Curia Regia infligit (si petat adversa pars) uti diximus, de proditoribus fraterni sangvinis, de tutoribus infidelibus, falsarum literarum confectoribus, illis utentibus, imo etiam illorum Advocatis, D. 1: p. 56. nisi tantum nominis latores essent, Dec. 3: p. 56. perjuris, depositi detentoribus, Procuratoribus cum adversa parte colludentibus 27: 1567. §. 4. Larvatis, mandatis Judicum Regni ordinariorum non obtemperantibus, eti-

am malefactores criminales condemnati, quamdiu crimen non expient, sunt infames, porro: munera in Comitiis occasione diætalium negotiorum dantes vel accipientes 1649: 44. Duellantes, ex usu.

§. 784. Effectus hujus pœnæ sunt: 1) Inhabilitas ad omnia officia. 2) In nulla materia potest agere infamia juris notatus ad pœnam dehonestationis. In aliis processibus potest active et passive stare, ast ut vulgo putatur, non in persona, verum medio advocati, vel plenipotentiarii. 3) Contra testimonium illius non tantum impune excipere licet, verum prorsus rejici debet, secus ac infamia facti notatorum, qui, licet contra illos exceptio impune formari possit, non tamen semper debent rejici, nisi de perjurio sint infamati notorie.

§. 785. Infamia facti, factis contrariis, infamia juris contraria sententia aut gratia principis tollitur, ita tamen, ut tertio præjudicium non inferatur, damnum scilicet si possibile est, refundatur.

§. 786. Non desunt qui doceant, ex contractu incurri posse infamiam, vi generalium legum Matth. 6: 17. etc. si se quis sub pœna infamiæ obligaverit, nec satisfecerit; verum, hodiernis temporibus et moribus, pœna vincularis, honori (prout etiam corpori vel libertati contraria) est nulla.

LIBER III.

De Actionibus in genere, seu de Mediis legitimis jus suum defendendi et persequendi.

I.) DE JURISDICTIONE et PERSONIS JUDICIARIIS.

CAPUT I.

De Jurisdictionum varietate, competentia Fori, et de Judice.

§. 787. Jurisdictionum varietas. — §. 788. Competentia fori ordinaria, ratione personæ, rei, loci, analogiæ. §. 789. Extraordinaria, per delegationem Principis vel Palatini. §. 790. Ex Reconventione, §. 791. Ratione accessorii, — §. 792. Ex compromisso.

§. 787.

Jurisdictio est facultas exercendæ potestatis publicæ. Potest dividi in ecclesiasticam, militarem et civilem; hæc in politicam et judicialem, hæc vero in civilem in specie, et criminalem, quarum utraque plura Fora sub se complectitur.

§. 788. Competentia fori Judicialis ordinarie est (prout innumeris exemplis vidimus) vel ratione rei, quæ sub lite est, pro situ, quantitate et qualitate illius, nullo respectu habito ad personam, vel ratione personæ, ratione loci residentiæ, delicti item aut comprehensionis. Sic: etiam nobilis malefactor potest condemnari in Sede dominali ejusdem Dominii jure gladii gaudentis, in cujus territorio deliquit et comprehensus est, Ulad. 2: 19. 3-tiæ 20. 32. 15: 1669. illique sub pœna 100 fl. resignari jubentur malefactores 60: 1638. Idem valet etiam de Civitatibus, licet malefactores nobiles in territorio civili comprehensos Comitatui resignare soleant, quod tamen cum cautela facere solent ne per id juri suo 20, 32: 3-tiæ derogasse, aut illi renunciasse videantur. Qui vero jure gladii non gaudent, omnes malefactores debent resignare Comitatui, secus convincuntur in 500 fl. ad rationes Comitatus cedentibus 16: 659, qua lege 3-tiæ 32. §-pho 2-do derogatum est; porro: ordinaria fori competentia est ratione analogiæ, seu similitudinis, sic v. gr. multæ causæ, de quarum judicatu lex tacet, vel debiti, vel successionis, vel pignoris naturam imitantur, sensu 1729: 35. §. 5.

§. 789. Extraordinarie vero competentia Fori enascitur.

I.) Ex delegatione. Jure delegandi apud nos gaudent 1) Rex, pro causis legali judice destitutis 1715: 17. §. 3. v. gr. si proportio, in loco ad duos vel plures Comitatus pertinente est inducenda, aut massa concursualis pluribus Jurisdictionibus, vel plane Regnis, est subjecta. Delegatio-

nis Regiæ casus frequentes sunt. Sic: quoniam juris patronatus judex est sua Majestas, Ulad. 5:67. 1725: 55. hinc, si de eo quæratur, an alicui, vel cui competat, et via politica (v. gr. inter Fiscum et privatum) superari non possit, Sua Majestas judicium ex Secularibus et Ecclesiasticis mixtum delegat, a quo ad delegantem Majestatem appellabitur. 2) Palatinus, in casibus metarum, inter loca duobus diversis Comitatibus adjacentia ex usu controversarum, sive procedatur via politica, seu summarissime, sive via juris, seu solenni. 3) Pontifex Romanus, pro causis matrimonialibus ad ipsum appellatis, delegat loco sui Hungarum in dignitate ecclesiastica existentem.

§. 790. II) Ex reconventione, quæ, sua natura habet locum ubi prætensio Incatti nexum habet cum prætensione Actoris, et ex eodem fonte promanat, uti vidimus de divisionali, proportionali, metali, et computuali, et in illis casibus, in quibus pœna talionis aut alia dictatur Actori, v. gr. in violentiali pœna indebitæ, aut propter accusationem aliquam 7: 1715. 9: 1567. Non ex rei natura autem, verum compendii litium causa habet locum, in casibus redehonestationum, reverberationum, si et A. et I. eidem Judici quoad personam subsint. Vel Nobilis, coram foro ignobilitari agens, in pœna calumniæ, contra socium quæstus vero computuali procedens, si ipse ex lucro plus, ex damno minus quam debebat participavit, in refusione refundendorum via reconventionis convincitur.

§. 791. III) Competentia fori extraordinarie potest esse ratione accessorii, cum enim persona, vel res principalis, aut objectum principa-

le coram aliquo judice est, et accessorium ibi judicari debet 52: 2-dæ, v. gr. evictor, etiam diversæ conditionis, citatur ad idem forum, coram quo evincendus stat, prout etiam fidejussor, accessorie citatur per Judicem debitoris, (non item si jam debitor excussus est), sic, repetitio literarum in processu invalidatorio, liquidatio, imputatio, damnorum refusio, sæpe fit coram Tabula Regia accessorie etc. V. Comes quoque in causis violentiali repositorio, damna ultra 12,000 fl. adjudicat etc.

§. 792. IV) Ex compromisso: si scilicet litigantes arbitros elegerint, quod in Fiscalibus, matrimonialibus item, aliisque publicis, non habet locum, ut nec in metali inter duos Comitatus.

A sententia arbitrativi Judicii appellata non datur, nisi expresse reservata sit 30: 1729. ea vero reservata, etiam alia juridica remedia reservata esse censentur. D. 2. p. 6. Novum vero, in dubio: semper reservatum esse censetur, (licet appellatæ non sit locus) etiamsi Partes ita contraxerint, ut tam ipsi, quam successores eorum sententiæ stare debeant, nisi, vel omnibus juridicis remediis in genere, D. 4. p. 52. vel Novo in specie, D. 8. p. 53. D. 4. 5: 52. D. 8. p. 55. renunciatum sit (quamvis Tab. R. Novum denegaverit, illis, quia ita contraxerunt, ut arbitrorum sententia perpetuo valeat D. 6. p. 7. vid. infra de Novo). Novisari vero debet coram arbitris; si vero illi mortui sunt, coram Judice legali, 12. Jan. 1814. Meszlényi.

Compromissum semper scripto debet concinnari, et omne suum robur et extensionem a contractu habet, ut adeo, super eo, quod in eo non

attactum est, judicari non possit D. 55. p. 148. — Arbitri impari numero solent eligi, ne vota sint æqualia, quod si sit, absolventia prævalebunt, nisi alter sit conventum, idest, Præsidi conclusivum votum datum sit.

Sententiam exequitur unus ex arbitris, si vero convictus id non admittat, movetur processus ad executionem coram Judice publico, ex Ulad. 6. art. 1. et ad desumtionem vinculi, si quod est. Præstiterat ita compromittere, ut Arbitrorum sententiam Judex legalis exequatur, idque sub vinculo gravi et brachio admitti debeat. Si vero processus quidem in fundamento compromissionalis fuit, verum in sententiam fori est conventum, quod alias legale et publicum forum est, ut scilicet sententia ejus executioni debeat dari, coram eodem foro potest agi ad dandam rationem oppositionis, sensu D. 7. p. 7.

Cessat compromissum morte compromittentis alterutrius, nisi super re liberæ suæ dispositioni obnoxia, ligaverint suos hæredes expresse. Porro: morte arbitri unius, (nisi in solidum fuerint electi) sive fuerit mors naturalis, sive civilis, v. gr. infamia. Tandem cessat, conditione qualicunque adjecta cessante, eo magis mutuo consensu partium, invita enim alterutra parte ad viam juris recurrere non licet D. 11. p. 18. Dec. 1. p. 183. ast non video quare non licuerit mutuo consensu ad appellatam recurrere, licet non fuerit reservata, 21. Jan. 1800. Beleznai. Potest cessare, enata nefors inter arbitrum et alterutrum compromittentium capitali inimicitia, aut aliis probabilibus rationibus incapacitatis vel interessentiæ.

§. 793. Conspectus Judiciorum nobilitarium, §. 794. Non nobilitarium, §. 795. Mixtorum. §. 796. Causæ fororum inferiorum nobilitarium. §. 797. Plerasque causas judicat Tab. R. vel in prima instantia, vel via appellationis, paucæ sunt, quæ ea præterita immediate ad Septemviratum, vel ab inferioribus foris aliorsum appellantur.

§. 793.

Quis Judex pro singulis causis competens sit, suis locis diximus quidem; ast brevem ejus rei conspectum cum recensione Judiciorum dare, non abs re fuerit.

Nobilitaria judicia, coram quibus et ignobiles proximiori alicui Jurisdictioni non subjecti conveniri debent, sunt:

1) Comitatensia triplicis ordinis, utpote: Judex Nobilium, seu (ut nostri vocant) Judlium, cum jurato suo Assessore, vulgo Jurassore: Vice-Comes cum Judice Nobilium et Jurassore, et denique Sedria, seu Sedes Judiciaria, quam pariter V. Comes, (si scilicet Supremo Comiti adesse non libuerit, vel per aliud officium non licuerit) Judlium et Jurassor, cum aliquot Tabulæ Judiciariæ Assessoribus constituunt 24: 1615.

2) Districtualia. Quatuor scilicet Tabulæ in totidem Districtibus, seu Circulis Regni, quibus similis est Tabula Judiciaria Croatica.

3.) Curia Regia, toti Regno communis, in duos Senatus, Tabulam videlicet Septemviralem, hucdum pro more antiquo ita dictam, sub præsidio Palatini vel Judicis Curiæ, (illis vero impeditis, Tavernici, aut plane 4-ti Regni Baronis ibi Cojudicis) et Tabulam Regiam, sub præsidio Per-

sonalis, divisa, quæ posterior, causis criminalibus judicandis, etiam in duos Senatus abire potest. Tab. Septemviralis, præter Palatinum, constat ex 4 Prælatis, tribus Regni Baronibus, 4 aliis Magnatibus (ad quos etiam Nobiles, Supremorum Comitum dignitate illustres pertinent) et denique 9 aliis Nobilibus. Tabulam Regiam vero, præter Personalem, faciunt: duo Prælati, duo Barones (nec illi necessario ex Prælatis, proprie talibus, nec isti necessario ex Magnatibus eligendi) Vice-Palatinus, Vice-Judex Curiæ, 4 Protonotarii, et decem alii Assessores, cum causarum Reg. Directore. Ex decem his viris, præter Protonotarios, referendis in utroque Senatu Curiæ causis 4 tantum occupantur.

Judex Nobilium, Vice-Comes, et Tabulæ Districtuales sunt tantum primæ instantiæ Judices, Sedria vero et Tabula Regia et primæ instantiæ, et appellationis, Tabula Septemviralis vero tantum appellationis vel revisionis. Tabula Banalis (in Croatia) vero ita considerari debet ac Tabula Reg. Hung.

§. 794. Judicia non nobilitaria, quibus tamen et Nobiles ratione fundorum non nobilitarium, onerumque illis inhærentium subesse debent, sunt:

1) Civilia fora, seu Magistratus liberarum regiarumque Civitatum; huc pertinent etiam Fora Tavernicale et Personalitium, velut (exceptis criminalibus aliisque Fiscalibus Actionibus et Evangelicorum matrimonialibus ad Tabulam Regiam transmittendis) Fora appellationis civilia, vid. lib. I. cap. 5.

2) Oppidorum privilegiatorum Magistratus, sive sint Oppida dominali potestati subjecta, sive

liberis privilegiatis Districtibus adscripta, quî Districtus etiam suas proprias Sedrias, ad quas ab oppidano Magistratu appellatur, habent. Vid. lib. I. cap. 6.

3) Sedes dominales, pro causis colonorum, primæ instantiæ, pro causis oppidanorum dominali jurisdictioni subjectorum vero nonnunquam appellationis fora sunt. Dantur etiam fora ex Sede dominali et oppidano vel districtuali Magistratu composita, v. gr. Kikindense. Causæ ad Sedes dominales pertinentes enumerantur lib. I. cap. 11.

4) Fora montana, pro causis circa metallifodinas exoriri queuntibus, et Sedes Nobilium prædialium, medium locum inter fora nobilitaria et non nobilitaria tenent.

§. 795. Judicia mixta sunt: 1) Palatinale, pro causis repositoriis vel metalibus in collimitio duorum Comitatuum ex usu motis, et pro causis Jazigum et Cumanorum appellatis. 2) Sacræ Sedes, in quibus cujuscunque conditionis hominibus, in quibusdam causis, jus dicitur, quæ sint illæ? vid. lib. I. cap. 2. 3) Universitatis R. Pest. pro causis ad eam pertinentium, etiam criminalibus, præsente testimonio articulari.

§. 796. His præmissis observandum:

1) Causæ privatæ birsagiales, seu ad pœnam pecuniariam directæ moventur pro magnitudine substrati, aliæ coram Vice-Comite, aliæ coram Judice Nobilium, pleræque pro arbitrio Actoris, coram hoc vel coram illo, exceptis paucis illis, quæ exclusive alterutri per legem assignatæ sunt judicandæ.

2) In causis debiti, successionis, pignoris reluendi, vel transvestiendi, et quæ horum naturam

sequuntur 1729: 55. §. 5. judices competentes sunt: Judlium, Vice-Comes, Tabula Districtualis, habita ratione quantitatis, vel respective situs bonorum.

3) Præter dictas nunc statim causas, Vice-Comites quidem, in metalibus inter duo loca ejusdem Comitatus ex usu agitatis, proportionalibus item et repositoriis, Tabulæ Districtuales autem, unice in causis ad implementum contractus vel testamenti, item ex puritate statutionis motis, procedunt.

4) Omnes causæ Fisci magistratualis, utpote Actiones civiles vel birsagiales publicæ, criminales, productionales, seu legitimatoriæ, idest, probandæ nobilitatis, verbo omnes causæ publicum tangentes, (exceptis insurrectionalibus restantiis, coram V. Comite quærendis) adeoque etiam matrimoniales Evangelicorum, extra Civitates, et liberos Districtus degentium, coram Sedria Comitatus moventur. Pro causis vero per Judlium, Vice-Comitem, et, in regula, per Sedes dominales decisis, est forum appellationis. Recensita hoc §-pho fora, velut pedanea, non de valore literarum, nec contra illas, sed secundum illas judicant, nisi nullitas illarum manifesta sit.

§. 797. 5) Ad Tabulam Regiam, qua forum primæ instantiæ pertinent causæ olim octavales dictæ, in quibus 1) caput et bona, 2) vel caput vel bona, 3) ubi non quidem caput, ast omnia bona, 4) ubi vita civilis in periculo versatur, v. gr. propter pœnam servitutis vel infamiæ, 5) causæ, in quibus discussio valoris aut interpretatio privilegiorum, 6: 1486. 28: 1715. aut 6) quoad nobiles et libertinos quorumcunque contractuum, et respective (quoad substantiam scilicet) testamen-

torum, subversatur. 7) Vigore Statuti per Reges confirmati causas criminales Juratorum Tab. R. Not. via appellationis vero, omnium fororum secularium sententias, exceptis Cumano-Jazigalibus, etiam criminalibus, ut dictum, ad Palatinum, urbarialibus item et productionalibus medio Exc. Consilii ad Suam Majestatem, repositoriis summariis pariter ad eandem, fororum porro Banalis et Tavernicalis, penes levatam in Tabula R. factam ad Septemv. Tab. Personalitii denique, non ultra, mittendis, revidet, ab ipsa vero ad Septemviratum velut supremum forum appellatur.

§. 798. Judices Regni ordinarii. §. 799. Judicum juramentum. §. 800. In quæstione juris scientia hominis est scientia Judicis, non item in quæstione facti, nisi vita innocentis in periculo versetur. §. 801. Ratio differentiæ inter vitam et bona civium. §. 802. Usus hujus quæstionis.

§. 798.

Judices Regni ordinarii (infra et præter Regem) sunt: Palatinus, Judex Curiæ, Personalis præsentia Regia, (Primas Regni) seu potius Locumtenens illius, qui breviter Personalis audit. Ita vocantur, 1) Quod illorum officio, vel præsidium, vel cojudicatus in Curia Regia adnexus sit. 2) Quod mandatis judiciariis rem justitiariam dirigant. 3) Quod ad Tabulam Regiam, quilibet ex illis duos Vicesgerentes, et respective Protonotarios (prout etiam ipse Primas Regni, duos Assessores) denominare possint. Banus Croatiæ est Judex ordinarius in Croatia, Sclavonia et Dalmatia, cum suo Vice-Bano, et Protonotario per ip-

sum nominari solitis, Tavernicorum R. Magister vero Civitatum aliquarum, cum suo, quem nominaverit, Vicario, et jure cojudicatus in Tabula Septemvirali.

§. 799. Judices debent esse modo legitimo constituti, et, si ne fors Judices Sedium dominalium velut dominum terrestrem, naturalem colonorum Judicem repræsentantes, exceperis, juramento corporali, secundum formulam, quæ habetur 55: 1492. seu Ulad. 1: 55. 24: 1615. Sig. 6: 1. debent esse adstricti.

§. 800. An Judex secundum allegata et probata vel secundum privatam scientiam debeat judicare? In quæstione juris, licet pars aliqua non sufficienter se defenderit, tamen illam supplere, et sententiam in lege, quam melius intelligit, et in natura rei fundare debet, D. 14: p. 15. Sed in quæstione facti, seu historica, si causa civilis sit et absolvere et condemnare debet ex allegatis et probatis contra suam privatam scientiam, pariter absolvere debet in causa criminali, eum qui non probatur delinquens, Prol. 16. licet sciat esse; ast condemnare, quem scit innocentem, non potest, quamvis probetur deliquisse; verum debet judicatum deponere, et testem agere; si non possit, potius pereat ordo quam homo, et potius fraudibus via aperiatur; licet Verböczi Prol. 15. contrarium statuat, simul, qui aliter sentiant, non deesse insinuet.

§. 801. Civitas habet jus bona civium, non item vitam, ob utilitatem publicam, adimendi; verum tantum illam periculo exponendi, etiam cum coactione sub pœna mortis, et potius dissolvatur et pereat Civitas, quam innocentem occi-

dat; quia respublica non habet plus juris in privatos, quam privati in eam transtulerunt; atqui nec privati habent jus in propriam vitam, ergo nec transferre potuerunt. Jus in vitam injusti aggressoris habuerunt et transtulerunt, nec illud amplius nisi alias inevitabile periculum sit in mora exercere possunt.

§. 802. Apud nos plures sunt Judices, ex quibus, si qui propter aliquod impedimentum judicare non possint, alii sufficienti numero sunt. Sufficit observasse; Judicem circumstantias facti non allegatas et non probatas attendere non debere, Prol. 15: 2-dæ 75. §. 8. vel quæ (exceptis criminalibus, aliisve causis publicis) post sententiam definitivam, (alia est ratio interlocutoriæ) allegantur, licet probentur, quia talium resanatio in regula ad viam novi pertinet. Prout vero, a foris superioribus, fine eo, ut omissa suppleantur, et processus uberius elucubretur, causa ad forum primæ instantiæ sæpe remittitur, sicque, per idem forum, ex novis allegatis, sententia prior mutatur: ita vel absque remissione processus, fora altiora, præcipue Tabula Septemviralis, pro summa sua disinteressentia, prudentia et æquitate, et ratione circumstantiarum, rigorem juris, quoad probas post sententiam nefors allatas, (ne pars clarissime probans novo oneretur, et ita lites incassum multiplicentur) relaxare potest, cujus rei exemplum ante 70 circiter annos præbitum, me legisse memini.

CAPUT II.

De Actore et Ingerente.

§. 803. Actoratu personali qui destituuntur? §. 804. Ignobiles in causis pluribus illo gaudent. §. 805. Uberius expenditur actoratus ignobilium. §. 806. In processibus repositorio, et damni. §. 807. Nobilitatem Actoris in dubium vocare sæpe pœnale. §. 808. Actoratus filiorum familias. §. 809. Religiosorum §. 810. Infamium. §. 811. Assistentia Fiscalis. §. 812. Actoratus realis ex jure in re, vel jure ad rem.

§. 803.

Actor est persona judicialis, quæ coram Judice aliquid contra adversam partem petit. Debet habere actoratum personalem, seu habilitatem ad agendum, idest, ut nec impediatur agere, ut stultus, nec prohibeatur, ut illegitimæ ætatis persona, (cujus nomine, ne mortui quidem parentis causa potest reassumi) aut ignobilis, contra personam nobilem, intuitu imprimis personalium læsionum, propter quas, vel Fiscalis magistratualis, vel Dominus, vel Civitas, idest Judex, pro ignobilibus agit.

§. 804. Omnes autem ignobiles in contractualibus habent actoratum personalem, v. gr. in processibus reluitoriis, D. 56. p. 19. debiti, indebite soluti, (ex quasi contractu) implementi, quoad res scilicet quarum possidendarum capaces sunt, item, in causis puræ successionis, v. gr. conjugalis, contra successores uxoris defunctæ, licet Nobiles; aut collateralis, contra Fiscum Reg. vel civi-

cum, aut Dominum terrestem, ex prætenso defectu bona occupantes, etc. porro habent actoratum contra sangvinem, v. gr. ad transumta vel communicationem literarum, divisionem ex usu, vel ex jure, idest, ad æqualitatem juris, ad pœnam actus majoris potentiæ contra fratres mutilatores, verberatores etc. ad rectificationem divisionis, novam divisionem, contra collaterales matris nobiles etc,

§. 805. Hæc ut mihi videtur, plani juris sunt, ast, cum in D. Cur. vel ante legem 20: 1802. denegati in realibus ignobilibus actoratus exempla, nonnisi quoad processus invalidatorios ex præjudicio, D. 22: p. 89. (refragante hic quidem Tab. R. Pl. 220.) Juris item, D. 9. p. 62. nec non eidem æquivalenti antiquæ successionis processu, D. 59: 149. (contra extraneos scilicet, Curiam enim contra sangvinem denegasse actoratum ignobili persvadere mihi non possum) atque, sensu hujus Decisionis de primitiva acquisitione agentis, quoad processum ex puritate statutionis, vel dandam rationem contradictionis (relate scilicet ad donationem nefors per maternos antenatos impetratam) occurrant; defendi posse videtur actoratus eorum: in processibus ad transvestiendum pignus, quia habent jus præemendi, et dictus processus imitatur naturam reluitorii, est contractualis, nisi quod nomen ementis mutetur; porro: in successionali sepositorio, v. gr. propter factum fratris indivisi, aut proprium, ubi id juris est, aut tutoreum, quid quod etiam ad invalidationem ex dolo, aut non facta præmonitione, et similibus, partim quod sint contractualia, partim quod fraus etc. nemini possit patrocinari l-mæ. 71. §. 1. Ad repetitionem

denique literarum jura materna tangentium, D. 5: 184. si jurisdictioni dominali subjecti non sint. (quæ restrictio quare adjiciatur, non video).

§. 806. An in repositorio (solennem repositionem intelligo, non summarissimam seu politicam, quam promiscue petunt) actoratus ipsis competat? affirmativa pluribus placet, quamvis mihi nota sint exempla condescensi in partibus ejusmodi actoratus, id quod contra D. 10: pag. 175. (quam scilicet, affirmativam tenentes allegant) esset, si in casu ibidem (ut videtur) meritorie deciso, Incattus nobilis fuisset; ast, contrarium videtur, ex eo, quod ita actoratus condescendisset, atque adeo vix ad Tabulam R. pervenisset processus, erat enim violentialis. Si ad repositionem habent actoratum (contra nobilem) nihil video quod obstet, quo minus idem obtineat in casibus damni, quod naturam debiti imitatur.

§. 807. Quidquid ejus sit, sicubi hæc exceptio manifeste locum habet (v. gr. in casibus personalium læsionum, violentiarum, marcali, nec non in casibus tribus quatuorve ex Decisionibus supra attactis) potest, per nobilem Incattum, nobilitas Actoris, etiam in merito causæ D. 4: p. 21. negari, verum, si (præter causas actus majoris potentiæ) Actor eam probet, 200 fl. debent solvi 36: 2-dæ. Si vero Incattus tantum capacitari petat de nobilitate Actoris, non auditur, nec propterea actoratus Actoris per Judicem suspendi, verum Incattus declarare debet, an velit negare, vel minus? quia secus tantum vexaret Actorem, et pœnam vellet effugere, ita Dec. Cur. licet alia, quoad causas, (ut loquitur) reales, non convinci dicat eum in emenda lingvæ, qui capacitari petit

de nobilitate alterius, eo quod directe non neget D. 1. p. 20. D. 1. p. 57. A condescensione hujus actoratus ultra Tab. R. appellata non datur, D. 13. p. 41.

§. 808. Descendentes quoad jura vivorum ascendentium. 1-mæ 51. §. 4. D. 13: 81. 5: 109. 6: 109. 12, 13. p. 121. sive sint sub patria potestate, sive non sint, non habent actoratum personalem, verum in læsionibus personalibus ipsis illatis, aut aliis cum parente nil commune habentibus, prout ad coactam divisionem in casibus legalibus, vel propter res sibi legatas vel stipulatas, habent, si legitimæ ætatis sint, D. 1. p. 152.

§. 809. Religionem ingressus non habet actoratum quoad bona, nisi qua administrator communium Ordinis bonorum 2-dæ 49. 55. aut intuitu decimalitatis sibi ex lege competentis. In personalibus vero omnes religiosi habent actoratum.

§. 810. Infames, si sit infamia facti, idest, quæ turpibus factis contrahitur, non possunt agere ad pœnam dehonestationis propter objecta talia delicta, de quibus notorie constat. Si vero sit infamia juris, idest, quam Judex dictavit, propter nullius speciei dehonestationem habent actoratum in materia honoris, sed in aliis habent, non desunt tamen, qui eos per Plenipotentiarium agere debere censeant.

§. 811. Actoratum personalem habenti, adeoque suo nomine litigare queunti, ast pauperi, assistentia Fisci, gratuita dari solet, quæ ab actoratu Fisci personali actoratu destitutis dari solito, diversa est, licet cum eo sæpe confundatur, eo quod posterior priorem etiam complectatur, non item vice versa.

§. 812. Debet habere Actor actoratum realem, idest, jus persequendi id, quod in actione continetur, eo fine debet probare fundamentum prætensionis suæ, uti in plerisque processibus vidimus. Sic: si quis fateatur bona apud alienas manus existentia perennaliter, ad illa revindicanda non habet actoratum (verum fassionarius suo nomine debebit litigare) nisi æquo solemniter fatenti refateatur, Dec. 7: 9, 13: 65. Sic: donec colonus legalibus oneribus sub priori Domino contractis satisfaciat, tamdiu non datur actoratus Domino posteriori pro eodem colono. D. 5. pag. 19. item D. 19: 157. Qui possessorii incapax est, non potest actoratum realem Actoris nobilis ex incapacitate possessorii agentis oppugnare, ut nec Incatti ignobilis novisantis actoratus personalis potest in dubium vocari per novisatum; quia novisans est revera Incattus, quia novum est continuatio prioris litis. An vero A. non ex incapacitate, verum ex præjudicio contra ignobilem procedens, pro natura suæ Actionis actoratum realem probare debeat, de hac re, contrariæ utriusque Tabulæ Decisiones occurrunt, pag. 19. Nro 2. pag. 92. Nro 40, 41.

§. 813. Ingerentis qualitates, §. 814. Ingessionis tempus. §. 815. Facto Actoris ingessio non evertitur, §. 816. Ast, ob diversitatem Instituti, quo deberet ingerens uti, §. 817. Eo magis ob diversitatem juris ingerentis ab actoreo, ruit. — §. 818. Observationes ulteriores. §. 819. Ingessio Fisci, vel privati jure Regio utentis.

§. 815.

Ingerens est persona judicialis accessoria, quæ lite adhuc pendente se in litem immittit, seque, (non Incatto, D. p. 23. verum) Actori associat. Cum ergo sit Actor accessorius, iisdem qualitatibus debet præditus esse, quas de Actore retulimus, præterea, in regula (idest, præter concursualem et proportionalem silvarum) debet cum Actore principali communionem juris et sangvinis probare, D. 1. p. 23. et expensas actoreas secundum limitationem Judicis, proportione prætensionis suæ refundere. Ubi communio juris et sangvinis non adest, nec ingessio admittitur, Fisco itaque ex nota vel defectu procedente nemo potest semet ingerere, quia nemo habet cum ipso communionem juris, D. 6. p. 23. (nisi fors jura notorii apud extraneos hærentia, cum innocentibus fratribus vel sororibus communia quæreret) sic: si mares agant, vel ex nota eorum Fiscus, et feminæ se ingerere velint, communionem juris et sangvinis debent probare, idest id omne, quod ad actoratum deberent probare, si contra mares actrices essent, D. 9. p. 24. Cum ingerens sit Actor accessorius, sequitur, firmius jus non posse eum prætendere, quam est Actoris, D. 8. p. 24. alias esset contra Actorem, nec jure proximioritatis seu prælationis se ingerere, nec plus posse prætendere, quam Actor inactionavit, secus non esset accessorius Actor, verum principalis, atqui hoc alio diverso processu deberet fieri. Etiam Incattus potest se ingerere, si jus cum Actore commune edoceat, et juri suo alias quæsito cedat, expensasque actoreas bonificet. Ubi multi sunt II. id usu venire potest.

§. 814. Ingessio post definitivam sententiam non admittitur, D. 4: 25. quamvis prohibita vel appelleta adhibeatur, quia hæc juridica remedia sententiam non cassant, sed tantum effectum ejus suspendunt, D. 7. p. 24. secus est si Actor noviset; quia adhuc pendet lis, quia novum est continuatio prioris litis.

§. 815. Si Actor ante producta ad meritum causæ pertinentia literalia cedat liti, vel eam deponat, vel transigat, ruit ingessio, 2-dæ 85. ingerens, si quid sperat, distincto processu quærat; verum si post producta talia literalia, vel prorsus post sententiam definitivam transigat, sua rata ingerenti salva esse debet in posteriori casu, in priori vero, prout etiam si A. litem negligenter promoveat (1805. in causa Jóba) litem continuandi facultas admitti debet; quia jure suo, quod jam clarum est, facto alieno privari, vel ad aliam litem relegari non potest 84, 85. 2-dæ.

§. 816. Non semper sufficit autem Ingerentem cum Actore, juris et sangvinis communionem habere, verum ipsum institutum, seu ille titulus Actionis debet ipsi competere, quo Actor utitur; hinc, filio fatentis, bona, ex avi communis pignore revindicata vendentis, ad invalidationem fassionis paternæ egente, non potest semet ex fatentis fratre descendens ingerere, quia non est fatentis successor, verum oppignorantis, D. 10. p. 24. Is ergo, prout contra fassionarium, quoad ratam suam reluitorio, quoad ratam fatentis vero titulo prælationis deberet agere, ita contra successores fatentis invalidatorio triumphaturos, divisionali liquidatorio utetur.

§. 817. Quando quis ad pœnam violentiæ, vel

repositionem procedit, vel oppignorans aut illius successores processu reluitorio agunt, non potest se is ingerere, qui illa bona meliori jure ad se pertinere prætendit; verum actor solus reponi, vel pignus ipsi adjudicari debet; alter quærat sua jura diverso processu; nisi bona communia sint per communem antenatum abalienata, et sic factum communis antenati in lite subversetur, tunc omnes condivisionales possunt se ingerere 2-dæ 84, 85.

§. 818. Si ingessio ob defectum probarum ruat, Ingerens prohibere, appellare, vel via novi ratam suam ab Actore triumphante poterit petere, si vero stabiliatur, et Actor neget communionem juris Ingerentes secum habere, potest respective prohibere, vel appellare, vel novisare contra Ingerentes, si nefors probas habeat contra illos; secus, pœna proditionis fraterni sangvinis punietur. Is, cui aliquid promissum est ex bonis recuperandis, non potest se ingerere, verum exspectet triumphum Actoris, tunc agat ad implementum, D. 9. pag. 24. oppositione contra Actorem facta, etiam Ingerenti oppositum est, D. 5: 154.

§. 819. Fiscus, vel privatus, qui jus regium sibi collatum prætendit, potest in causas privatorum ex jure promotas semet ingerere, pariter absque bonificatione expensarum (nisi in litem per condivisionalem Notorii ad revindicanda ab extraneis bona indivisa motam facta sit ingessio) quia non est penes actorem, imo contra utrumque litigantem, et infirmitate juris utriusque prodeunte, Fiscus, vel jure regio se ingerens acquiret bona, v. gr. si feminæ, post defectum vel notam masculorum, bona eos tantum concernentia quærerent. Etiam in litem contra occultatorem the-

sauri inventi per Fiscum Dom. motam ingerit se Fiscus cum refusione expensarum, et vicissim 14. Februar. 1814. Fisci Dom. Episc. Várad.

CAPUT III.

De Incatto et Evictore.

§. 820. Qualitates Incatti, §. 821. Evictoris. §. 822. Evictio legalis, naturalis et contractualis. §. 823. Evictionis legitimatio. §. 824. Evictoris citatio. §. 825. Omissa, in novo supplebitur, prout et absolutio ejus. §. 826. Si Evictor ex collusione cum Actore non compareat, §. 827. Ubi, pro quo, contra quos et quousque habet locum evictio? §. 828. Evictio in proportionalibus et metalibus. §. 829. Casus in quibus evictio non currit.

§. 820.

Incattus, seu Incausatus (a voce caussor, quæ etiam accusare significat) in pœnalibus reus, vel reus conventus vocari solitus, est persona judicialis, a qua vel contra quam aliquid coram Judice petitur. Rex non citatur, 2-dæ 59. verum Fiscus, seu Director causarum Regalium: ab eodem petitur etiam impensio de jurisdictionatis Fisci. Propter personales actus Regis nec Fiscus ejus potest citari. Defunctus sub pœna homagii ejus per successores comparentes petendi, citari æque non potest 25: 2-dæ, uti nec nobilis, vel civis potest juri statui peti; sed de his omnibus, uti etiam de pupillis illegitimæ ætatis dictum est alias, qui si

citentur, tutor petet homagium eorum. Licet autem pupillus legitimam ætatem attigerit, et Incattus esse possit, tamen si juramentum per ipsum deponi debeat, non temere potest ipsi imponi, sed maturior ætas exspectanda est. Religiosi ubi actores esse possunt, et Incatti esse debent, v. gr. in personalibus læsionibus, aut propter bona communitatis.

§. 821. Evictor est persona judicialis accessoria, per Incattum jure requisita, Dec. 2. 5. p. 25, ut illum in rei possessorio contra Actorem defendat, vel si is rem evicerit, evictionem præstet, atque in æquivalenti satisfaciat; est accessorius Incattus, et easdem qualitates debet habere, quas principalis.

§. 822. Evictio alia est legalis, quam lex imponit; v. gr. detentoribus literalium instrumentorum. — Alia naturalis, quæ omnibus onerosis contractibus naturaliter inest, licet expresse non adsumatur, nec lex imponat in specie, sic in cambio, emtione, venditione, D. 3, 5. p. 25. Nominatim, quoniam in cambio non fit alienatio, verum tantum surrogatio, non cambians tantum, verum etiam qui ab illo emerit, concambianti, velut evincendo, obnoxia bona tenet. Sic: naturaliter inest divisionibus fratrum et sororum, id-est, si unus impetatur quoad ratam divisionalem, reliqui ad evictionem citantur, et eodem processu, particula amissa Incatto per reliquos compensatur, nec eo fine ad rectificatorium processum inviantur Decis. 1. pag. 24. Verum si frater portionem suam vendat extraneo, et extraneus ille per tertium impetitus, citet pro evictione vendentem, vendens vero fratres suos, hi evictionem

præstare non tenentur, quia frater fratri causa conservationis bonorum tenetur evictione, hic id non obtinet. Inest etiam naturaliter pignoribus judicialibus Decis. 4. pag. 25. donationi vel inscriptioni mixtæ, pecuniam tenetur Fiscus donatario refundere, si bona ob infirmitatem juris amittat, licet non assumserit evictionem, si vero assumsit, et donatio sonat etiam quoad cessionarios, et legatarios, etiam illos tenebitur evincere Decis. Cur. 14: pag. 27. nisi expresse evictio ad impetratricem familiam sit restricta. — Si jus desumendi debiti cedatur titulo oneroso, quoad realitatem debiti naturaliter currit evictio, non semper vero quoad exigibilitatem, idest quoad fundum solutionis nisi assumta sit, nam incautus cessionarius, eodem momento factus est creditor. Datur etiam contractualis evictio quæ nec ex lege, nec ex natura rei intelligitur, nisi expresse assumatur, v. gr. in gratuitis.

§. 825. Incatto ad evictorem provocante, et pro illo evocando respirium petiente, potest Actor exigere fundamentum evictionis; quia illius interest scire, nonne tantum moræ nectendæ causa ad evictionem provocetur D. g. 11, 15. p. 26. Qui licet non recuset evictionem: tamen evictionales, vi quarum illa tenetur, Incatto sunt applicandæ, ut appareat, quod illum ipsum teneatur evincere; secus, etiam violenti occupatores possent provocare illum, qui priorem possessorem evincere debebat et possent Incattus et prætensus evictor conspirare, ut eo diutius causam trahere possint.

§. 824. Evictor debet ad litem citari, licet Actor summam evictionalem offerat, secus A. et I.

v. gr. pignoratarius, defraudare possent proprietarium. Ubi plures sunt Incatti, et unus illorum alteri evictione tenetur, per eundem citari debet, licet jam in lite stet, quia non est citatus respectu illius, D. 2: 25. nisi sponte, absque ulteriori citatione, assumat evincendi defensam. Eadem est ratio si I. evictori bona remittat, hic iterum citari debebit, licet jam in lite steterit, D. 7. p. 2.

§. 825. Si Incattus evictorem in fundamentali processu evocare negligat, (prout nec potest, post finalem sententiam et exhaustas Prohibitas, 23. Jun. Bay) novisare debet contra Actorem triumphantem D. 10. p. 18. et extra Dominium ad evictorem provocare potest, 55: 1659. Dec. 16. p. 27. qui tamen fructus ab executione per triumphantem perceptos illi non restituet, ab evictione vero absolutus novo convenietur. Si Incattus ad terminum sibi præfixum vi 18. 2-dæ. citat suos evictores, non comparet, evictores comparent, Incattus ex contumacia convincitur, evictores ab onere evictionis ex paribus absolvuntur, Incattus vero, ut supra dictum est, contra Actorem, et evictores suos novisare debet; hi superevictores suos provocare possunt, non item Actor novisatus Evictorem D. 4. p. 19.

§. 826. Si Evictor, ex collusione v. gr. cum Actore non compareat, et petente Incatto in casum triumphi actorei in contumacia convincatur, Actor plene probet, I. convinci et ad evictorem convictum relegari debet; secus, idest, si A. plene non probet, I. in eo casu absolvi, non vero (prout fieri observavi) per non defendit, aut qualitercunque convinci debet; eum enim, per provocationem ad Evictorem jus Actoris agnovisse, vel

defensæ, etiam in casum istum, si Evictor non comparuerit, vel ab onere evictionis absolutus fuerit, renunciasse, consequenter, etiam Actore non probante, instar se defendere nolentis vel nequeuntis, haberi debere, adeoque, antequam A. plene probet, ad Evictorem provocare periculosum esse, perperam dicitur.

§. 827. Evictor in merito tantum, et ei affini actoratus quæstione debet Incattum defendere, non in exceptivis, et nonnisi, ubi quæstio infirmitatis juris translati subversatur, non ergo v. gr. cum Incattus propter suam culpam impetitur, D. 12. p. 26. porro: evictio tantum contra legitimum impetitorem habet locum, non ergo contra violentum ejectorem, quia potest ejectus violentiali, vel repositionali processu, aut via facti intra annum, (licet suo periculo) uti. — Si quis vitiosam translationem faciat, v. gr. portiones fratrum suorum vendat, quoad summam tenetur evincere, idest, non in natura, et non quoad bonorum substantiam, secus factum illicitum alio facto cumularet, D. 15. p. 27. Sic oppignorans, tantum quoad summam per ipsum levatam tenetur evincere, non quoad substantiam bonorum, quia inter extraneos indemnitatem solam, inter fratres vero conservationem in possessorio importat evictio, idest, juribus possessionariis debet bonificari, quod amittitur. Præterea, investitiones quoque semper refundendæ si illas Incattus amisit, nec non expensæ, D. 6. p. 25. si vero Actor non triumphet, non debet Evictor expensas Incatti refundere, quia Actor non fuit legitimus impetitor, atqui tantum contra illum currit evictio.

Successores evictoris tenentur ad vires suc-

cessionis evictione, ut et cessionarii et legatarii illius D. 10. p. 26. adeoque et Fiscus.

§. 828. Si per processum metalem aut proportionalem decedat aliquid emtori, et bonum cum justis suis beneficiis, appertinentiis, metis, in genere sit venditum, non tenetur venditor evictione, quia id quod decessit, non pertinebat eo. S vero determinata sunt in specie beneficia, et illorum quantitas aut metæ, et aliquid postea processu amittatur, evictio locum habet 76: 1-mæ.

§. 829. Evictio a pœna personali delictorum non excusat, D. 12: 26. ast propter realia ejus onera datur ad Evictorem regressus, nec in transactionibus currit, nisi expresse assumatur, vel alia bona sint data, non pars Actionalium. Æque non currit in gratuitis, nisi quis rem alienam scienter donaverit ignoranti, is quoad sumtus in rem factos evictione tenetur, quia est causa damni; imo nec in onerosis contractibus, si expresse renunciaverit emtor, aut non est obligata, et præterea, vel literalia data sunt cum bonis, (D. 1802. Jan. in causa Sándor) vel emtor scivit rem alienam esse, quod venditor ignoravit, tunc emtor censetur pecuniam suam donasse, ergo illam repetere non potest. Quod quidem et tunc verum est, si uterque mala fide egerint, idest, et emtor et venditor sciverint rem esse alienam; cum tamen favorabilior debeat esse conditio illius, qui de damno vitando agit, v. gr. emtoris, quam qui de lucro captando, v. gr. venditoris, (qui alioquin si oneroso titulo possedit, habet regressum ad tertium, si gratuito, nullum damnum sentit) venditor debet pecuniam emtori restituere. Nec valet dicere, emtorem veluti propriam turpitudinem

allegantem non debere audiri; quia hoc verum est, si ex turpitudine sua lucrum captet, non item cum damnum vult vitare. Si vero emtor versatus est in ignorantia, ut primum rescit rem esse alienam, potest agere ad restitutionem pretii.

Evictionalis processus est accessorius, idest, ad processum, quo Incattus impetitur, penes libellum evictionalem in 74, 75, 76: 1-mæ fundatum (æque ita, ut Incatti principales solent) citatur evictor per idem Judicium, et convincitur; si fundus non adsit, persona illius adjudicatur, et comprehensus evincendo adsignatur, si id petit Incattus in libello suo.

CAPUT IV.

De Plenipotentiario et Procuratore.

§. 830. Quis et qualem constituit Plenipotentiarium? §. 831. Intra fines mandati valide acturum, §. 832. Etiamsi negligenter et imperite, non tamen, si dolose. §. 833. Constitutio Plenipotentiarii intra Regnum. §. 834. Verbalis coram Judice causæ ejus, pro qua Plenipotentiarius constituitur. §. 835. Scripta, seu literalia, in testimonium scriptum redigenda, coram locis vel personis publicis, cum expresso nomine plenipotentiarii. §. 836. Communitatum et civium. §. 837. Extra Regnum. §. 838. Requisita constitutionis scriptæ. 839. Quomodo cessat Plenipotentia?

§. 830.

Plenipotentiarium constituit qui id ipse posset agere, quod plenipotentiario agendi facultatem dat. Verum plenipotentiarius non necessario is debet esse, qui in propriis negotiis idem posset agere, quod ipsi mandatur.

§. 831. Plenipotentiarius legitime constitutus valide potest agere ad quæ plenipotentia extensa est, v. gr. si ad universalia negotia sit extensa cum absoluta potestate, potest tam œconomica, quam juridica agere, emere, vendere, Dec. 10. p. 100. Officiales absolvere, non obligatur rationes dare, (ut nec Officialis per ipsum absolutus D. p. 205.) nisi se in perceptiones et erogationes immiserit, quod ad officium ejus non pertinuisset, sed tamen neque in illo casu judicatur in Sede dominali D. 5: 12. 4: 22. Potest Procuratorem constituere, active et passive litigare, causas deponere, Procuratorem revocare, transigere. Si vero tantum ad extrajudicialia est extensa Plenipotentia, non potest se ad res juridicas et litigiosas immittere, uti neque judicialis, seu ad res judiciales factus Plenipotentiarius ad res œconomicas et extrajudiciales.

§. 832. Quæ intra fines mandati agit plenipotentiarius, debet Dominus illis stare, etiamsi incuria et negligentia sua damnum dederit, quia contra factum proprium nemo potest agere, atqui plenipotentiarius repræsentat Mandantem. Si vero dolose agat, potest ad invalidationem facti illius agi, quia mandati fines transgressus est plenipotentiarius, et Dominus in fraudem et dolum non consensit, licet nec quemvis leviusculum esto

præjudiciosum actum possit invalidare. Si plenipotentiarius non versabatur in dolo, verum ipse est deceptus, id observandum, quod circa factum proprium ex dolo, fraude ac circumventione alias diximus.

§. 853. Constitutio Plenipotentiarii aliter fit intra Regnum, aliter extra Regnum. Intra Regnum constituens semper personaliter adesse debet coram illo loco vel persona, coram qua constituit; et vivæ vocis ministerio, vel si mutus sit, scripto, aut aliis signis declarare debet præsens, se determinatam aliquam personam in Plenipotentiarium suum velle constituere.

§. 854. Si constitutio facta fuerit coram causæ Judice, vocatur (vulgo) verbalis, quia illam non est necesse in scriptum redigere, et restricta est tantum ad illum Judicem, et ad causam coram illo tractandam, duratque quamdiu illa duraverit; nisi vel constituens, vel constitutus moriatur, aut plenipotentia vel coram eodem Judice, æque tantum verbaliter, idest, absque expeditione, vel coram aliquo loco authentico, aut personis ad id auctoritate pollentibus revocetur, et revocatio scripto per locum credibilem expedita Judici ostendatur.

§. 855. Si vero constitutio sit coram Judicibus Regni ordinariis, idest, Rege, Palatino, Judice Curiæ, (vel illorum vicesgerentibus, idest, Vice-Palatino, vel Vice-Judice Curiæ et Protonotariis) Personali præsentiæ Regiæ Locumtenente, licet extra Regnum, vel coram Capitulo, Conventu, vel coram exmissis Conventualibus, Capitularibus, aut coram Universitate Comitatus, vel coram Vice-Comite solo, 28: 1765. aut Judice Nobilium eum

Jurassore, ubicunque (cum sit jurisdictio voluntaria, et non contentiosa) facta in forma testimonialium literarum debet expediri, et vocatur vulgo literalis constitutio. Vice-Judex Curiæ, et Vice-Palatinus, nec non Protonotarii Personalitii cum sigillum non habeant, debent referre suis Principalibus. Protonotarii Palatini et Judicis Curiæ possunt sub nomine et sigillo Principalium suorum expedire, exmissi Capitulares et Conventuales debent referre Capitulo vel Conventui, et recognosci debet in expeditione illos exmissos fuisse et retulisse. Vice-Comes, vel Judex Nobilium cum Jurassore æque debent Universitati, in Congregatione, aut Sede judiciaria referre et ita expedietur.

§. 836. Capitula et Conventus sigillis authenticis utentes, sub sigillis propriis constituunt plenipotentiarium; verum coram alio loco credibili vel persona, per exmissos, debent revocare, 41: 1723. et inde testimoniales extrahere. Idem valere videtur de Judicibus Regni ordinariis ex 2dæ. 15. §. 8.

Cives liberarum regiarumque Civitatum, aut etiam Oppidorum privilegiatorum, pro negotiis coram Magistratu suo tractari solitis ibidem, id-est, coram Magistratu, vel coram Judice faciunt et revocant plenipotentiarium.

Communitates autem, v. gr. Civitates liberæ Regiæque, et aliæ, æque publico Senatusconsulto et determinatione, sub sigillo civitatis expedienda constituunt eos, qui ipsarum negotia curent, aut pro illis intra limites mandati agant, quod quidem magis credentionales quam plenipotentiam sapit.

§. 837. Extra Regnum Plenipotentiaria Consti-

tutio super negotiis in Hungaria gerendis semper est literatoria, et

1) Potest fieri coram Cancellaria Hungarica Viennæ, et sub nomine suæ Majestatis expedietur.

2) Si in loco illo nulla ex superius dictis personis deprehendatur, coram quibus in Regno constitui posse diximus, sub scriptura et sigillo propriis potest quis Plenipotentiarium constituere, quam in Provinciis quidem Suæ Majestatis hæreditariis, ad supremum illius Provinciæ Tribunal aut Dicasterium, in aliis vero, ad Legatum Austriacum ibi existentem aut residentem, si vero miles sit, ad superioritatem suam debet deferre, ut Tribunal illud vel Legatus aut Residens, vel vero Legionis Praefectus sigillum imprimat, et recognoscat, praesente constituente, et ad petitionem illius esse sigillo munitam. Si scriptura et sigillum constituentis esse in judicio negetur, illius esse probari jubet 24: 1729. verum vix de eo dubitari poterit, si sigillum fidedigni loci impressum, et recognitio illius adsit, nisi hæc quoque falsi arguantur.

§. 858. Omnis literatoria Constitutio Plenipotentiarii seu intra, seu extra Regnum celebrata debet ita comparata esse, ut clare exprimat, an sit generalis, idest, vel pro omnibus negotiis in universum, vel tantum judiciariis, aut tantum extrajudiciariis. An sit specialis, idest, pro determinato negotio. Præterea requiritur id omne, quod in aliis documentis literariis, v. gr. ut absit rasio, cancellatio, præcipue circa nomina, et in aliis substantialibus, ut adsit datum etc. Debet inseri, ratum et acceptum habitum iri id omne, quod Plenipotentiarius egerit in negotiis sibi mandatis.

§. 839. In genere cessat Plenipotentia: 1) morte naturali plenipotentiarii, vel morte ejus civili, v. gr. infamia.

2) Morte principalis, seu mandantis.

3) Per revocationem, sive sit cum clausula: usque revocationem, sive absque illa, quæ semper subintelligitur.

4) Specialis plenipotentia cessat cessante negotio.

5) Generalis jure quidem scripto durat usque annum; ast hodie fere usus est, ut usque revocationem duret, si absque clausula restrictiva facta est.

6) Usque reditum data plenipotentia (v. gr. per illos, qui absunt a patria) cessat per reditum, qui debet notificari plenipotentiario. Revocatio plenipotentiarii ita fit ut constitutio, et coram iis locis vel personis. Per eam ita cessat plenipotentia, si tam plenipotentiario revocato, quam illis cum quibus plenipotentiarius agendum habet, et jam tractare incepit, insinuetur, quod quidem 35: 1725. et 24: 1729. nonnisi de plenipotentiis extra Regnum existentium dicit, verum ex identitate rationis, ne cum plenipotentiario contrahentes revocatione eludantur, etiam ad alias extenditur.

§. 840. Procurator quis, et per quem constituitur? §. 841. Alias si egerit punitur. §. 842. Obligationes et jura Procuratorum. §. 843. Constitutio verbalis, coram Judice causæ ejus, pro qua Procurator constituitur, cum declaratione nominis Procuratoris. §. 844. Secus ac in literali, coram locis vel personis publicis peragen-

da, et in scriptum testimonium redigendâ. — §. 845. Extensio et duratio utriusque. §. 846. Quæ loca et quæ personæ constituunt sub propriis sigillis Plenipotentiarium, et respective Procuratorem? §. 847. Requisita constitutionis literatoriæ et clausulæ ejus §. 848. De Procuratoribus, per communitatem, cives et colonos constituendis. §. 849. An Fiscales Dominorum Procuratores constitutione opus habeant. §. 850. De Plenipotentiariorum, Procuratorum, et aliorum quorundam officialium impetrationibus.

§. 840.

Procurator eo differt a plenipotentiario, quod tantum quoad juridica fiat, nec ad illa cum tanta facultate ac plenipotentiarius, et quod publica auctoritate approbatus, et juramento adstrictus esse debeat. Is potest autem procuratorem constituere, qui ipse capax est agendi, in judicio sive active, sive passive standi: secus tutor constituet, et litigabit.

§. 841. Si Procurator absque Mandato aliena negotia gesserit, Emenda lingvæ afficitur. Si Actori adstiterit absque Mandato, Incattus absolvitur, præterea Actor in expensis Incatti, judicio item Regali 6 marcas gravis ponderis faciente 2-dæ, 86. convincitur, ac si causam non levasset, D. 5: p. 52. Incattus vero, cui nefors Procurator absque constitutione procuratoria adstitit, ac si non comparuisset. Si vero neuter Procurator potest Mandatum legitimare, terminus evanescit.

§. 842. Procuratores tenentur causam susceptam bona fide agere; non licet ipsis, in causa, quam egerunt, Judices esse, 2-dæ 22. vel de quot-

ta litis, seu de palmario aliquo, idest extraordinario præmio in casum victoriæ pacisci, 58: 1725. verum de moderato possunt, licet Judici incumbat mercedem Advocati, habita dexteritatis et laboris insumti ratione, conscientiose limitare, eodem 58: 1725. Possunt causas deponere, principales suos utiliter, et in eorum commodum, ad vires 200 fl. obligare, loco illorum transigere, vendere, oppignorare, 2-dæ, 81. quod quidem tam late, nonnisi de ordinariis Fiscalibus Procuratoribus intelligendum, de aliis vero, nonnisi quoad causam substratam, et fidei ipsorum commissam, si e re fuerit, et periculum in mora sit, dum principalis consulatur. Si Procurator legitimus aliquod birsagium incurrat in processu, executio in bonis Principalis peragitur, qui ad suum procuratorem regressum non habet Matth. 6: 69. quia ipse est in causa, quod talem sibi Procuratorem elegerit; verum si scommaticas et injuriosas ejus allegationes voluit principalis expungi facere vel revocare, et Procurator id fieri non admisit, Procurator luit.

§. 845. Constitutio procuratoria, quæ fit coram judice causæ, inservit illi uni, vel pluribus quidem, sed coram illo tantum judice movendis causis; vocatur verbalis, seu, ut olim scribebatur, cum nostris (Judicum testimoniis) durat, donec causa terminetur, vel coram eodem Judice alter constituatur; quamvis, vulgo, in qua causa, licet verbalis tantum constitutio intercessit, in eadem, alter Procurator etiam admittatur absque ulteriore constitutione, si prior moriatur, aut agere recuset, vel discedat ex illo loco; id quod non rite fit, si constitutio tantum verbalis est,

idest, ex loco authentico non est expedita; hic abusus habet suum fundamentum in alio abusu, quod scilicet verbalis constitutio soleat in nonnullis locis in genere fieri, quin persona Procuratoris et nomen determinetur; quod quidem ineptum est; quia non sciet Judex, an Procurator qui agere vult, sit revera mandatarius illius, qui coram ipso Procuratorem verbaliter constituit, sed nomen illius non expressit; ergo tantumdem est, ac si nulla intercessisset constitutio.

§. 844. Aliter est in constitutione literatoria, quia, licet illi nomen Mandatarii non sit insertum; tamen, si quis literas procuratorias e loco authentico emanatas ostenderit, plena Judici fides fit eum esse requisitum. Meminit quidem 35: 1725. Procuratoriæ constitutionis generaliter emanatæ; ast illa generalitas non ad personas Procuratorum, verum ad causas constituentis omnes, et coram quocunque foro movendas vel motas referenda est, et tantum in literatoria seu in formulam scripti testimonii redacta constitutione potest locum habere, vel eo ipso, quod lex dicat: emanatæ.

§. 845. Constitutio Procuratoria literatorie tam intra, quam extra Regnum ita fit, uti de Plenipotentiario diximus; estque vel generalis, idest, pro omnibus causis, et quoad illos qui in Regno manent, durat intra annum a dato testimonialium, 54: 1574. 35, 56: 1725. D. 3. p. 57. vel specialis, quæ durat, donec causa illa specifica duret, ob quam facta est. Hinc, semper præstat specificare causas, etiamsi plures sint, quam in genere constituere Procuratorem, eo magis si unica sit tantum. Si usque reditum constitua-

tur per eum, qui peregre proficiscitur, etiam generalis usque reditum durabit. Usque revocationem Procurator non constituitur; ut ergo Procurator, si ita visum fuerit, desinat, alteri committitur res agenda, a priori repetita constitutio illi datur; si vero verbalis tantum fuerit prior constitutio (secundum nostram sententiam, qui negamus verbalem constitutionem in genere quoad omnes Advocatos fieri posse) alius deberet coram eodem Judice constitui.

§. 846. Capitula et Conventus, Judices item Regni ordinarii, sigillis authenticis provisi, prout alias fassiones, ita etiam procuratoriam, in suis negotiis, sub illis expediunt, 2-dæ, 15. 41: 1723. — Archi et Episcopi actuales, idest, Diœcesani, nec non, (ex usu) Regni Barones, et pauci quidam perpetui Comites (v. gr. Comes Illésházi ut audivi) sub suis privatis sigillis.

§. 847. Diversitas scriptæ constitutionis an generalis, vel specialis sit; declarari, clausula: et alios juramento adstrictos præsentium ostensores, inseri debet, sine qua, nec vi literatoriæ constitutionis poterit Procurator allegare, cujus nomen non est insertum 1725: 56. Inseritur etiam ratum, gratum etc. fore, quod Procurator egerit, tamen potest revocari, ut alias videbimus.

§. 848. Civitates et aliæ Communitates, per Judicem, qui citatus est, constituunt Procuratorem coram iisdem locis vel personis quibus privati. — Cives in negotiis suis civilibus coram Senatu vel Judice; coram Sede dominali litigantes vero, coram eadem, vel solo Præside, aut testimonio articulari, Sedi dominali relaturis.

§. 849. Dominorum Fiscales Procuratores, qui ad notorietatem publicam eo officio funguntur, solent passim in partibus, absque ulla constitutione ad agendum pro Principalibus suis admitti, etiam initio officii, si constet, Principales eorum ordinarie Fiscales alere solere. Consultius est illos pro toto officii tempore, vel pro aliquo dominio literatorie constituere D. 5. p. 37.

§. 850. Procuratores et Plenipotentiarii, impetrationes, jura Principalium suorum tangentes, facere prohibentur. Eadem est ratio Secretariorum Regis, per quorum manus recurrentium Libelli transire solent. Nec Notarii Capitulares vel Conventuales sunt capaces impetrationum, 56: 1609. 32: 1655. quæ applicari possunt etiam ad tutores et curatores, quoad bona pupillorum, salva tamen quoad omnes hos jurata purgatione, quod, non ex literis ex officio tractatis, infirmitas juris illis innotuerit, D. 50, 51. p. 73.

II) DE ACTIBUS AD JUDICIUM SPECTANTIBUS.

CAPUT V.

De Admonitione et Processu in genere.

§. 851. Admonitio cum suis speciebus, §. 852. Et effectibus. §. 853. Judicialis quotuplex, et quomodo peragitur? §. 854. Processuum varietas. Inter et contra nobiles solennis, adeoque scriptus habet locum.

§. 851.

Admonitio est actus, quo quis alterum ad aliquid faciendum, omittendum vel restituendum

adurget. Inhibitio itaque et Repetitio species ejus sunt. Amica fit inter privatos, judicialis medio personæ publica jurisdictione fungentis, intra ambitum loci, in quo jurisdictionem et activitatem habet, v. gr. Judices Nobilium et Jurassores in Comitatu suo, Jurati Tabulæ Regiæ ubique in toto Regno et quoad omnes causas; Cancellistæ Civitatum intra ambitum Civitatis, et in negotiis civili Jurisdictioni subjectis; quoad negotia Sedi dominali subjecta admonitio ignobilium potest fieri medio Jurati hominis dominalis, vel Juratorum possessionis aut Oppidi. Quoad causas Magistratui Oppidorum privilegiatorum subjacentes medio lictoris vel servi publici, semper tamen penes commissionem vel exmissionem, aut mandatum Superioris.

§. 852. Amica admonitio nullum effectum civilem producit, D. 11. p. 55. præterquam ut dictum, in debitis 57: 1729. Judicialis vero tollit præscriptionem et bonam fidem, nonnunquam actioni (alias locum non habituræ) viam sternit; potest id efficere, ut admonitus fructus non faciat suos, imo etiam pœnam post se trahere, uti vidimus sparsim. Non paruisse admonitioni potest esse pœnale, non item nihil respondisse, quod (nisi plena capacitatio admoneri curantis sperari possit) præstat in regula, præterquam scilicet, quod nonnunquam præsumtione, aut semiplena proba gravati, vel de facto quopiam, an illud sibi imputari velit? interrogati taciturnitas pro confessione habeatur, nisi reclamet.

§. 853. Judicialis admonitio vel est scripta vel verbalis, verum etiam verbaliter peracta in formam testimonialium literarum debet redigi per

admonentem una cum responso admoniti, quod 15 diebus exspectari debet in regula, ita ut tardior responsio vel etiam paritio, sequelas admonitionis, v. gr. pœnam, sicubi illa alias locum haberet, non tollat. Judicialis scripta admonitio fit vel personaliter, cum admonitoria ipsi admonito admanuatur, vel de domo: cum in domo illius relinquitur, si scilicet semel iterumque domi non deprehendatur, nec jurisdictionatus illius ullus sit, vel reperiatur, si vero domus quoque clausa sit, potest affigi januæ ipsius coram testibus publicis 1807: 8. §. 4. Fit adhuc de bonis, alicui scilicet jurisdictionato admoniti traduntur admonitoriæ literæ, et per illum admonito transmittuntur. Nomen jurisdictionati inseri debet testimonialibus super peracta admonitione dandis; quoad alias admonitiones vero scriptas specificari debet in testimonialibus, an personaliter, vel de domo, et coram quibus factæ fuerint. Si de bonis peragatur, aut plane in Congregatione (v. gr. occasione venditionis bonorum) et admonitus remote habitet, quindeni dies non sufficiunt eo fine, ut judiciales effectus admonitionis producantur, 70: 1659.

§. 854. Processus (ad quem Partes satisfactione non subsecuta descendunt) est series et cursus actuum judicialium. Est vel civilis, vel criminalis, vel fundamentalis, vel secundarius et accidentalis. Porro: vel summarius, in quo formalia non observantur, verum tantum substantialia et essentialia, (idest, ut citetur quis et audiatur) ut est compromissionalis, ubi nonnisi de merito causæ quæritur; tandem subditorum coram dominis mota, vel dominorum contra

subditos. Idem modus observatur etiam utiliter in Oppidis, imo et aliquibus Civitatibus, nam Res. Reg. de dato 6-tæ Julii 1814. majoris momenti causas civium summarie tractari vetans, de merito tantum earum intelligi debere, non item exceptiones quoque meritum non afficientes admittendi necessitatem imponere velle videtur. Vel solennis, in quo omnes solennitates et formalitates lege præscriptæ observantur, v. gr. terminus 15, aut plurium dierum, Levata, Proclamata etc. Est denique processus vel verbalis, vel scriptus. Verbalis est semper summarius, in forma Protocolli scribit Notarius vel Actuarius Sedis allegata partium verbis prolata. Scriptus potest esse vel summarius vel solennis. Summarius si neglectis formalibus meritoria allegata scripto exhibentur Judici, hoc fit ut plurimum libellatice. Solennis vero, ut supra diximus, et jam uberius dicemus, qui inter et contra nobiles debet necessario adhiberi, nisi aliter placuerit Incatto, quod cum non præsumatur, vere debet declarari, id quod vel expresse, vel tacite, (neglectam scilicet formam dissimulando) fieri potest.

CAPUT VI.

De Actibus judiciariis, qui ad inchoationem processus pertinent.

§. 855. Actio proprie et improprie, seu Libellus actionalis. §. 856. Ejus requisita. §. 857. Lex non necessario debet in ea citari. §. 858. Variæ ejus formæ.

§. 853.

Primo: Actio, apud nos, in sensu proprio, ipsam acquisitionem et prætensionem Actoris, quoad intrinsecam illius indolem et meritum significat; hoc sensu solet dici, quod v. gr. habeat quis actionem ad pœnam violentiæ, ad invalidationem, damni etc. aut quod sit locus Actioni fiscali, vel non sit. Hoc sensu diximus alias, actionem aliam esse realem, aliam personalem, aliam mixtam. Actio hoc sensu sumta non est idem, vel cum titulo suo, instituto, vel cum activitate seu capacitate litigandi, idest, actoratu personali, vel cum actoratu reali, idest, jure ad rem, et jure in re, vel cum improprie tantum ita vocata Actione, scriptura scilicet illa, in quam prætensio redigitur, et cujus vehiculo Judici præsentatur, idest, libello actionali, de quo jam agemus.

§. 856. Actio non debet esse cumulata, verum singillativa, idest, diversæ prætensiones, non connexæ, in unum libellum glomerari non debent, D. 9: p. 14. nisi a.) ejusdem fori D. 3: 85. et instituti sint: b.) ad eundem finem tendant. c) prætensiones compatibiles sint, ut altera alteri natura sua non opponatur. Sic potest quis ex jure, vel ad dandam contradictionis rationem, vel ad obtinendam successionem principaliter, et accessorie ad remotionem obstaculorum acquisitioni officientium agere, uti vidimus sparsim, vel ad invalidationem conditionum pignoris, et reluitionem, D. 57: p. 118. ad invalidationem ex præjudicio et non facta præmonitione, D. 2: p. 85. si scilicet, et antenatornm et condivisionalium fassiones sub-

versentur, vel is, qui non præmonitus est, fatentis deficientis successor factus est, D. 8: p. 50. Sic: potest quis etiam contra diversos Incattos, ratione æque diversarum ratarum, partim ad reluitionem pignorum, partim ad invalidationem fassionum nefors illis superinductarum, partim ad invalidationem vel transvestitionem conditionum agere, si allegative actio contra quemlibet ad suam speciem reducatur, D. 5: p. 6. 9, 10: p. 7. 2, 5: p. 85.

Nomina personarum in actione memoratarum rite debent specificari cum characteribus distinctivis, si qui sint, sic: si qualitati alicui innitatur actio, debet addi v. gr. qua tamen tutor, curator, provisor etc. vel si duplicem personam gerat in lite, idest privato, et aliorum nomine stet, sic: qua etiam fratris natu majoris, qua etiam tutricis etc. Nomine familiæ in genere agi non potest, verum debet Actor in specie nominari, 9-na Sept. 1815. Pázmándi.

Debet nomen, et situs loci, in quo Comitatu jaceat, rite specificari, ut et datum actionis etc. tamen observavimus, errores, qui Judicem in judicando perplexum non reddunt, calamo judiciali corrigi posse.

Debet petitio esse clara, præcisa, determinata, non alternativa vel disjunctiva, nisi ubi natura rei, vel lex postulat, sic: subsisteret actio, ut solvat I. pretium rei emtæ, vel reddat rem, cedat bona vel superinscribat, restituat pretium rei dolose venditæ, vel præstet damnum.

Denique, (ut versiculo dicitur) quis? quid? coram quo? quo jure petatur? et a quo? recte

compositus quisque libellus habet 26: 2-dæ. 30: 1725. D. 2: p. 119.

§. 857. Actio constat tribus partibus: expositione, applicatione ad legem, et petitione. — Non quidem est de essentia, ut lex in actione citetur, licet soleat citari, quia Judex debet scire legem, an ulla sit, cui actio applicari possit? tamen non semper est consultum Judici tantopere fidere; verum in memoriam ipsi debet lex revocari, saltem allegative. Si naturali ratione nitatur prætensio, etiamsi nulla exstet lex, debet actio stare, nec est operæ pretium, prologales, vel generales illas: suum cuique etc. provocare, D. 4: p. 156. quæ obvertitur, ideo rejecit actionem absque lege citata per Dominum terr. contra Curialistam, qui macellum usurpaverat, erectam, velut legi positivæ non innixam, quia petitioni, de qua sonat, ex rei natura non fluenti, nulla lex positiva assistebat, nam non intelligitur ex jure naturæ, non cuique licere in suo fundo carnes vendere.

§. 858. Olim penes mandata præceptoria Regis vel Judicum Regni ordinariorum movebantur processus; sed post 1725: 30. penes simplicem libellum actionalem, cujus adornandi modus, et externa forma varia est. Si plures sint evocandi ad Tabulam Regiam, præstat actionem in mandati (evocatorii) formam redigere, quod per Personalem extradatum alicui Jurato Tabulæ Regiæ per A. designando sonat, qui paria illius Incattis, unum cuique exhibebit. Si unus et alter tantum sint evocandi, porrigitur instantia actionem redolens in originali, cum totidem copiis, quot erunt citandi, quas certificatoriis suis clause confectis, idest obsigillatis, et in forma literarum missilium

Incatto inscribendis, adnectet Personalis, quæ exhiberi possunt per Juratum, per Judicem Nobilium, per Jurassorem. — Ad Tabulas Districtuales, Sedrias, Sedes dominales, Magistratus civicos et oppidanos pariter in forma instantiæ porrigitur Actio, cujus paria certificatoriis advolventur. Relate ad fora V. Comitum vel Judlium autem (cum jam non sit Comitatus exmissio ad partes necessaria) ipsæ certificatoriæ, nomine Judicis in forma literarum missilium Incatto sonantium conceptæ, continere, vel sub lecta advolutam habere debent Actionem, Judici in forma Instantiæ porrectam, quarum certificatoriarum in duobus paribus subscriptarum par exhibetur Incatto. Actio violentalis, in plerisque locis, in forma mandati vel potius commissionis Judici Nobilium, vel Jurassori sonantis in duobus paribus adornari, utrumque per Vice-Comitem subscribi, et alterutrum exhiberi solet. Sed hæc magis se mechanice ostendi et enarrari, quam breviter describi patiuntur.

§. 859. Exhibitionem parium ejus quis? §. 860. Et quomodo peragit? §. 861. Citatio hæc scripta multiplex est, §. 862. Et variæ comparitionis formæ. §. 863. Feriæ ecclesiasticæ, §. 864. Civiles ordinariæ et extraordinariæ. §. 865. Observationes speciales de feriis. 866. Terminus in citatione præfixus, §. 867. Quædam adhuc de forma ejus, §. 868. Nec non testimonialium super ea peracta. §. 869. Effectus citationis, §. 870. Si scilicet valida, et non ipso jure nulla fuerit.

§. 859.

Secundo: Citatio seu parium Actionis, locum et terminum comparitionis in se complectentium et per Judicem subscriptorum vel lectorum exhibitio debet peragi per personam ad id faciendum auctoritate publica pollentem, v. gr. Citatorias Judicis Nobilium exhibet Jurassor ejusdem Comitatus; Vice-Comitis citatorias Judlium vel Jurassor; citatorias Tabularum Districtualium et Regiæ, exhibent aut earundem Jurati, aut Judex Nobilium vel Jurassor, 1807: 8. (secus ac D. 2, et 3. p. 2. in sequelam 30: 1723. habebant). Jurati Tabulæ Regiæ cujuscunque Judicis citatorias valide exhibent; in Civitatibus vero Cancellistæ Civitatis. Sedium dominalium citatorias Juratus loci, vel æque juratus homo dominalis; si vero nobilis sit, ad Sedem dominalem citandus (v. gr. ad exæstimationem) Judex Nobilium, vel Jurassor exhibet, hinc, officiales Comitatenses, Civitatenses etc. ut testimoniales super exhibitione aut aliis functionibus dare possint, sigillum proprium constans et cognoscibile debent habere, 2: 1455. Si Judlium vel Jurassor violentiæ patratæ complex est, medio ejus nec reliqui compossessores valide citantur, nec impensio valide petitur, D. 11. p. 3. Etiam in aliis casibus difficultas oritur, si medio consangvinei actorei fiat citatio 1803. in causa Kállai.

Citatio ad Tabulam Regiam mandato mediante peracta vocatur Evocatio, utraque vero, tam citatio, quam evocatio comprehenditur sub certificatione, quæ itaque actionem vel in se continere, vel advolutam debet habere.

§. 860. Certificatio fit, ut admonitio, vel personaliter, vel de domo, vel de bonis, idest medio jurisdictionatorum, ut sunt coloni et inquilini, eorumque uxores, porro: servi et ancillæ nobilium, 1807. 8, §. 4. Valet citatio etiam medio prolium legitimæ ætatis sub patria potestate existentium, non item medio mercenariorum diurnorum, (napszámos) aut uxoris, aut Fiscalis Procuratoris, D. 4. p. 2. Exhibitis soli marito citatoriis, licet utrique conjugi inscriptis, uxor non est citata. Sic: medio Judicis, aut decurionis pagensis non possum citare eum ex compossessoribus, qui non est illius Dominus terrestris, D. 9: 5. verum medio communis circulatoris vel custodis, quemlibet possum citare ex compossessoribus, quia singulorum est servus conventionatus. Sic: Civitates, seu Judices illarum, medio servitorum communitatis, v. gr. aurigæ, custodis etc. (non medio privati Judicis servi) et vice versa. Ignobilis communitas, idest, Judex ejus personaliter debet citari.

§. 861. Alia est citatio verbalis, quæ semper est personalis, v. gr. in Diæta, aliisque processibus summariis; alia literatoria, per exhibitionem citatoriarum vel illarum transmissionem, de qua nunc statim egimus.

§. 862. Citatio est porro: alia principalis, qua mediante causa incaminatur et inchoatur, et qua quis prima vice citatur, alia reflexoria, vel ad continuationem, v. gr. vel Judex mutatus, vel Incattus est mortuus (hujus successores citari debent) vel si causa derelicta jacuit. Adnectitur etiam libellus primævus. In causis Fisci, mutato Causarum Regalium Directore non est opus nova citatione vel successoris ejus, vel Incattorum

aliorum, 1792: 16. §. 5. prout nec mortuo uno ex communitate, v. gr. Capitulo, debet successor ejus evocari, Dec. 6: pag. 50. Si aliqui compossessores, vel quocunque demum modo interessati, et ideo in lite stare debentes prius citari neglecti sunt, illorum citatio non est reflexoria, vel ad continuationem, quia hactenus in lite nec per se, nec repræsentative steterunt. Post diætalia et insurrectionalia Juristitia, absque citatione reassumuntur processus; pariter, si Actor moriatur, successores absque nova citatione possunt processum continuare, 1802: 19. Actio vero continuatoria, (sicubi necessaria est) non debet diversi tituli esse a fundamentali, D. 14. p. 18. Mediata citatio per eam judicialem personam peragitur, qui in exhibitionis loco habet activitatem, verum locus in citatione præfixus, ad quem citatus comparere debet, non est sub illius jurisdictione; secus est immediata. Ad personaliter comparendum et juri standum citatus, licet Advocato utatur, tamen etiam in persona adesse debet in loco Judicii dum illud durat; secus, in casu decreti aresti, Procuratorem ejus detineri posse putatur, et defendi potest, ex D. 22. p. 129. propter vocem: regulariter. Ad personaliter comparendum citatus potest comparere per Advocatum, sed simul se pro personaliter comparente declarare D. 4. p. 4. debet, quod item si necesse fuerit, etiam ipse aderit, v. gr. pro depositione juramenti etc. 2-dæ. 75. 1723: 52. Licet autem non ad personaliter comparendum sit quis citatus, per id tamen a depositione juramenti non liberabitur, verum novus ipsi terminus fine eo deliberative præfigetur. Qui ad comparendum

tantum est citatus, potest vel per se, vel per Advocatum comparere. Qui citatus est ut etiam suos juri statuat, debet illos etiam juri statuere, idest, pro juri statutis declarare, vel in genere, in conformitate citationis comparere. Nec sufficit si simpliciter tantum dicat, vel scribat se comparere. Ad Tabulam Regiam fit citatio nonnunquam ad extraserialiter agendum, D. 15. p. 11.

§. 863. Terminus non debet esse dies festus, aut feriatus, vel juristitialis. Feriæ divini juris dicuntur: dies Dominici, unus dies Nativitatis Domini; duo tam Paschatis, quam Pentecostes; Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, 5 dies B. V. Mariæ dicati, SS. Petri et Pauli, omnium Sanctorum, S. Stephani Protomartiris, S. Stephani Regis Hungariæ. His adjungi debent dies Rogationum, item, ex usu, festum S. Marci, propter supplicationes solemnes. Reliquis diebus festis S. Lad. 1: 58. recensitis, Judicia quidem considere, sed nec sententiæ iisdem pronuntiari, nec termini ad eosdem præfigi possunt, Res. Reg.

§. 864. Feriæ humani juris sunt: I) ordinariæ, puta: messoriales, a festo Sancti Ladislai ad festum S. Stephani; vindemiales a festo S. Michaëlis ad festum S. Martini; ultimi dies Bachanaliorum usque ad Dominicam 1-mam quadragesimæ. Ante et post tria majora festa divina feriæ sunt sic: feriæ Nativitatis Domini, a festo Thomæ usque Dominicam 1-mam post Epiphaniam; feriæ Paschales, a Dominica passionis ad Domin. 2. post Pascha; feriæ Pentecostes, per hebdomadam sacri Pentecostes, usque ad Domin. Trinitatis 29: 1725. Quatuor itaque termini, quibus generalia

Regni Judicia celebrantur, sunt: 1) Epiphanialis, usque Paschales ferias duraturus. 2) Post paschalis, inclusis Pentecostalibus feriis (usque festum S. Ladislai) quo Tabul. Septemv. non considet. 3) S. Stephani, usque Michaëlis. 4) Sancti Martini, usque Thomæ. Singulis his terminis, in Comitatibus, ad unam alteramve septimanam restringuntur causæ privatæ, nonnunquam et publicæ, quæ septimanæ vocantur Judicia fixa. II) Extraordinariæ sunt: 30 dies ante Diætam, et sub toto Diætæ tempore usque reditum Nunciorum. Tempore item Insurrectionis generalis in foris nobilitaribus, ita ut illis temporibus ne executio quidem possit contra nobilem peragi.

§. 865. Divinis feriis nec compromisso potest renunciari, prout potest humanis, quibus si quis renunciavit, non videtur extraordinaria intellexisse. In Civitatibus sub Diæta indiscriminatim omnes processus fluunt, eo magis in oppidanis foris et Sedibus dominalibus. In Comitatibus vero nonnisi causæ debiti, violentiales, repositoriæ, nec non publicæ Fisci magistratualis, et matrimoniales. Pro executione potest terminus præfigi ad ferias humani juris ordinarias, 16: 1792. quæ nec repositioni aut metationi summariæ obsistunt.

§. 866. Requiritur porro: ut terminus competens assignetur, v. gr. in eodem Comitatu, in quo locus comparitionis est, habitanti, non infra 15 dies a die exhibitionis usque diem comparitionis utrinque inclusive numerandos; remotius autem habitantibus 26: 1723. competens terminus adsignari debet (qui quidem terminus per Tab. Reg. imo et alia fora, ita observari solet, ut in vicino Comitatu habitanti non infra 30, in 5-tio non

infra 45, remotius habitanti non infra 60 dies ad comparendum dentur) 52: 1723. 23: 1613. Licet unus et alter dies desit de 60, non tamen debet Judex condescensioni subjicere citationem, verum Incatto, post comparitionem spatium pro sui præparatione, si necesse sit, potest dare.

§. 867. Debet datum citatoriarum, idest, locus, dies, mensis, annus rite se habere, 17: 2-dæ, verum tam levis error calamo judiciali corrigi, nec condescensioni causam dare debet. Exhibitio debet fieri de die, non de nocte, quia est actus solennis, potest autem fieri, ut experimur, qualicunque demum festo die. Locus exhibitionis debet quidem esse usibus profanis destinatus, non tamen sordidus, verum publico actui conveniens, non v. gr. popina.

§. 868. In testimonialibus super citatione et exhibitione peracta dandis, et vel separatæ chartæ, vel originali certificatoriarum (quarum paria exhibita sunt) inscribendis, debet rite specificari locus, tempus, modus exhibitionis, item locus, tempus datarum testimonialium. Si medio jurisdictionati peracta est exhibitio, debet nomen illius testimonialibus inseri D. 8, 9. p. 3. non item nomen citari curantis D. 10: p. 3. præstat inserere.

§. 869. Citationis effectus sunt: 1) Sapit Admonitionem.

2) Rumpit præscriptionem, etiam si causa non levetur.

3) Inducit litis pendentiam D. p. 28. adeoque jam nihil innovari potest.

4) Facit approbari personam Incatti, idest, jam contra personam illius excipi non potest, at-

que, licet secus active incapax esset, potest omnia illa facere, quæ ad defensionem cuicunque lex dat, v. gr. Actorem reconvenire, appellare, novisare etc.

5) Operatur præventionem, idest, absque calumnia, ad aliud forum, quamvis æque competens, Incattum citare non est integrum.

§. 870. Licet in citatione vitium sit: si tamen Judex, qui terminum posuit, est capax et activus in personalibus citati, Judex, licet in causa substrata incompetens: tamen debet comparere citatus, et condescensionem, vel ob citationis vitium, vel ob judicatus incompetentiam urgere; verum si incapax sit, si v. gr. nobilem Civitas extra casus alibi recensitos, idest, in quibus qua civis consideratur, citet, non debet comparere; quia non est incompetens, verum incapax et nullus Judex.

§. 871. Tempus, modus et requisita levatæ actoreæ. §. 872. Levatæ incatteæ ex paribus. §. 873. Proclamata. §. 874. Comparitionis modus et tempus. §. 875. Contumacia in genere. §. 876. Sententia contumaciæ in foris inferioribus. §. 877. Remedia ejus ibidem. §. 878. In Tabulis quando fertur, et quomodo executioni ejus occurritur? §. 879. Quid significat sententia contumaciæ? §. 880. Executio ejus, ac vis et effectus. §. 881. De contumacia in causis matrimonialibus et §. 882. Criminalibus.

§. 871.

Tertio: Levata. Adveniente termino per Judicem præfixo, A. causam suam solenni processu gerendam levare debet, idest, in scripturam red-

igere, quando, quo die, mense et anno, cujus, contra quem sit inchoatus processus, et an Actor per se causam levet, vel (quod consultius est) per procuratorem? ut et nomen Procuratoris inseri, nec non actio in origine, item testimoniales super peracta citatione advolvi, et in levata provocari, eaque scriptura Judici præsentari debet, in tabulis cum taxa levatæ, in partibus vero cum dimidia processus taxa. Si Judicium fixum est, v. gr. in Tabulis, judicii locus in levata notari non solet; in Tabula Regia tertio etiam die potest levari causa a die in citatione præfixo, quod quidem in foris Comitatensibus et Civitatensibus ipso die termini debet fieri, 1725: 52. §. 5. D. 1, 5, 6: p. 3. et 4. Levata in omnibus conformis esse debet Actioni, secus condescendet, quia actio regulat Judicem et Partes. Debent omnium Incattorum nomina inseri, qui si diversis respectibus veniant, 1-mi ordinis, 2-di ordinis etc. distingvuntur.

§. 872. Si Actor modo enarrato causam non levet, Incattus, in Tabula Regia quarta die a termino, D. 14. p. 6. in foris inferioribus vero eodem die, quo Actor debuisset levare, levat causam ex paribus ipsi exhibitis, petit se absolvi, et (prout Dec. 21. p. 42. 6. p. 52. perhibent,) cujuscunque fori sit causa, Actorem convinci in judicio regali 6 marcarum gr. p. ante executionem marca levi redimendarum, 2-dæ: 86. in una tertia Incatto cedentium, Actor Incatto absoluto, Novo non potest uti ante executionem Judicii R. nisi alter executionem differat, D. 6: 52. Fundamentum vero absolutionis ex paribus est præsumta renunciatio Actoris. Si nec Incattus levavit ex paribus, vel propter Judicis absentiam exspiravit terminus,

ita consideratur prior citatio, ac si nulla fuisset. Actor, qui per levatam contra ipsum ex paribus causam, Incattus factus est, potest comparere in foris inferioribus quidem eadem die, et levatam suam exhibere Judici, et tunc cessat pœna; in Tabula Regia vero idem beneficium habet, quod omnis Incattus, idest, si intra 15 dies compareat, et rationem det moræ, ab omni pœna absolvitur, D. 10. p. 5. Si nec intra 15 dies compareat, etiam in expensis moræ adversarii sui convincitur. — Hinc, non semper expedit causam levare ex paribus, præcipue in Tabula Regia. Si Actor serotine levet causam, et tamen Incattus compareat, non potest contra levatam serotinam excipere D. 11. p. 6. præstiterat non comparere.

§. 873. Quarto: Proclamata, vocatur actus ille judiciarius, quo Incattus præ foribus domus, in qua Judicium considet, vel saltem in domo, apertis tamen (saltem ut cuique accessus pateat) foribus, ad comparendum terna voce provocatur. In Tabula Regia, lecta per referentem in Judicio levata, fertur per Juratum ad Procuratoriam, ibique, prima, secunda, tertia die, cujus, et contra quem sit causa, proclamatur.

Licet proclamata non intercesserit, non temere tamen intermittenda est comparitio si Judex adest, verum comparendum est, et ita urgeri potest condescensio causæ ob non factam proclamatam, eo quod consvetudo et ordo Juris, licet consvetudinarii, immutari non debeat Ulad. 1: 10. 2-dæ: 6.

§. 874. Quinto: Comparitio, in solemni processu æque scripto debet fieri, scribi scilicet debet post Levatam ab Actore exhibitam, Incattum

vel per se comparere, vel per Advocatum nomine nominandum. — Etiam verbaliter facta per scripturæ ignaros, et Procuratorem nondum habentes coram Judice comparitionis declaratio sufficit, D. 4. p. 4. potest, debetque Judex Levatæ inscribere. Debet fieri in conformitate citationis, quia in jure idem est non esse, et vitiose esse. Debet fieri die præfixo ante occasum solis, quia tota dies cedit comparitioni 723: 32. imo etiam post occasum solis facta comparitio acceptari potest, quia non adest contemtus Judicii, et prætor minima non curat. Aliqui dicunt ante mediam noctem posse comparitionem fieri, cum adhuc sit civiliter dies idem; hoc certum est, quod, licet Judex procedens non acceptaret comparitionem, tamen Judex Regni ordinarius daret mandatum relaxatorio continuatorium, cum nec fuerit contemtus Judicii in Incatto, nec confessus esse præsumi possit. Si vitium est in comparitione, id Actor statim debet controvertere, antequam ad alia se immittat, plane illo eodem die, secus condonasse præsumetur. In Tab. Reg. tertia quoque die a termino præfixo potest comparitio fieri, D. 1. p. 3. 5, 10: p. 4.

§. 875. Si comparitio non est adornata, vel vitiosa est, fertur sententia contumaciæ ad petitionem Actoris.

In genere contumacia dicitur, si alteruter litigantium non faciat id, quod Judex mandat, v. gr. non venit, vel se non defendit, idest, quando quis comparuit quidem rite, sed non vult agenda agere, non deponit juramentum, vel non exhibet instrumenta etc.

§. 876. Sententia contumaciæ ex non venit, contra non comparentes, et in loco Judicii non vi-

sos 725: 52. aut vitiose comparentes, in foris inferioribus D. 2: 5. utpote: Comitatibus, Civitatibus, Sedibus Domin. privilegiatis Districtibus et Oppidis eodem die, qui in citatione præfixus est, (vel illa die, ad quam causa in Comitatibus defluens, deliberatione mediante rejecta, et per Actorem reassumta est, 55: 1729.) debet per Actorem peti, per judicem ad lucem candelæ ferri, et in pleno Judicio pronunciari, atque, in posteriori casu (si scilicet jam aliquid actum est in processu) allegatorum antea jam nefors inductorum ratio haberi, atque sententia non simpliciter in omissione comparitionis fundari, imo sententiam ex allegatis latam appellandi facultas admitti, secus potest se Incattus opponere, eo magis sententiam cassari curare.

§. 877. In foris dictis, ut jam alias innuimus, contra sententiam Contumaciæ Mandato relaxatorio-continuatorio utendum est, quod facile datur, si plausibilis aliqua ratio adsit, quominus comparitio fieri potuerit, quia tantum ille potest puniri, qui auctoritatem Judicis contemnit, et præsumtio cedere debet veritati.

§. 878. In Tabulis, Regia, Banali, Judiciaria Croatiæ, nec non Districtualibus, æque fertur sententia contumaciæ, contra debito tempore non comparentem, petente Actore, et quidem in Tabula Regia et Banali die quarta, in Tab. District. vero postridie termini, vel tardius, eodem termino, verum licet feratur, suspenditur effectus ejus usque 15 dies post diem præfixum numerandos. Si intra illos comparet, et sensu 2-dæ. 59. rationem non comparitionis adsignat, in Tabulis Districtualibus et Judiciaria Croatica, relevatur

a sententia contumaciæ, In Tabula R. vero et Banali, in causis brevis litis æque debet et potest rationem non comparitionis reddere, si dederit, expensis moræ refusis, D. 9: 5. admittitur ad defendendum. Si non dederit, vel nec intra 15 dies comparuerit, executioni datur sententia contumaciæ, una cum expensis moræ nova deliberatione limitandis. Verum si plures sint Incatti indivisi, aut commune jus foventes, tunc executioni subjicietur contumax, ubi processus contra comparentes terminatus fuerit, Dec. 12. pag. 54. In causis longæ litis si intra 15 dies compareat, etiamsi non dederit rationem, tardioris comparitionis expensis moræ statim limitandis, ast vi D. 9, 15: p. 5. post finalem causæ decisionem refundendis, admittitur ad agendum. Si vero det rationem, nec expensas debet refundere. Comparitio post 15 dies, ob nullas, licet justissimas rationes acceptatur, nec ulla remedia juridica adhiberi permittuntur, nisi Novum extra Dominium 52: 1725. 58: 1729. Ante latam sententiam contumaciae, licet illa per actorem petita sit, semper potest comparitio fieri, cum refusione expensarum morae, quin ratio debeat dari serotinae comparitionis, si detur, expensae morae non refunduntur, Dec. 7. p. 4. Incattus non ad personaliter comparendum citatus, non id debet probare, quod personaliter non potuerit venire, verum quod Procuratorem non potuerit constituere D. 5. p. 4.

§. 879. Sententia contumaciae, per non venit, Incattus, in acquisitione Actoris convincitur, idest, in tota praetensione illius, 52: 1725. quatenus tale quid petit Actor, quod ex facti realitate penderet, et ex probis externis prodiret, an ip-

si competat vel non? quia in facti quæstione non debet Judex supplere partes, quia non potest esse Judex simul et opponens; verum, quæ ex ipsa lege, citra defensionem Incatti, Actori non competere palam est, non debet adjudicare, D. 14. p. 15. v. gr. si Actor expensarum refusionem petiit in actione, et lex non adjudicat illas, nec Judex debet adjudicare, potest tamen, nisi illicita petantur, quæ, non præter, verum contra legem sunt. Fundamentum vero sententiæ ex contumacia latæ, est, non tam contemtus judiciariæ auctoritatis, quam præsumta confessio Incatti, quæ tamen admittit probam in contrarium.

§. 880. In causa ex paribus intra Dominium appellanda, sententia contumaciæ Sedi Judiciariæ vel Congregationi referetur, et penes exmissionem ad instantiam triumphantis resolutam, executioni dabitur; secus lœsus erit oppositioni. Executio vero etiam tunc debet insinuari convicto, secus etiam oppositio habebit locum. Si hæc omnia observata sunt, nec appellata (quia ex propria confessione lata est sententia; D. 8. p. 40.) nec oppositio currit contra sententiam contumaciæ, nè in illo quidem casu, si quis fundati quid potuisset circa formalia controvertere, quod causæ condescensioni locum dare debuisset, quia hoc post comparitionem debuisset facere, cum per Judicem talem citatus est, qui citandi capax fuit, licet fors incompetens; ergo renunciavit, secus esset, si in exteris oris, reipublicæ causa absenti, valde brevis terminus esset positus. D. 13. p. 155.

§. 881. In sedibus spiritualibus non temere fertur sententia contumaciæ, verum Incatto plures termini præfiguntur, demum, cum prævio an-

nutu Regio Lud. I-mi art. 1-mo, Matth. 6: 28. excommunicatur, aut ad præces Episcopi, vel ante vel post excommunicationem, per Regem comprehendi jubetur, fundamento 41: 1559. Apud Evangelicos divortiali actione conventus et non comparens, fiscali Actioni ad arestum dirigendæ (ob scandalum, quod nec cohabitare, nec matrimonium solvi velit) subjicitur, et denuo, vel ex aresto, vel (si capi non potuit) edictaliter citatur, si captus vel profugus non compareat, matrimonium ex capite derelictionis malitiosæ solvitur.

§. 882. In criminalibus ad pœnam mortis tendentibus, (si nefors manifestorum atrociumque criminum reos in effigie plectendos exceperis) mortis sententia non fertur ex contumacia, verum reus non comparens capitur, fugiens publicatur, ut per quemcunque possit capi, ita comprehensi causa pertractatur. In aliis ad pœnam tantum corporis afflictivam tendentibus, ex probis per Fiscum magistratualem productis, fertur sententia, et Incattus comprehenditur, atque si captus eas enervare non possit, pœnæ subjicitur.

CAPUT VII.

De Actibus depulsoriis et remoratoriis.

§. 883. Exceptiones in genere, et in specie. §. 884. Peremtoriæ, §. 885. Condescensoriæ, §. 886. Ab his in regula non datur appellata, §. 887. Earum ponendarum ordo, tempus et numerus. §. 888. Nominatim contra judicem vel Judicatum, idest, personam vel officium Judicis, §. 889. Contra Actionem, hæc potest dirigi

vel mere ad condescensionem, vel contra meritum causæ. §. 890. Contra citationem vel levatam, §. 891. Contra titulum actionis seu Institutum, §. 892. Contra actoratum personalem vel realem.

§. 883.

Hic notanda sunt: Primo, exceptiva. Quidquid respondet Incattus, in genere dicitur exceptio. Verum stricte, ita vocatur illa responsio, qua Incattus Actorem a se amoliri nititur, quin id quæratur, an prætensio re ipsa fundata sit, vel non; quia potest fieri, quod licet fundata sit; tamen ob aliquod incidens non teneatur Incattus; item ut prætensionem justam habeat Actor, verum in modo procedendi lege præscripto erretur.

§. 884. Exceptiones vel sunt peremtoriæ vel condescensoriæ. Peremtoriæ ita perimunt causam, ut nunquam amplius resuscitari possit, suntque potissimum duæ: præscriptio et calumnia, de quibus alias egimus. Nunc vero nonnisi hoc observamus, quod tam præscriptionem, quam calumniam, etiam post convictivam finalem in merito latam sententiam liceat allegare, penes prohibitam, vel repulsionem aut novum (in causa Bárány 1803.) quod item, licet in ingressu litis in forma exceptionis obversa sit præscriptio, vel calumnia, tamen aliis meritoriis defensis viam non præcludat, præcipue si revocatio D. 6: p. 52. accedat; cui quidem opinioni Dec. in causa László, 1810. lata adversatur.

§. 885. Condescensoriæ exceptiones sunt, quæ non perimunt causam in perpetuum, verum tantum præsentem processum ob extrinsecum aliquod

vitium (quod Judex non controverteret) evanescere faciunt, ita tamen, ut penes aliam citationem et actionem possit suscitari, absque via novi, toties quoties, quia meritum causæ nec abjudicatum, nec adjudicatum est. Cum autem absque condescensione secunda vice ad alium Judicem citare sit calumniosum, atque adeo pœnale, debent testimoniales a Judice super condescensione prioris processus extrahi, vel sententia per eum subscribi. Causa, contra unum ex multis Coincattis condescendente nova citatio contra reliquos non requiritur, Dec. 5. pag. 151.

§. 886. A sententia condescensoria appellata non datur in regula (præter scilicet impensionalem) nisi grave aliquod incidens adsit, vel meritum causæ afficiatur, (ut cap. 13. dicetur) si in hoc casu Judex appellatam non admittat, potest mandatum transmissionale peti, postea pro continuatione processus remittitur, ast si et meritum pertractatum est, finalem sententiam fert Curia.

§. 887. Exceptionum ponendarum ordo arbitrarius est, non autem licet plures quam tres, 16. 1792. aut lite contestata, adducere; verum majoris momenti exceptiones, (v. gr. contra judicatum et institutum) possunt urgeri per totum causæ decursum; imo posteaquam ad Curiam devenit processus, sæpe judicatus et institutum condescendit, et totus processus ruit; hinc, si clara sit Judicatus aut instituti incompetentia, etiam ante latam super ea per procedentem Judicem sententiam, potest mandatum vel inhibitorium, vel intra Dominium transmissionale, in casum stabiliendi Judicatus aut Instituti, et convictionis in merito, licet causa extra Dominium esset appellabi-

lis, peti. Allegationes, in exceptivis, ultra triplicam, in merito ultra quadruplicam non admittendæ 1729: 45. idest, ultra quatuor, ultro citroque factas allegationes. (Apud alias nationes, quadruplica tertiam Incatti scripturam significat. Replica illis vocatur secunda Actoris scriptura, ad quam I. duplicam porrigit, post hanc venit triplica Actoris).

§. 888. Condescensoriæ exceptiones hæ potissimum formari possunt:

1) Contra Judicem, si Judicis persona non sit apta, 15: 1635. 28: 1725. v. gr. interessatus sit ob nexum sangvinis, vel affinitatem cum A. usque 2-dum gradum etc.

2) Contra judicatum, ut vidimus passim, si vel ratione personæ, vel loci, vel rei, sit Judex incompetens, D. 1: p. 12. vel Judex pedaneus nobilitaris in disquisitionem valoris literarum (si scilicet illæ non sint ipso jure nullæ) se immittat, D. 7. p. 152. Si Judex incapax et inactivus citet, neque comparere debet citatus, quia talis Judex est nullus Judex; sed si comparuit, et non excepit, valet sententia, D. in causa Fisci Szakóltzensis, contra nob. Annam Kovatsics.

§. 889. 3) Contra Actionem (uti supra vidimus) v. gr. si vitiose specificetur locus et tempus patratæ violentiæ etc. 2-dæ 26. 82. et ob alias externas qualitates, et structuram tantum actionis tangentes defectus, vel si actio fundetur in admonitione quæ non est præmissa D. 1: 110. talis exceptio cum meritum ipsum non tangat, nec sententiæ actionem ob illos defectus condescensioni subjiciens potest appellari, quia potest error emendari alia actione, idem valet, si libellus a

fundamentali instrumento actoreo, (v. gr. a fassione) difformis sit. — Hegyi 1-ma Sept. 1799. Verum, si sententia feratur contra actionem proprie sumtam (ut alias vidimus) vel Actor ab actione sua deliberative amoveatur, illi locus non detur, potest appellari, quia ipsum meritum subversatur, non forma. Si non possit petitio legibus actionalibus applicari, simpliciter condescendit actio; præstiterat nullas citare, (22. Jan. 1799. Nagy.) si vero prætensio nec jure naturali competat, nec positivis legibus applicari posse videatur, tunc quoque contra actionem fertur sententia, verum hæc meritum rei attinget, atque appellari poterit.

§. 890. 4) Contra citationem, si vitiose peracta sit, vel non sit sufficiens terminus datus etc. ut supra.

5) Ob difformitatem Actionis a Levata in substantialibus, v. gr. nominibus, vel si paria actionis Incatto exhibita sint difformia ab originali, D. 12: p. 5. difformitas nominum baptismalium calamo judiciali correcta est in causa Görgei, 24-a Maji 1806. et alias sæpe.

§. 891. 6) Contra institutum. Differt hæc exceptio ab exceptione contra actionem, ut institutum differt ab actione. Actio proprie dicta est ipsa prætensio, Institutum est causa et titulus illius. (Actio improprie dicta, seu libellus actionalis, est vehiculum actionis seu prætensionis). Potest Actor contra Incattum actionem habere, sed in instituto aberrare, idest, non illo titulo agere, quo debuisset. Potest instituto bene uti, idest, titulum suæ prætensioni accommodum prætexere, tamen actionem non habere. Verum qui

institutum nullum habet, nec actionem potest habere, quia jus vel obligatio absque titulo non datur.

Qui itaque contra Institutum excipit, Actionem in medio relinquit quidem (idest, nec negat illam, nec admittit, verum id adstruit, quod Actor rem substratam alio titulo debeat persequi) tamen potest evenire, ut ruina instituti, ruinam ipsius actionis, quoad ipsum meritum, post se trahat, sæpius vero, salva actione, judicatum tantum secum evertit: ut plurimum autem, rem substratam, sæpe et judicatum, in salvo adhuc relinquit. Si minus petit A. quam alio legali titulo ipsi competeret prout non semper excipiet I. contra Institutum, ita, non semper (v. gr. si merito diffidat) in illud consentiet. Exempla dedimus sparsim.

§. 892. 7) Contra Actoratum personalem non semper impune excipitur, verum contra realem, inter extraneos semper. De competentia actoratus vidimus jam supra. Si impedimentum ejus perpetuum, idest, vel incapitas litigandi perpetua sit, vel defectus juris sit perpetuus, hæc exceptio est peremtoria, secus tantum condescensoria, v. gr. contra prolium actoratum quoad jura parentum vivorum; quid quod, nec illis mortuis potest eadem lis, quam prius moverant, continuari, verum alia debet moveri, Dec. 13. p. 121. Cum ergo sententia actoratus realis condescensoria, etiam ipsum meritum causæ involvat, Actori in foris inferioribus appellare licet, vel vero novisare, in Tabula Regia vero æque vel appellare, vel prohibere, postea novisare. Si vero stabiliatur actoratus, Incatto appellare non, licet idest, quamvis appellaverit, nondum mittetur causa ad altiora Fora; quia potest adhuc in merito absolvi, verum in

Tabula Regia potest Prohibita uti. Inania vero subterfugia, et cavillationes Procuratorum, Judex calamo judiciali amputare, et crucifigere potest 49: 1563. videantur leges ad istum Articulum citatæ.

§. 893. Dilationes judiciales et extrajudiciales, et neglectus reassumtarum, vel comparitionum in currentibus processibus. §. 894. Prorogationis beneficium. §. 895. Quibus competit? §. 896. Personis illegitimæ ætatis quomodo? 897. Observationes speciales de prorogatione.

§. 893.

Secundo, Dilatio. Est termini in causa jam pendente legitima extensio, quam vel partes mutuo consensu faciunt, vel solus Judex, judicialiter, idest, deliberative, v. gr. cum respirium et moram indulget conquirendis probis. Vigore 19: 1802. adveniente consveto Judiciorum termino, etiam in partibus debent agenda agi, quamvis continuatio causæ ad eundem terminum judicialiter non rejecta sit; si itaque Actor causam reassumserit, Incattus non comparens, qua contumax convinci potest; nisi in processum jam antea inducta ad ipsum absolvendum sufficiant. In Tab. Regia pariter initio termini Actor reassumit causam et Incattus comparet; si Actor non reassumat per duos tresve terminos, expungitur processus ex serie, quem nonnisi penes novam citationem reflexoriam poterit continuare, et in seriem reponi facere, si vero prorsus Incattus absolutus est, instituto novi debet uti. Incattus vero per duos tresve terminos non comparens, ex hactenus allegatis et probatis vel absolvitur, vel per

non defendit convincitur, Appellata vel instituto novi remedium sibi quæsiturus, prout se sufficienter defensum putat, vel non. Si Judex vel sua sponte, vel ad requisitionem alterutrius partium, terminum extrajudcialiter differat, novum terminum debet alteri parti judicialiter insinuare 52: 681. secus, qui dilationem impetravit, solvet expensas alteri inaniter causatas. — Si absque præfixione termini facta est dilatio, in processu currente, vel vero integro termino absque reassumtione et comparitione jacuit causa, ad continuationem directo libello, reflexoria citatione et levata opus est.

§. 894. Tertio. Prorogatio, est beneficium legis, quo certæ personæ ab onere passive litigandi ad certum tempus eximuntur, et causæ nefors jam contra ipsas pendentes suspenduntur. Eum in finem mandatum prorogatorium potest peti. Quod in genere omnibus Judicibus Regni sonat, id solus Rex dat. — Judices Regni ordinarii possunt pro foris inferioribus, præter Curiam, dare. Qui falsa expositione usus impetrat Mandatum hoc, convincitur in emenda lingvæ Matth. 2: 6.

§. 895. Personæ prorogationis beneficio gaudentes sunt:

1) Neoprælati, quoad jura possessionaria beneficialia, separatim a Capitulo vel Conventu possessa, ad annum.

2) Viduæ, licet Coincattæ cum maritis fuerint, ex ratione legis 50: 2-dæ, et consvetudine, quoad jura et bona materialia, contra extraneos, æque ad annum a morte mariti, (non itaque in personalibus, vel quoad propria bona, nec contra alios successores mariti).

5) Qui reipublicæ causa absunt, v. gr. Legati, vel Milites, Matth. 2: 6. Ulad. 1: 71. 2: 14. donec illud impedimentum duret.

§. 896. 4) Pupilli illegitimæ ætatis, intuitu omnium causarum passivarum usque attactam legitimam ætatem. Verum intuitu causarum contra parentes ipsorum suscitatarum nonnisi ad annum, quia 130. quidem 1-mæ, dicit pupillos, quoad tales causas juri stare teneri, verum 2-dæ: 50. etiam quoad tales prorogationem dat; ergo ita conciliari possunt, si dicatur, intuitu talium causarum non ad totam illegitimam ætatem, verum uno tantum anno habere illos (vel potius tutorem) prorogationem, quoad alias vero per totam illegitimam ætatem. Si tamen juramenti depositio subversetur, semper ætas pupilli juramento deponendo apta exspectanda est. Si vero pater vel mater moriatur, cum jam filius est legimæ ætatis, nonnisi quoad jura defuncti parentis habet infra annum 16. annuam prorogationem 2-dæ, 50. etiam quoad causas vivo parente suscitatas.

5) Experimur etiam ex aliis causis indulgeri, v. gr. si cui domus expilata est, aut exarsit, et literæ periisse prætenduntur, si quis in captivitate domestica, eo magis hostili detineatur, etc.

§. 897. Si quis Coincattos communionem juris et sangvinis foventes habeat, prorogationis beneficium cessat, quia illi poterunt defendere Matth. 2: 6, 8. nec datur eidem personæ, eodem titulo et motivo, nisi semel, secus potest etiam in pluribus vicibus dari.

CAPUT VIII.

De Contestatione litis.

§. 898. Litis contestatio quotuplex. §. 899. Effectus in genere, §. 900. In specie.

§. 898.

Contestatio litis, seu meritoria ad ipsam petitionem in actione positam responsio, alia est expressa, cum disertis verbis, et aperte respondet I. ad petitionem; alia tacita, quæ ex facto ejus elicitur; v. gr. si in exceptivis testes actoreos in probam actionis adductos subsumat, eorum fidem vellicet, jam litem contestatus est; alia est generalis, alia particularis, prout vel ad postulatum totum, vel ad aliquam tantum ejus partem respondet; alia est negativa, alia affirmativa, alia qualificativa, prout vel negat prætensionem Actoris (directe vel indirecte) vel eam confitetur simpliciter, vel confitetur quidem, verum ex aliquo incidenti se non teneri prætendit, v. gr. quod jam solverit.

§. 899. In genere, qui litem quomodocunque contestatur, non potest amplius ad exceptiva regredi, nisi meritoria responsio Procuratoris, depulsoria negligentis revocetur, D. 6: 19. Litis contestatio determinat, quis, quid debeat probare? ex actionibus et prætensionibus personalibus facit reales, et ad hæredes tam active quam passive transeuntes 2-dæ, 61.

§. 900. In specie, contestatio affirmativa, cum sit judicialis confessio, habet hos effectus:

1) Quod jam ad negativam transiri non possit, in regula, Ulad. 5: 15.

2) Liberat Actorem a proba præsertim in civilibus, in criminalibus non semper, nisi corpus delicti, idest, evidentia patrati delicti simul adsit, 20-ma Nov. 1792. causa Fisci Sopron.

3) Sententia ex propria confessione lata juridico remedio everti non potest; nisi quid præter et supra confessionem est abjudicatum; verum de confessione notandum, eam tunc habere judiciales effectus: si 1) fiat a majorenni, præcipue in causis bona tangentibus in minorennitate non valet, minime in ætate illegitima. 2) Debet esse spontanea, secus vel est revocabilis, vel ipso jure nulla, nisi sit metus et vis a tali, qui jus incutiendi, et verum moderate exigendi habet, absque tamen verberibus et tortura; sed nec talis confessio sola valet quidquam. 3) A rationis compote et intelligente debet proficisci. 4) De facto proprio. 5) Serio, non ex joco. 6) Determinata et certa, non vaga. 7) Rei naturæ conveniens, et de eadem re litigiosa quæ tractatur. Extrajudicialis confessio parum valet in lite, potest revocari, quia est actus privatus, nisi sit scripto facta, vel ad interrogationem ejus, cujus intererat verum audire; nec ulla confessio nocet tertio, nisi Plenipotentiarii, quæ habetur pro confessione Principalis.

Qui qualificative respondet, neque is potest ad negativam transire, verum qualificatam suam probare tenetur, quia jam substantiam prætensionis agnovit.

Negativa contestatio probam in actorem retorquet.

CAPUT IX.

De Probatione in genere, et in specie de Probis internis.

§. 901. Probatio quotuplex? §. 902. Actori vel affirmanti incumbit proba? §. 903. Probæ quomodo impugnantur? §. 904. Vis probationum. §. 905. Ex fama, rumore, suspicione. §. 906. Ex præsumtione hominis. §. 907. Ex præsumtione juris, et de jure. §. 908. Effectus præsumtionis hominis.

§. 901.

Probatio alia est plena, alia non plena; hæc si dimidia parte convincat Judicem, vocatur semiplena, si ultra exsurgat, plus quam semiplena, si nec dimidiam probam efficiat, minus quam semiplena dicitur; ejusdem speciei probæ vocantur uniformes, secus mixtæ; ex interna rei qualitate seu ex visceribus causa depromta, vocatur interna seu artificialis, secus externa.

§. 902. In regula, Actori incumbit proba, 2-dæ 52. 1729: 27. Dec. 10: 169. nisi 1-mo, pro Actore aliqua præsumtio juris, vel privilegium, idest, beneficium legis pugnet, v. gr. cum agitur de juribus regalibus, non Fisco vel Domino terrestri Actori, verum Incatto incumbit proba; porro: si in possessorio sit, rationem sui possessorii dare non tenetur, nisi proba alterius gravetur, v. gr. in processu contradictorio, ut diximus. 2) Nisi Incattus temere vel ex fiducia in probam se immittat, aut præsumtione juris gravetur, ut in

casibus multis revelationum; sic: præsumtio stat contra viduam obligatoriales mariti producentem D. 10: p. 162. 3) Nisi Incattus qualificet, vel absolute aliquid affirmet, exemplo D. 9-næ 81. quia, semper: tale quid quod Judex ex officio scire non debet, et cui adversa pars contradicit, affirmanti (licet Incatto) incumbit proba, nam, factum per unam partem allegatum, per alteram non contradictum pro vero habetur, negans contra nihil probat, in regula. Negativa quidem facti non debet probari, v. gr. si dicam: non feci, vel non vidi; ast negativa juris debet, v. gr. non esse factum legi conformiter; sic: si testes non esse idoneos diceret quis, negativam qualitatis probare deberet; hæ negativæ sunt prægnantes, affirmativam includunt.

§. 903. Probæ vel impugnantur directe vel indirecte; prius si probas alterius immediate debilitare quis intendat, v. gr. quod testes vel instrumenta alterius sibi invicem repugnent, vel fidem non mereantur etc. Posterius, quum probæ alterius in salvo relinquuntur, verum oppositæ adferuntur.

§. 904. Plena proba si non enervetur, seu directe seu indirecte eam vim habet, ut secundum illam feratur sententia. Semiplena suppleri debet. Si probæ utrinque sint æquales, pronunciandum pro Incatto, vel pro possessore. Aliter est in metali, ibi uterque est Incattus, adeoque, ut mihi videtur, habet locum reconventio.

§. 905. Ad probas internas pertinet fama, quæ probam non facit, quia nititur quidem certo auctore, sed tantum uno, uni vero testi nec ju-

rato creditur. Eo minus facit rumor, quia est incerto auctore, nec suspicio, velut opinio levis valet plus, quam rumor et fama, si ex illis originem ducat, quam ipsi fontes; verum si suspicio ex circumstantiis nascatur, pro ratione illarum jam majus, jam minus pondus habet; licet vero probam prorsus nullam faciat, tamen pro prudenti Judicis arbitrio ansam potest dare contra ignobilem quidem capturæ, contra nobilem vero inquisitioni, sed prudenter hoc agendum, et ita si veritatem eliciendi spes non vana adsit; talis inquisitio itaque debet esse generalis, idest, in deutri punctis nemo debet nominari ad evitandam injuriam, si nihil evenerit.

§. 906. Majoris momenti est præsumtio, seu opinio fortis, quod cuipiam aliquid imputari possit. Alia est hominis, quæ per ratiocinium ex circumstantiis et indiciis deducitur; est vel levis, quæ nihil aliud est quam suspicio; vel gravis, seu probabilis, quando ex combinatione circumstantiarum facile potest factum deduci et cum illis connecti; vel violenta, dum perpensis et intellectis circumstantiis, illæ ita arctum nexum habere inveniuntur cum facto, ut non possit quis de auctore non judicare.

§. 907. Alia præsumtio est juris quam ipsa lex ex aliquo facto ut certum deducit; estque vel juris tantum quam leges formant quidem, verum probatio in contrarium admittitur, v. gr. præsumtio juris est, quod testem juratum verum dixisse, sed tamen sæpe potest contrarium demonstrari, et lex admittit contrariam probam. Sic: præsumtio juris est eum, qui non comparuerit, contemsisse judiciariam auctoritatem, et jus Acto-

ris agnovisse, sed tamen potest demonstrari contrarium, idest, quod impossibile fuerit comparere. Vel præsumtio juris simul, et de jure, quæ non admittit probam in contrarium, v. gr. in præscriptione, quod quis juri suo renunciaverit; non itaque admittitur ut probet sibi inpossibile fuisse contradicere etc.

§. 908. Præsumtio hominis et levis in civilibus prorsus sperni debet. — In criminalibus id efficit, quod de suspicione dictum. — Gravis in criminalibus nullam probam, in civilibus minorem semiplena facit, et ansam præbet juramento. Violenta in civilibus æquivalet semiplenæ, suppletur juramento per Actorem, in criminalibus minus est quam semiplena, quia delicta non præsumuntur, verum probam sole clariorem exigunt, in regula, non possunt circumstantiæ contra accusatum concurrere, ex quibus semet extricare non possit, præcipue si in sui excusatione mendacii convincatur, ceterum nec confessus, nec testibus convictus.

Probæ externæ sunt testes, oculata revisio, literalia instrumenta, et juramentum partis alterutrius.

CAPUT X.

De testibus, et oculata revisione.

§. 909. Personæ ad testandum inhabiles. §. 910. Requisita testium, cetera habilium. §. 911. Juramenti relaxatio. §. 912. Quot testium fassiones et quales requiruntur? §. 913. Quædam obsoleta circa juramentum testium.

§. 909.

Testis is debet esse, qui nec impediatur verum dicere, ut stultus, aut persona illegitimae aetatis, propter immaturitatem judicii 2-dae, 27. 1-mae 126. aut infamia juris notati, nec prohibeatur testari, ut v. gr. infamia facti (praecipue propter lucri cupidinem, ebriositatem, et mentiendi consvetudinem) notati. Legitimæ ætatis personæ pro prudenti Judicis arbitrio vel prohibentur, vel admittuntur. — Quod, non Christiani contra Christianos, præcipue vero servi et subditi pro dominis vel contra illos, ignobiles item contra nobiles, imprimis in criminalibus, tantum in defectu aliorum admittantur, S. Stephani lib. 2. cap. 5. 2-dæ 27. 1729. 26. in hac re, praxis hodierna non est ita rigida, quam superioris ævi, nedum antiqua fuit. Prohibentur porro interessati, quia pro se nemo potest testificari, v. gr. in metalibus et aliis territorialibus, loci ejus, de quo agitur, incolæ. Item illi, qui pro una persona haberi possunt cum illo, contra quem testandum esset, v. gr. tutor pro, vel contra pupillum, Plenipotentiarius, Advocatus in causa quam gerit vel defendit; conjuges. Prohibentur, gravi laborantes inimicitia, contra inimicum, quia odio pervertitur veritas Prol. Tit. 14. ut et propinqua cognatione sibi invicem conjuncti, præter casum criminis læsæ Majestatis 1-mæ, 52. Prohibentur socii sceleris simpliciter, item: accusatores et delatores in regula, idest, præter crimen læsæ Majestatis 1715. 7. Notandum vero, plerosque ex his tantum ita rejici, si exceptio contra illos coram judicio obvertatur, et res magni momenti sit. Ceterum

§. 910. In testibus requiritur: 2-dæ 27.

1) Libertas, nam ut fateantur, id quod sciunt, vel, ut declarent jurati se nihil scire, possunt quidem cogi, verum, ut hoc vel illud specifice fateantur, non possunt.

2) Ætas. De legitima ætate diximus superius, præterea, ea ætas debet esse in testibus, ut rei gestæ tempus et circumstantias scire possint, et illarum meminisse. In regula ultra 60 annos (de rebus scilicet ante 60 annos actis) Matth. 6: 71. humanum testimonium, de propria scientia, non admittitur, nisi quis senex valde vegetæ memoriæ sit; verum de auditu si valde multi sint, probant etiam ad 100 annos, præcipue in rebus non transitoriis, verum continuativis, v. gr. in territorialibus, aut cum de possessoribus antiquis quæritur, non autem in genealogia, 47: 1-æ, quia nominum facilis oblivio.

3) Modalitas, idest, testis rationem debet dare suæ scientiæ, hinc, testis auritus, qui tantum ex auditu fatetur, non meretur fidem, nisi ea referat, quæ ex auditu debent sciri, aut a patratore ipso audivit.

4) Conditio, idest bonæ famæ debet esse testis, et non abjectissimi status.

5) Juramenti corporalis depositio secundum formulam, quæ ad finem Decretorum habetur. Corporale vocatur, quia penes actum corporalem, elevationem scilicet duorum dextræ manus priorum digitorum fit, viva voce. Monent aliqui, tres digitos elevari solere, in designationem sacro-sanctæ Trinitatis. In descriptionibus solemnium Coronationis, duos digitos per Reges elevari, memini me legisse.

De Catholicis Sacerdotibus testimonio suo sine jure jurando fidem facientibus, dictum alias. Nec feminæ prægnantes et partui proximæ jurant juramentum corporale (ex consvetudine) verum ad fidem marito debitam, et felicitatem partus futuri asseverant, se omnia bona fide revelaturas. Officiales in rebus ad officium pertinentibus sub illo juramento fatentur, quod jurarunt tempore aditi officii, secus et jurare et authenticari debent, D. 4: 51. Testes testamento solemni subscripti non debent jurare, prout aliis privatis contractibus subscripti debent, si fides instrumenti in dubium revocetur; verum, si nefors semet adfuisse recognoscerent, et tamen contra positivum tenorem contractus et conditionum faterentur, non acceptaretur illorum fassio.

§. 911. Juramentum is cujus interest, remittere potest, verum ubi de publico agitur, non potest remitti. Reo criminali delictum negante, testis prævie in figura Judicii examinatus cum illo confrontatur, et ad caput ejus genua flectere coacti jurat. Si valde multi sint testes, possunt aliquot simul jurare, ita ut observari possit, an recitent juramenti formulam, deinde singillative debebunt examinari.

§. 912. Testes, ad plenam probam faciendam, minimum duo uniformiter fatentes, et omni exceptione majores requiruntur quidem: in rebus tamen ad officium pertinentibus, v. gr. visum repertum Medici, aut etiam Chirurgi (Medici testimonio et approbatione suffultum) plenam probam facit. Etiam ex unius testis fassione enata semiplena proba per semiplenam alterius speciei probam in plenam excrescit, fitque mixta. Si te-

stes dissentiant, erunt tantum singulares, et quidem si singularitate sibi invicem repugnante opponantur, plenam probam non faciunt, quia contraria fatentur; eodem redit singularitas diversificativa, seu discrepans, dum diversa narrant, quorum unum alterum non juvat, v. gr. si unus dicat negotium evenisse hic, alter ibi, unus dicat numeratos 100, alter 200. Si vero sit singularitas cumulativa, v. gr. alter dicat se vidisse furantem, alter audivisse ex ipsomet esse furatum: vel dicat vidisse domum intrantem, alter exeuntem; aut, arantem, alter messem colligentem (ubi scilicet usus terræ præhabitus probare debet) tales testes plene probant, licet singulares sint, quia narrationes ad idem tendunt. Testis vacillans, fluctuans nihil probat, eo minus probat testis sibi contrarius. Testes contrarii per eundem vel diversos producti, se mutuo conquassant, in dubio pro Incatto pronunciandum erit, nisi alterius partis testes longe fortiorem rationem scientiæ adsignent.

§. 913. Juramentum credulitatis, quo conjuratores seu ad latus jurantes, affirmabant se credere quod alter dicit, eumque esse hominem fidedignum, jam cessavit; nec jam unius juramentum plurium personarum juramento æquivalet, ut olim, v. gr. Baronum Regni, Prælatorum, juramento 10 Nobilium.

§. 914. Inquisitio omnis publica auctoritate fit. §. 915. In specie, collateralis. §. 916. Authentica, vel authenticata. §. 917. Virtus harum. §. 918. Observationes practicæ circa usum inquisitionum. §. 919. Testes non semper authen-

ticantur morte. §. 920. Difficultati inde enasci queunti occurritur per inquisitionem: ad perpetuam rei memoriam. §. 921. Testimoniales super inquisitione. §. 922. Probatio per artis peritos.

§. 914.

Testium examen seu inquisitio peragi debet per personam jurisdictione publica fungentem in loco illo et in illos, ubi et quos jurare facit, et quidem penes commissionem vel mandatum Superioris; nisi fiat per ipsum Judicem causæ, aut ex Judicio exmissum. Mandatum sapit etiam exmissio ex Magistratu, Sedria, Congregatione; nam in rebus publicum tangentibus, penes determinationem publicam (testi præcipue nobili, sub extradata notariali ostendendam) possunt testes adjurari, vel saltem, eminentioris ordinis virorum scriptæ attestationes (si necesse fuerit suo tempore authenticandæ) colligi, etiam vigore mandati Judicis R. O. ad ipsos directi.

§. 915. Inquisitio collateralis a persona quidem publicam auctoritatem ad id habente peragitur, non tamen per Judicem causæ, nec in figura judicii, et servit tantum informationi, nec facit probam in judicio, et impune potest revocari. — Fit vel penes Mandatum compulsorium, vel penes commissionem Vice-Comitis, quae tamen hodie non putatur necessaria, inde enato errore, quod vi legis recentioris, Judlium causas etiam judicare possit absque exmissione vel commissione. Penes Mandatum compulsorium, Juraati, vel Judex Nobilium cum Jurassore (si scilicet illis sonet Mandatum) peragunt inquisitionem,

Jurati quidem (praeterea etiam exmissione provisi) in toto Regno, etiam in Civitatibus inter cives, 78: 1647. 19: 1649. et in qualicunque causa, exceptis criminalibus, aliisque publicum tangentibus magistratualibus. Etiam jurati Cancellistae Districtuum et Oppidorum privilegiatorum, Civitatum, Sedium dominalium, penes commissionem Superioris, valide peragunt inquisitionem; si vero nobilem velit quis privatus adjurari curare, Mandatum compulsorium ipsi ostendi debet, secus non tenetur jurare, imo si juret, erit suspectus, quod se obtrudat. Ne quidem scriptum attestatum debet nobilis absque legali requisitione dare, potest tamen si velit. Etiam Ignobiles contra Nobilem, praecipue propter personalia conventum, penes Mandatum compulsorium debent adjurari ad petitionem privati. Si testes iidem pro utraque parte simul in genere examinentur, vel adjurati authenticentur (eo quod utraque pars eos provocet) inquisitio communis vocatur, secus specialis.

§. 916. Si testes primo quoque in figura Judicii, vel, extra illam per exmissos Judices causae examinantur et adjurantur, vocatur inquisitio authentica. — Authenticata vero illa dicitur, quæ collateraliter peracta quidem est, verum testes, vel in figura Judicii, vel vero, (remotius scilicet habitantes, aut Judicio sisti nequeuntes) sive per exmissos ex Judicio, sive ex commissione altioris Judicii, per inferius, sive penes compassuales per suos locales Judices iterum examinantur, et jurare coguntur.

§. 917. Authentica vel authenticata inquisitio plenam probam facit in Judicio. Collateralis quo-

que probat, si in causa privata is, contra quem producitur, acceptet illam pro authenticata, expresse vel tacite.

§. 918. Hinc qui inquisitionem collateralem in processu producit, imprimis parte altera collateralitatem subsumente petat terminum pro authenticatione praefigi deliberative, et nisi altera pars declaret allegative, se eam pro authentica acceptare, non curet sententiam ferri, ex fassionibus testium ante authenticationem, quia post sententiam controvertet alter, illos non mereri fidem, cum non sint authenticati. Quamvis autem pars adversa collateralitatem fassionis non subsumat, imo, inquisitionem pro authenticata acceptet, eo quod fors pejus quid metuat, producens tamen authenticationem urgere potest, si testibus fidat, aut plane, plus adhuc ab illis speret. Contra testes ante authenticationem solet quidem excipi, (quod scilicet non possint admitti ad illam) ex illis quae supra in teste requiri diximus, saepe tamen reservatur facultas post authenticationem excipiendi, sed ob graves rationes, etiam post authenticationem admittenda est exceptio contra qualitates testium, etiamsi (ut in causa Fejér, 5-ta Mart. 1793. decisum est) non sit reservatum; fassiones ipsorum alioquin post authenticationem debent quocunque modo oppugnari. Tempore authenticationis etiam tales testes possunt sisti et jurare, qui collateraliter non erant adjurati, 8-va Jun. 1799. Bertalan. Sed authenticati jam pro una parte, licet antea pro altera parte collateraliter examinati, non reauthenticantur.

§. 919. Si testes collateraliter examinati ante

authenticationem judicialem mortui sunt, dicitur inquisitio morte authenticata; si aliqui testes supersunt, fassionesque suas confirmant, et mortui habentur pro authenticatis (quamvis adversa pars, collateraliter reexaminatorum eorundem contrarias fassiones produceret, D. 6: p. 31.) idem potest pro prudenti Judicis arbitrio fieri, si omnes quidem mortui sunt, ast dum negotium in cursu ac sub prosecutione fuit, mors authenticationem prævertit; non item si nec inchoatum vel derelictum est negotium; quia fors dolose exspectata est mors testium, ut pro morte authenticatis obtrudi possint. In negotio probandæ nobilitatis morte authenticatos testes rejicit Res. R.

§. 920. Hinc moris est, testes, v. gr. moribundos, qui alicui in futurum usui esse possent, per ordinatam in forma Sedriæ Deputationem authentice adjurari, vel jam adjuratos authenticari, et testimoniales ad perpetuam rei memoriam extradari. Idem fieri potest in Sedria, sed præsentibus illis quorum interest, atque ex rationalibus causis, etiam cum testibus, non plane morti proximis.

§. 921. Inquisitionem peragens sub sigillo et subscriptione sua debet seriem peractæ inquisitionis parti inquiri curanti, imo etiam contraparti petenti 42: 1725. in forma testimonialium in paribus extradare, originale vero ad Archivum loci authentici, ad quem pertinet, resignare 1729: 25. et post factam resignationem inde debebunt expediri inquisitiones, aut quæcunque demum literæ, ut adeo si nefors Juratus, vel Judex Nobilium, ex fragmento vel minuta vellet alicui postea extradare, fidem non meretur.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

§. 922. Super qualitate vel valore alicujus rei scriptum attestatum artis peritorum, pro singulo actu juraturorum, ad futuram quidem rei memoriam, coram Judlium et Jurassore, lite jam currente vel terminata vero coram Judice causæ vel exequente confici debet.

§. 923. Testificari nolentium Judex et pœna. §. 924. Qui ab ea excusantur? §. 925. Pœna turbantis inquisitionem, pro parte privati, §. 926. Vel pro publico peragendam. §. 927. Notio et pœna perjurii, seu potius pejerationis. §. 928. Perjurium proprie tale. §. 929. Oculata revisio.

§. 923.

Processus hic enascuntur:

Primo, contra testificari nolentes. Actor est is, pro cujus parte fiebat inquisitio; Judex, contra nobiles vel liberos, (imo ut aliqui dicunt, etiam colonos) Vice-Comes 49: 635. licet secundum 55: 1729. etiam Judex Nobilium posset procedere. Contra cives Judex est Civitas, nec valet paritas a colonis, quia coloni etiam Comitatui subsunt, non item cives. Actio fundatur in 28. 2-dæ, 49: 1655. 81: 1565. 49: 1655. Probari debet testimonialibus ab inquirente judiciali persona extractis, ad legitimam requisitionem Incattum noluisse deponere juramentum. Qui solvendo non sunt; puniuntur pœna corporali 1565: 81. secus 16 marcæ gravis ponderis sunt deponendæ absque appellata, 50: 1729. et quidem toties quoties quis legitime requisitus non juraverit, vel non fassus fuerit. Ignobiles puniuntur licet ad commissionem vel sigillum Vice-Comitis noluerint jurare, imo etiam

nobiles, si statutum vel consvetudo Comitatus ita ferat, quia 81: 1565, dicit: legitime requisiti, atqui consvetudo et statutum est legitimus modus. De objectis publicum tangentibus dictum supra, quis sit legitimus modus requirendi. Medietas birsagii hujus cedit Judici, medietas Actori.

§. 924. Excusantur ab hac pœna, qui contra consangvineos debuissent fateri, vel si deutri puncta ipsos feriebant, quia contra se nemo tenetur fateri: excusantur in regula illi, de quorum testimonio diximus contra illud excipi posse, v. gr. Tutores, Advocati, et quos inimicos sibi putaret pars illa, contra quam jurari debuisset: porro, subditi, domestici, interessati etc. D. p. 185.

§. 925. Secundo. Idem processus, et eadem pœna habet locum contra illos, qui inquirentem ad bona sua non admitterent, vel homines suos a deponendo subtraherent, vel inquisitionem ad requisitionem privati faciendam quoquo modo turbarent 49: 1635. Dec. p. 185. et hoc etiam de communi (v. gr. erga recursum peragi jussa) inquisitione intelligendum, quia pœna actus majoris potentiæ Ulad. 5: 5. exolevisse videtur, (nisi quis ipsum inquirentem verberet). Fiscalis Actio his in casibus indubia est.

§. 926. Tertio. Fisco magistratuali competit actio contra illos, qui inquisitionem publicam, præcipue contra malefactores (præsentibus Officialibus dominalibus instituendam) in bona sua non admitterent, vel illam turbarent, fundatur in 60: 1638. et ibi citatis, pœna 100 fl. facit. — Sub eadem pœna debent Domino terrestri privilegiato deprehensi malefactores resignari, eod. 60. 1638.

§. 927. Quarto ad pœnam perjurii. Perjurium 1) apud nos significat pejerationem, idest, mendacium juramento confirmatum, in fraudem et periclitationem jurium alterius, cum quis scilicet, contra suam scientiam vel opinionem loquitur, seu cum moraliter falsum dicit. Quia potest quis falsum dicere logice (idest, res non ita se habet, verum ille ita sentit, ita est persvasus) tamen non peccat, quia moraliter verum dicit. Perjurii pœna est infamia, et præterea, si contra Fiscum juravit quis, amissio bonorum, titulo juris R. (ut putant) impetrabilium, si vero contra privatum, homagium suum solvit 2: 3o. et omne id quod interest refundit. Tales perjuri vocantur aucarii, idest, ludas, a voce Hung. öke, anser. Sub Actoratu læsi movebatur processus coram S. Sede ad cognoscendum delictum, 1458: 9. Matth. D. 1: 3, §. 8. ad pœnam vero infligendam coram Tabula Regia 2-dæ 52. hodiernis temporibus Tab. R. et super delicto et super pœna pronunciare potest; interim experimur, falsos testes actione Fisci Mag. ad carceres tantum vel domos correctorias damnari; etiam is qui testes ad falsum jurandum induxit, ad plenam indemnitatem, adversario præstandam adstringitur, et præterea criminaliter tractatur.

§. 928. 2) Perjurium sumitur pro juramenti violatione seu pro perjurio grammatice et proprie tali, idest, cum quis id quod sub juramento promisit, non præstitit; estque magis fori interni, quam externi, nisi committatur contra juramentum officii.

§. 929. Oculata revisio, est actus quo res controversa proprio Judicis visu legitime cogno-

scitur. Habet locum, ubi de situ locorum et extensione agitur, v. gr. 41. 2-dæ, in violentis occupationibus, in pignoribus, in metalibus, in damnis seu factis, seu infectis (ut vel æstimatio, vel cautio fieri possit) in casibus porro vulnerationum, verberationum. Debet esse actus publicus manifestus, debent citari testes, ut præsentes omnia demonstrare possint; item vicini, commetanei, qui sub pœna 16 marcarum comparere tenentur, pro re nata artis periti adhibendi sub juramento. Peragitur per Judicem, vel exmissos ex Judicio, v. gr. in negotiis ad Sedem dominalem pertinentibus, per exmissum officialem dominalem, cum requisito Judlium. Sæpe, in causa appellata, post revisionem Tab. Regiæ per exmissum per Tab. Septemvir. Referentem (Bernáth contra Fekésházi.) Nomina testium præsentium in testimonialibus super oculata extradandis recensenda sunt. Testium tunc adjurandorum fassio non est cum oculata confundenda, illa contrariis probis elidi potest, non item hæc, idest, quod ipse Judex vidit, qui in hoc actu sub pœna aetus majoris potentiæ turbari vetatur.

CAPUT XI.

De literalibus Instrumentis.

§. 930. Literalia Instrumenta sunt multiplicia. §. 931. Requisita omnium in universum, §. 932. Publicorum in genere. §. 933. In specie, in Cancellaria majori, §. 934. Apud reliquos Judices Regni ordinarios, §. 935. In Capitulis vel Conventibus confici solitorum. §. 936. Quæ et qui sunt Capitula et Conventus?

§. 937. Requisita literarum in Comitatibus. §. 938. Observanda in transumendis literis. §. 939. Valor et fides literarum publicarum, §. 940. Privatarum. §. 941. Qualiter oppugnatur? §. 942. Præexistentia et amissio earum.

§. 930.

Literalia instrumenta, alia sunt publica, quæ ab illis, vel coram illis confecta sunt, qui publica auctoritate sunt eo fine instructi, adeoque vocantur authentica, et sunt varia, prout sigilla publica sub quibus confecta sunt; alia vero privata. — Utraque vel sunt originalia, vel non originalia, hæc vocantur alias transumta, quæ vel sunt authentica, idest, quæ per locum vel personam publicam auctoritatem tales literas conficiendi aut transumendi habentem expediuntur; tale instrumentum est vel transumtum primum, vel transumtum transumti. — Transumta non authentica aut privata vocantur alias copiæ, quæ ex originali per privatos tantum descriptæ sunt; suntque vel vidimatæ, quæ per Notarium publicum, aut aliquam fidedignam personam, præcipue publicam, licet talia instrumenta conficiendi vel transumendi auctoritate ex officio non gaudentem, alii scripturæ conformes esse recognoscuntur; vel non vidimatæ, idest, simplices copiæ. Literalia, quæ per personam, vel locum authenticum transscribuntur, vocantur, per excellentiam, transumta.

§. 931. In genere omnium literarum requisita sunt hæc: nomina et cognomina illorum, per quos et coram quibus conficiuntur, sunt accurate exprimenda 2: 17. Subscriptio conficientium,

(quoad publica etiam sigillum) datum, idest, tempus et locus, quo literæ confectæ sunt, vel etiam tempus quo negotium actum est. Debet omnis rasio, correctio abesse, præcipue in substantialibus, si quid vero correctum, debet per expedientem vel subscribentem recognosci, quali linea et pagina, in quibus verbis correxit 123: 39. Literæ ignoto sermone confectæ debent explicari illis, quorum interest, v. gr. contrahentibus, 13: 1681. non esse vero explicatas, negans debet probare, quia præsumtio stat pro affirmante, quod bona fide actum sit, Dec. 3: 103.

§. 932. Requisita vero literarum **authenticarum**, seu publicarum sunt: ut locus ad id auctoritate publica instructus sit; porro, ut personæ tales functioni illi juramento sint adstrictæ: ut in literis recognoscatur, ad declarationem confici curantis viva voce vel coram exmissis factam, esse confectas. Debet instrumentum ita ex certa scientia confectum per conficientes subscriptum in protocollum induci, originale in Archivo reponi, atque inde expediri. Exmissio semper debet sub subscriptione duorum Capitularium vel Conventualium fieri, atque in confectione instrumenti et illa et relatio recognosci.

§. 933. In specie: literæ ex Cancellaria majore (quæ est Viennæ ad latus Regis; Cancellaria minor vero est Personalis) debent subscribi a Rege, (præcipue privilegia) a Cancellario, et uno Secretario, ex usu. Si subscriptio Regis non adest, debet recognosci: ad **Mandatum suæ Majestatis proprium** esse confectas. Sigillum Regis Hungariæ adesse debet 608: 9. ante cor. stylo antiquo et recepto debent literæ confici, insolitæ

clausulae omitti, Cancelleria vero, in regula, sigillo Regis secreto utitur, raro duplici, rarissime Bulla aurea, seu sigillo aureo. Annulare Regis sigillum ad expeditiones publicas non adhibetur.

§. 954. Literae apud reliquos Judices Regni ordinarios debent nomine ipsius Judicis confici, et manu illius propria subscribi, et sigillo ejus muniri. Personalis nomine Regis et sub sigillo ejus judiciali extradat et nomen suum subscribit; Protonotarii duo priores, Palatini scilicet et Judicis Curiae, nomine Principalium suorum, et sub sigillo eorum; Vice-Tavernicus aeque sub nomine Tavernici, verum, nomen suum subscribit, uti Protonotarii, qui omnia instrumenta coram ipsis confecta, singulis annis, debent referre ad Archiva principalium suorum, hi vero in genuina copia, quotannis, ad Archivum Regni 45: 1725.

§. 955. Capitulares vel Conventuales, minimum 5 esse debent in Capitulo vel Conventu, et quotquot sunt, omnium nomina subjungi instrumento expedito, quod Lector, vel in Conventibus Superior, illis non existentibus, aliquis ex Capitularibus, Conventualibus subscribit, Dec. p. 187. et nefors correctam notat et recognoscit; omnes vero expeditiones, priusquam subscribantur et sigillentur, coram Capitulo vel Conventu perleguntur. Exmissi Capitulares vel Conventuales, minimum duo esse 559: 50. sub juramento, (quo ingressi sunt Capitulum) referre, universae relationes cum subscriptione eorum et Lectoris ad Archivum reponi, et per Notarium improtocollari debent. Propter neglectam accuratam Archivi registrationem 500 flor. pœna dictatur 1807: 14.

§. 936. Authentica sigilla, adeoque Archiva publica, habent: Metropolitanarum, Cathedralium item (idest, Episcopo gaudentium, præter Albaregalensem, Rosnaviensem, Cassoviensem et Szathmáriensem) nec non, Csazmensis et Posoniensis Collegiatarum, (idest, Præpositum tantum habentium) Ecclesiarum Capitula. Conventus vero sigillis et Archivis provisi, in quibus scilicet non seculares Ecclesiastici, prout in Capitulis, verum Religiosi, iique vel Benedictini, vel (ex illis orti) Præmonstratenses aut Cistercitæ degunt, licet olim multo plures fuerint, sex tantum supersunt in Hungaria, utpote, S. Adriani de Szalavár, S. Benedicti de juxta Grán, S. Martini de S. Monte Pannoniæ, S. Joannis Baptistæ de Jászó, sanctæ crucis de Lelesz, S. Michaëlis de Csorna, septimus in Transilvania B. M. V. de Kolosmonostor.

§. 937. Comitatus sub sigillo et nomine Universitatis Prælatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium, et subscriptione Notarii extradant literalia. In quibusdam expeditionibus subscribunt etiam Magistratuales, qui judicarunt in causa, ut v. gr. diximus de processu nobilitatis legitimatorio. Omnia acta debent per Notarium in protocollum induci, ad Archivum reponi, 725: 58. uti etiam omnes instantiæ lectæ. Officiales quidquid ex officio agunt, v. gr. admonitiones, inquisitiones) debent quolibet anno, ad Archivum, in originali, cum elencho actorum referre, sub pœna 500 fl. Extractus protocolli cum subscriptione Notarii, sub vel sine proprio ejus sigillo, absque solemnitate, absque determinatione et nomine Comitatus extradati, fidem habent quam vidimata.

In genere de expeditionibus Comitatuum, Districtuum, Civitatum, Communitatum notandum, eas in negotiis eo pertinentibus esse publicas et authenticas.

§. 958. Transsumtio fit vel processu in Curia moto, ut vidimus alias; vel vero locus, vel persona authentica documentum in Archivo suo existens, vel per instantem allatum, ad petitionem ejus, in forma solenni copiari, et extradari facit. Si vel ipsius loci credibilis jura tangerent, literalia confici curantibus quidem ante annum, absque, post annum vero cuique erga Mandatum requisitorium (secus fidem non merentur) sub pœna 500 fl. debent extradari 1725: 43. Attingi debet in expeditione transsumtorum, an originale adsit in loco authentico, vel vero ille attulerit secum, qui transsumi fecerit, et, an ibi reliquerit? Si exstet in Capitulo vel Conventu, attingendum erit, an authentico protocollo loci insertum, vel vero tantum inter fragmenta et signaturas, sine ulla protocollatione, vel qualicunque demum authentia repertum sit 42: 1725. In transsumto transsumtorum vero, an originale transumti transsumendi exstiterit in loco authentico, et fato periverit? — Notario pro expeditione ad hospitium possunt acta dari, verum debent statim reponi, extraneis nullibi licet volvere et investigare acta loci credibilis, nisi in præsentia duorum Capitularium vel Conventualium 25: 1741. antiquæ consvetudines circa expeditiones, ut stylus, cera, zona, modo solito observandæ 1723: 59.

§. 959. De fide et vi literarum ex requisitis externis, quibus instructæ sunt, metienda observandum: 1.) Literæ originales publicæ et authen-

ticæ, id, quod ex professo et principaliter tractant, plene probant, (non vero id, quod tantum incidenter narrant) 1-mæ: 57. §. 12. 725: 52. 2) Transsumta originalium, quæ in Archivo alicujus loci credibilis inprotocollata et solemnisata exstant, æque probant in Judiciis, ac ipsa originalia 42: 1723. Sic etiam transsumta Tabularia, idest, quæ in processu, sub sigillo regio transsumuntur, prout et in processu, sub sigillo Judicii expedito, adeoque transsumto existentes copiæ, nam earum originalia parti adversæ Judicioque exhibita et approbata sunt. 3) Transsumta, quorum originalia in Archivo loci authentici exstant quidem, verum sine inprotocollatione, aut fine transsumtionis sunt adlata, non probant, quia nec pro ipso originali stat fidedignitas loci, ergo ipsum originale debet produci in judicio, et ibi discuti an sit validum vel non 2-dæ: 15. Idem tenendum, si per alium locum transsumta ad locum authenticum adferuntur pro iteranda transsumtione, quia non stat locus authenticus pro valore originalium, 2-dæ 15. Tale itaque transsumtum transsumti in Judicio jus radicale non probat, verum si in primo transumto locus authenticus recognoscat præexstitisse originales, factoque perivisse, valet pro defendendo quamdiu contrarium non docetur, Dec. 2: p. 30. sed non petitorio, idest, cum illo uti volens extra possessorium est, D. 4. p. 61.

§. 940. Si Testamenta exceperis, ad literas privatas non necessario requiritur sigillum; vel absque illo contra conficientes plane probant, sed pro conficiente (nisi adversa pars producat) non probant, si sint tantum unilaterales, et alter, cu-

jus interest, non recognoscat; quia nemo sibi testis. 1725: 41. Hinc, annotationes domesticæ privatæ pro nemine probant, (ut nec protocolla visitationis Ecclesiarum pro Ecclesiis, Dec. 5: 50.) excepto libro mercantili.

§. 941. Inter literas diversas per diversos productas, et sibi contradicentes, illa prævalet, quæ majori authentia et solemnitate gaudet, uti de teste diximus, si pares sint, se invicem elidunt, neutra probat. Si instrumenta speciei facti non sint applicabilia, possunt impugnari, vel si testes subscripti negent se subscripsisse; aliud est si non recordentur, vel contra claros instrumenti tenores interpretentur, D. 2: p. 50. Testamentum vel uno teste se adfuisse negante, ruit. Contra id, de quo principialiter agit instrumentum publicum, suis externis requisitis rite instructum, in regula non admittuntur testes, v. gr. quod fassio sit celebrata: verum quod expositionem, v. gr. causas vendendi, admittuntur; eo magis contra privata, si scilicet nulli adfuerunt tempore facti instrumenti, vel mortui sunt qui adfuisse et subscripsisse prætenduntur; uti etiam, si instrumentum, licet publicum, quoad formam externam false arguatur esse confectum, v. gr. per larvatum Dec. 5. p. 50. etc. Propter falsitatem externam est instrumentum seponibile, propter falsitatem intrinsecam, vel præjudicium, est invalidabile.

§. 942. Si quis, vel humano testimonio, vel literis (et non juramento) probet præexstitisse aliquod instrumentum et vel omnia sua literalia, vel illud in specie fato perivisse; ad defensionem sufficiet, non vero ad acquirendum 70: 1715. Matth. 2: 20. 58: 1545. v. gr. Præexistentiam

Donationis et Relatoriarum super statutione, cum subsequo antenatorum possessorio, et amissione actorum capitularium ejus temporis, docentem A. juris probam præstitisse negavit citata D. 4: 61. contra Tab. R. Pl. 208. Ast non tantum præexistentiam, verum et argumentum privatarum literarum, testibus supplevisse, vel pro Actore sufficit, quid quod, si culpa adversæ partis perierint, posterius illud etiam juramento.

CAPUT XII.

De Juramento.

§. 943. Juramentum judiciale. §. 944. Voluntarium triplex: oblatum, delatum, relatum. §. 945. Necessarium duplex: revelatorium, vel litis decisorium. §. 946. Regulæ juramentis imponendi et deponendi; §. 947. Continuantur. §. 948. De casu occulto. §. 949. An ab his regulis recedere integrum sit? §. 950. Delatum juramentum quando debeat, vel non debeat deponi vel referri. §. 951. Relaxatio juramenti judicialis. §. 952. In quibus causis non habet locum juramentum? 953. Effectus juramenti. §. 954. A juramenti impositione tamen datur appellata. §. 955. Non item a formula. §. 956. Jurandi obligatio quomodo transit ad successores? 957. Quid juris, si juramento ad hæredes transire nequeunti mors intercesserit?

§. 945.

Juramentum est contestatio, qua vindictam divinam provocamus, sub conditione falsiloquii moralis, seu, in casum, si sermo noster a mente

diversus fuerit; non ergo in casum falsiloquii logici, si scilicet sermo noster a re et objecto diversus fuerit; quia errare humanum est.

§. 944. Juramentum judiciale coram Judicio vel inde exmissis præstandum D. 1: 30. est vel voluntarium vel necessarium. Voluntarium tractatur inter partes de re tantum privatos tangente, cum subsequa tamen approbatione Judicis; estque triplex: oblatum, quod quis offert se juraturum, delatum, quo dat adversario facultatem jurandi, qui si deferenti referat, erit relatum.

§. 945. Necessarium Judex imponit, estque vel revelatorium, quod illi, quem vel lex præsumit, res alienas, vel saltem sibi et aliis communes apud se habere, vel ad quem deventio rei, aut jure præsumta possibilitas deventionis probatur, imponitur eo fine ut occulta res, vel quantitas aut qualitas illius resciatur, D. 6. p. 56. Ante appellatam debet deponi, quia sententia interlocutoria imponitur, nec finit litem, verum præparat ad finem. Vel litis decisorium, quod in defectu probarum imponitur per judicem, et finit litem. Hoc si illi imponatur, qui præsumtione, vel semiplene gravatur, vocatur purgatorium; si ille deponat qui semiplene probat, suppletorium; potest imponi etiam in foro appellationis, et recipit Appellatam usque ad Septemviratum. D. 23. p. 42.

§. 946. Regulæ juramenti præcipue necessarii sunt:

1) Alterutra parte plene probante, vel plenam probam offerente, non habet locum juramentum, 729: 27. et absque effectu defertur.

2) Actore nihil probante, reus simpliciter absolvitur, (demtis casibus occultis) juramentum per Judicem neutri imponitur. Nec tenetur Incattus oblatum Actoris juramentum acceptare, eo minus delatum præstare, vel referre) potest tamen, si velit.

3) Si Actor probet quidem semiplene, verum Incattus æque semiplene probet, vel Actoris probas evertat et diluat, vel, si uterque plene probet, pejor est conditio Actoris ac si nihil probaret; juramento non erit locus.

§. 947. 4) Si Actoris semiplenam probam Incattus non diluat, et Actori res sit cognita, cum versetur in facto proprio, illi imponitur suppletorium juramentum, v. gr. si diceret A. se dedisse Incatto mutuo, et semiplene probaret, possent partes inter se invicem offerre, deferre, quia uterque versantur in facto proprio; si nolint, Actori imponet Judex necessarium juramentum, prout etiam si Actor versetur in facto suo, Incattus vero in alieno, et I. nec deferret Actori, nec oblatum per ipsum acceptaret. Si vero Actor versaretur in facto alieno, Incattus vero in proprio vel sibi cognito, v. gr. affirmaret Incatto patrem suum dedisse, et vel oblatum Incatti juramentum non acceptaretur, vel eidem per Actorem non deferretur, Incatto imponet Judex purgatorium. Si vero uterque in facto alieno versentur, v. gr. probaret Actor semiplene, patrem ejus dedisse patri Incatti mutuo, licet Incattus probam non dilueret, tamen nec voluntario, nec necessario juramento esset locus, verum Incattus absolveretur.

§. 948. 5) Si casus in occulto intercessit, ita ut nec humano testimonio, nec literali documen-

to probari possit, atque I. et A. simul proprium vel cognitum est factum, potest juramentum offerri, deferri: si nolint, Incatto, (imprimis præsumtione gravato) imponet Judex juramentum. Si soli I. sit factum proprium, æque illi imponet, atque expensas eidem per A. temere causatas adjudicabit. Si neutri est factum proprium, vel cognitum, neuter potest deponere voluntarium, nec Judex imponere ulli, verum Incattum absolvere debebit, prout etiam tunc, si soli Actori nihil probanti esset res cognita, quia nihil est quod suppleat.

§. 949. 6) Si is, cui ex his regulis deberet imponi juramentum, perjurus et infamis sit, alteri parti, si illa omni exceptione major et intemeratæ vitæ sit, atque in facto proprio versetur, imponi potest juramentum. Attendi etiam debet, pro quo, vel contra quem militet præsumtio. Dicit quidem lex, etiam respici debere, an nobilis vel ignobilis sit juraturus, sed hoc in timorem Dei nullum habet influxum. Hinc eadem lex 27: 1729. dicit 7-mo: etiam ignobilem semiplene gravatum posse se juramento purgare, si itaque non gravatur, absolvi debet Actore non probante quin juret.

§. 950. Si deferens Actor honestæ famæ, et omni exceptione major sit, atque aliquid probet, I. super facto suo delatum deponere debet, vel referre deferenti; secus non, idest, si A. nihil probans deferat; sic conciliatur 50: 1729. cum 27: 1729. Ast, si Incattus deferat juramentum, et sit bonæ famæ, necessario deponi per Actorem vel referri debet Incatto. Si quis delatum semel juramentum revocet (quod, in regula quidem,

posteaquam acceptatum est, nisi novæ probæ superveniant, fieri non admittitur) non amplius poterit deferre, nec ab oblato acceptato possunt partes amplius recedere. Si tantum Procurator detulit, acceptavit vel obtulit, potest revocari.

§. 951. Juramentum etiam per Judicem impositum potest pars altera in causis privatis remittere: quia si Actor est, potest prætensioni suæ cedere, si Incattus, potest præstare, quod alter prætendit, ergo illa parte cujus interest, volente, absque juramento feretur sententia. Hinc, potest quis juramento ejus acquiescere, contra quem secus excipere, imo appellare posset, quod ei impositum sit, v. gr. perjurii suspecto.

§. 952. In criminalibus juramentum non habet locum, verum in dubio sistitur Actio, quin se purget I. juramento, etiamsi pro innocente non declaretur, et non a causa, verum tantum ab instantia absolvatur. Nec in aliis, ubi vel fama, vel alia ingens jactura subversatur. Nec in causis matrimonialibus, præterquam, si ex causa impotentiæ, alias nullo modo cognosci queuntis, matrimonii nullitas arguatur. Si eam alter conjugum prætendat, affirmans jurat, si uterque prætendat, ambo jurant. Nec debent partes justo gravius juramento gravari 23: 1625.

§. 955. Qui in lite jurat, triumphat; post juramentum, si secundum illud judicetur, nec potest appellari, censetur altera pars transegisse, non tantum in voluntario, verum etiam in necessario: ast perjurio probato vel confesso, novisari potest, secus non; pœna perjurii autem curreret in utroque casu, sive voluntarii, sive necessarii, et hujus sive appellati, sive non, una cum

rei restitutione, damnorumque et expensarum refusione.

Effectus vero recusati juramenti necessarii rite impositi, porro: delati rite, tamen nec depositi, nec relati, et denique relati non depositi, est semper amissio causæ.

§. 954. A juramento litis decisorio, per Judicem imposito, parti per illud gravandæ datur appellata ante depositionem ejus 30: 1729. v. gr. si Actor putet se plene probasse, et tamen vel illi suppletorium juramentum imponatur, vel Incatto purgatorium, potest appellare, eadem est ratio si ei imponatur, contra cujus personam alter excipit, et probat illi non posse tuto imponi; ita, si in tali negotio imponeretur, quod alias probas requirit, v. gr. ubi præexistentiam rei et amissionem deberet probare Actor, qui rem illam quam sibi perivisse prætendit, in altero desumere vult. Quia hæc, vel evidentia rei, vel testimonio humano debent probari, et postea erit quæstio, cui imputetur res perdita? secus esset, si jam de damni realitate in genere, et Auctore ejus, aut qualicunque prætensione constaret, et tantum quantitas ejus et qualitas ignoraretur; verum etiam in illo casu non secundum juramentum Actoris, quod æstimationem vel juramentum in litem vocatur (sive sit de veritate, sive de interesse, sive de affectione) verum secundum limitationem Judicis refundi debet 27: 1658. aliter fieri videmus in criminalibus, præexistentia enim probata amissio, vel quantitas rei, juramento læsi probatur, Dec. 21. Jan. 1797. causa Fisci Com. Beregh. Præstaret, ubicunque est possibile, damnum, aut quod interest, per Judicem taxari, et

damno affectum super ea taxatione jurare, eamque confimare.

§. 955. Ubi impositio juramenti non difficultatur, a formula ejus, per illum, contra quem juratur, elaborata, per Judicem ratihabita vel modificata, ante depositionem appellari non potest.

§. 956. Dum litigatur respectu rerum, quæ ad hæredes transeunt, transit etiam obligatio deponendi juramenti ad successores, v. gr. ad filium natu maximum, qui si non sit ætatis tantæ, ut juramentum deponere possit, exspectanda est ætas idonea, 1-mæ: 150. 2-dæ: 57. si quis filios non habeat, et bona filias non concernant, in fratrem transit juramenti depositio.

§. 957. Si impositio juramenti in foro appellatorio approbetur, et interea, donec processus redeat, moriatur is, a cui facta impositione alter appellaverat, juramentum pro deposito habetur, Dec. 5. p. 31. (quia appellans est in causa, quod non fuit depositum) non item, si ille solus appellavit et moriatur, qui jurare debuisset, qui si in facto sibi soli proprio vel cognito versabatur, lis ejus est perdita; si vero alter quoque appellaverat, melior est conditio Incatti vel successorum ejus. Ast licet quis necessarium non appellatum, morte præventus deponere non potuerit; tamen si in mora non fuerit, adversarius ejus perdidit. Voluntarium vero, quod per mortem deponere non licuit, rem, in regula, adhuc integram reliquit, nam probarum defectum non necessario supponit.

CAPUT XIII.

De Actibus judiciariis, qui ad terminationem litis pertinent.

§. 958. Sententiæ quotuplices? §. 959. Ab interlocutoria vim definitivæ habente datur appellata. §. 960. Requisita sententiæ. §. 961. Continuantur. §. 962. Sententia suppletoria. §. 963. Motiva sententiæ. §. 964. Sententia super expensis et fructibus, et quando currant fructus et expensæ? §. 965. Plenum judicium sub nullitate sententiæ requiritur. §. 966. Modus pronunciandæ sententiæ. §. 967. De Præsidis voto conclusivo. §. 968. Alii casus nullitatis sententiæ.

§. 958.

Sententia interlocutoria incidens aliqua quæstio superatur, v. gr. circa exceptiones, testes authenticandos, vel incidentalia birsagia, aut, quid cui incumbat facere vel probare in processu; definitiva ipsam principalem quæstionem causæ definit, et Incattum vel convincit vel absolvit. Interlocutoria simplex (v. gr. si exceptio meram formam tangens stabiliatur vel rejiciatur) non attingit principalis quæstionis decisionem, nec potest appellari, verum pro appellata declarari, ut forum revisorium post conclusum transmissumque processum eo magis in attentionem sumat, an rite sit lata; secus tacite consentietur, per Curiam quoque, nævus licet adsit, dissimulabitur, nec in exemplum trahi poterit. Interlocutoria vim definitivæ habens, afficit principalem et meritoriam quæstionem, licet indirecte tantum.

§. 959. A tali sententia (eo magis a definitiva) potest appellari, v. gr. si Actoratus ruat, vel ab Actione quis simpliciter amoveatur, D. 6. p. 40. uti supra dictum, vel cum juramentum litis decisorium imponitur, nonnunquam etiam a sententia super eo lata, quid cui incumbat probare, aut cum sententia calumniæ fertur, et quocunque demum modo meritum causæ periclitatur, quod non tantum circa Actionem et Actoratum, verum, vel circa Institutum, imo etiam circa Judicatum, fieri potest, 1807: 10. non tamen absque mandato transmissionali Dec. 4. p. 39. Dec. 9. p. 40. D. 20. p. 42. illud vero potest peti, non obsante vinculo, sub quo quis se obligavit, sententiam executioni dari permissurum, præcipue si mandatum sit ab ipso Rege Dec. 1. p. 180.

§. 960. Sententia definitiva, debet convictionem vel absolutionem, vel formaliter, vel saltem virtualiter in se continere. Debet esse clara, secus alia sententia debebit illustrari et declarari. Debet esse præcisa et absoluta, idest, non conditionata, secus non esset sententia, 5-ta Maji. 1798. Hafner. Debet esse de præsenti et non pro futuro, secus esset conditionata, si a tempore suspenderetur. Ubi natura causæ et petitionis actoreæ poscit, potest esse alternativa, vel disjunctiva, v. gr. vel superinscribat creditor prior, aut pignoratarius, idest, solvat creditori posteriori, vel levet summam inhærentem, et remittat bona etc.

§. 961. Sententia non debet, excedere Actionis sphæram, (nisi quoad illa, quæ necessario cum petitione in Actione posita connexa sunt, licet non sint expressa) secus oppositio habebit locum; quia tantum quoad illa est quis citatus, quæ in

Actione sunt. In criminalibus, etiam de illis potest ferri sententia, quæ in Actione non sunt, verum in defluo processu prodiverunt.

§. 962. Si quid in sententia omissum est, quod non debuisset omitti, debet alia sententia suppleri ad petitionem partis cujus interest. Ergo potest addi sententiæ, id scilicet decidere potest Judex quod hactenus indecisum reliquit; sed mutari non potest, præcipue definitiva, (nisi penes inviatoriam altioris fori sententiam pro continuatione et uberiori elucubratione remissa sit causa D. 5: 58.) licet nec alia temere mutanda; quamvis mere interlocutoriam sententiam, relate ad Judicem, in rem judicatam, ita ut illa mutari nequeat, abivisse, dici non possit, sententiæ meritoriæ, quoad illos, qui tardius ad possessorium venerunt, iterum pronunciantur.

§. 963. De Judicibus pedaneis primæ instantiæ notandum, quod illi partium momentosiora argumenta in deliberatione adducere soleant, imo etiam in fororum supremorum sententiis valde bonum est, si fundamentum sententiæ uno alteroque verbo attingatur, quia novisare volentem valde juvabit, si sciat, quid debeat evertere.

§. 964. Sæpe præter principalem petitionem debet ferri sententia de fructibus et expensis refundendis, damno ac detrimento corporis compensando 51: 1659. Fructus qualiter currant, et quando? vidimus sparsim. In genere notandum, quod malæ fidei possessor, præcipue admonitus, illos refundere teneatur 2: 71. Si extra Dominium appellans in foro superrevisorio triumphet, eidem res cum fructibus medio tempore ab adverso perceptis, reexecutione mediante restitui debebit in omnibus

processibus, quia res verò domino debet fructificare et in illum statum debet reponi, qui fuit ante executionem. Si vero quis appellet intra Dominium, et in foro superrevisorio succumbat, atque per omnia fora convictus fuerit, æque fructus et expensas, etiam si alias non currerent, a die appellatæ interpositæ triumphanti refundet, quod quidem quoad causas in partibus ventilari solitas, a die appellatæ Sedrialis sententiæ intelligendum 32: 1729. secus apud nos, bonae fidei possessor, in regula, D. 7. p. 172. nec exstantes fructus refundit, eo minus consumtos, imo, saepe expensas in rem factas bonificari sibi petit, imprimis si usu non sint compensatæ.

Circa expensas aeque sparsim diximus, qui sint illi casus, ubi lex adjudicationem illarum pro una vel altera parte ordinat? In genere notandum, quod quamvis vigore D. 5. p. 50. pœnalia absque expressa lege non possint ampliari, tamen expensæ, etiam non petente adversa parte, debeant refundi, ubi Judex, præcipue altior, videt absque ullo fundamento, et prorsus temere, vel vexandi studio litigatum esse, quia litigator talis pœnam meretur, sive sit Actor, sive Incattus sensu 32: 1729. verum, si Actor sponte sua cedat liti, Incattus non poterit expensas prætendere. Nec refunduntur expensae excessive factæ, vel culpa Actoris ipsius accumulatae, licet secus ex lege currerunt, v. gr. male adornavit processum, ut, vel condescendere, D. 5. p. 58. vel hinc inde mitti et remitti debuerit, v. gr. pro uberiore elucubratione etc. D. 5. p. 58. vel dolose ipse protraxerit litem, licet in fine triumphaverit etc. prout nec in criminalibus 5-tia Mart. 1801. Fisci

Theresiopol. Novisans, expensas etiam novi amissi refundet, si in fundamentali currebant, Dec. 27. p. 158.

Expensæ (etiam eventuales) possunt vel in sententia, vel vero in actu executionis, per exequentem, cum executionalibus et fructibus limitari D. 1. p. 58.

§. 965. Quoad externam formam sententiæ adhuc notanda sunt: quod ferri debeat in pleno Judicio. In Tab. Septemv. ex 21, undecim minimum, 24: 1725. adesse debent Judices. In Tab. Reg. ex 25, novem, 25: 1723. In Tabulis Districtualibus tres 51: 1723. (quia ex lege 5 tantum Judices erant, ast hodie plures sunt) in Sede Tavernicali 7, in foro Vice-Comitis: Vice-Comes, Judlium et Jurassor, in foro Judicis Nobilium, unus Judlium et Jurassor, in Civitatibus, prout moris est, in Sedibus dominalibus Judlium cum Jurassore, præter Præsidem et Convocatos. — Si extraneus est Præses, sufficit unus Convocatus præter Officiales dominales. In Sedria non est numerus determinatus, sufficiunt 4 Assessores, præter tres Magistratuales, Vice-Comitem scilicet, aut loco illius fungentem alium Præsidem, Judlium item, et Jurassorem. Nec comparere tenetur Incattus, nisi adsit plenum judicium, quia tantum in pleno judicio poterit sententia contumaciæ pronunciari.

§. 966. Sententia debet ferri de die, (excepta sententia contumaciæ, quæ in foris Comitatensibus ad lumen candelæ potest, et debet ferri), et ex scripto pronunciari in pleno judicio, et præsente (præter casum contumaciæ) succumbente, vel illius mandatario, cui tamen si adesse non placuerit, sententia per id non vitiatur. Si ad vota

res redeat, ultimus Judicum solet primo dare votum.

§. 967. Si paria sint vota, Præsidis votum concludet 51: 1723. in tali foro, in quo numerus Judicum ad ferendam sententiam necessarius determinatus est, et plures adsint quam deberent; alias, calculum Minervæ (quod scilicet, jure naturali, in votorum paritate absolventia vota prævaleant) lex nostra non sustulit, ast simul, ne is casus facile enascatur, necessarium pro foris altioribus Judicum numerum, impari numero determinando, præsides inferiorum fororum, quibus numerum Judicum non defixit, ut eos impari numero adhibeant, tacite monitos voluisse videri potest.

§. 968. Die feriali sententia pronunciata est nulla, ut etiam quæ non in pleno Judicio, vel non de die est pronunciata, vel non in loco per legem defixo, vel mortuo Incatto D. 9: 47. Sic, non tantum ex inactivitate et incapacitate, verum etiam ex incompetentia Judicatus est sententia ipso jure nulla, et licet opponere, si manifesta est incompetentia, verum præstat Mandato, ante sententiam quidem, Judicatus Inhibitorio, post vero latam sententiam talem aut etiam definitivam per Judicem incompetentem pronunciatam, si causa extra Dominium est appellabilis, cassatorio, vel saltem transmissionali intra Dominium, uti ex motivo illo, quod quæstiones subversentur, quæ fori pedanei activitatem excedunt.

§. 969. Executio per quem peragitur. §. 970. Terminus ejus. §. 971. Observationes practicæ circa illam, §. 972. Continuantur. §. 973. Pignus judiciale.

§. 969.

Executionem peragit Judex primæ instantiæ, licet processus ad fora altiora devenerit, et inde remissus sit, nisi birsagia in Curia adnexa fuerint, quæ Judex tabularis (si volet) exequetur. Si ex Curia Processus pro executione vel reexecutione remissus est, is cujus interest, exmitti petet Judicem procedentem pro executione. Si causa extra dominium appellabilis fuit, in aliquibus Comitatibus, sententiam V. Comitis Judex Nobilium cum Jurassore, Judicis Nobilium vero Jurassor solus, absque exmissione Comitatus, exequitur, qui nec a V. Comite vel Judice Nobilium abesse potest. Sententiam Tab. Regiæ, Protonotarius, aut aliquis ex Assessoribus exmittendus, Tabul. District. æque unus exmissus Assessor, civilis Magistratus sententiam, prout moris est, vel Senator exmissus, vel Capitaneus Civitatis. In Sedibus dominalibus exmissus e Sede dominali officialis dominalis, requisito ad illum actum etiam testimonio articulari, idest, Judice Nobilium cum Jurassore. Sacrarum Sedium sententiam, Judex secularis, penes compassuales Episcopi vel Vicarii Generalis exmittendus Ulad. 2: 16, 17.

§. 970. Executionis terminus (cum paribus (sententiæ) judicialiter insinuandus est exequendo, secus poterit se opponere. Si vero lata sententia statim executioni detur, v. gr. in foris non nobilitaribus, aut in convictiva sententia tempus executioni præfigatur (quod non potest 15 diebus minus esse 1723: 52.) non est necesse insinuare. Debet executio peragi coram testibus convocatis, 2dæ: 74. §. 8. v. gr. vicinis, commetaneis, saltem Juratis loci, ut sit actus solennis, secus oppositio-

ni locus datur, sensu D. 17: 128. et eorum nomina in literas executionales debent inseri eod. 2-dæ: 74.

§. 971. Debet sententia per exequentem Judicem ex originali vel authentico publicari, idest, perlegi et explicari in facie loci. Si fundum denominandi facultas convicto competat, ut in casibus debiti, in regula, damni, aut birsagialibus, debet ipsi deferri ut denominet 1725: 52. verum fructuosa et in pecuniam convertibilia 51: 1659. Si habet fundum sub jurisdictione Judicis exequentis, et tamen alibi denominat, non acceptatur, verum, Actore denominante, executio peragitur. Si non habet, penes compassuales (et sententiam convictivam alteri Judici transmissam) fit executio 2-dæ: 65. 1725: 52. quas non potest Civitas absque altiori auctoritate ad Comitatum mittere; verum Comitatus potest ad Civitates, in causis debiti, damni; in causis vero bona civilia tangentibus non habent locum compassuales, quia quemadmodum bona nobilitaria civili foro non subsunt, ita nec civilia nobilitari. Ad reexecutionem remissa per Curiam causa, Judex non habet opus compassualibus, quia auctoritate Tabulæ Regiæ agit, et in quocunque Comitatu sita bona potest reexequi. Præstat tamen processum remissum ad aliorum Comitatuum Judices mittere, qui æque reexecutionem peragent.

§. 972. Si convictus habeat bona in manibus suis, et tamen fundum denominaret, qui est apud alium in pignore, non debet acceptari, quia superinscriptio tunc habet locum, quando nullus apud convictum fundus superest. In birsagialibus prout etiam damnis, In defectu pecuniæ, res mo-

biles primo debent executioni subjici, juxta verum valorem, si illæ non adsint, immobiles 86: 2-dæ. Si exequendus bona cum reliquis fratribus indivisa habeat, prius illorum portiones a convicti portione sunt exscindendæ 60: 2-dæ.

§. 973. Res in specie adjudicata et in executionem sumta manet apud victorem. Si vero ob debita, damna, birsagia etc. est executio peracta, bona erunt in pignore judiciali, nobilitaria quidem quandocunque, civilia vero, (quo etiam oppidana, vel quocunque sub censu dominali existentia referenda videntur) 17: 1792. intra annum et diem redimenda; mobilia (secus ac olim sensu D. 21. p. 202. fuisse videtur) vel nunquam redimuntur, vel nonnisi intra 15 dies ab executione peracta, aut intra terminum per Judicem exequentem præfixum.

§. 974. Aestimatio triplex, §. 975. Observationes practicæ quoad condignam, circa res mobiles et fundos, in processibus damni, debiti, et birsagialibus, §. 976. Circa melioriationes fundo investitas.

§. 974.

Æstimatio est vel communis, vel condigna, vel perennalis. Communis est titulo 133: 1-mæ expressa. Condigna fit juxta verum rei valorem. Perennalis decies tanta est quam communis, v. gr. una sessio populosa æstimatione communi æstimatur una marca, 4 fl. faciente, perennali vero secundum 133: 1-mæ, 40 fl. Communis tam in rebus mobilibus, quam immobilibus habet locum, perennalis vero nonnisi in rebus immobilibus.

§. 975. Communis et perennalis æstimatio hodie nonnisi ibi adhibetur, ubi lex, vel contractus ita jubet, quia 95: 1-mæ. 27: 1658. condignam et conscientiosam æstimationem præcipiunt. Res mobiles itaque tanti æstimandæ, in debitis et birsagialibus, quanti emi et vendi possunt, fundi vero immobiles fructuosi, ut agri, prata, proportione proventuum, tanti, qualis capitalis interusurium, (6 per centum) in puro lucro important, v. gr. ex fertiliori agro 1100 orgyæ uni jugero tribuuntur, ex steriliori 1200, vel plures, et convocati æstimatores interrogandi sub juramento, quot diebus, et pro quanta pecunia aratura, seminatura, occatio peragatur, seminatura quanti valoris frumentum requirat, quot cruces procreentur, quantum una crux reddat, quanti constent messores, trituratores? hæc omnia ex procreationis in pecuniam conversæ summæ subtrahuntur, quod remanet, (medio locali pretio) erit purum lucrum. Si tertius annus vacet a seminatura, una tertia adhuc ex data summa subtrahi debet. Sic: quoad prata, quanti possit fenum vendi quod crescit in uno jugero, quid remaneat subtractis expensis?

§. 976. Res quæ per naturam fundo immobili affixæ sunt, v. gr. arundineta, silvæ etc. pro ratione utilitatis æstimandæ; per industriam humanam fundo affixæ vero, v. gr. ædificia in divisionalibus, reluitoriis, vel invalidatoriis, nonnunquam etiam proportionalibus processibus, æstimantur, 1-mæ 41. præsente, et ubi necesse fuerit, admonente Judice, per artis peritos quidem exstructa, æque per artis peritos, sub juramento, D. 2. p. 44. cum impensarum specificatione. v. gr.

quot orgyas faciat murus, quanti orgya constet? etc. rurali opera facta vero per rusticos tantum et juratos possessionis summarie, idest, non cum specificatione tam exacta, sed tamen sub juramento D. 5:45. Exstirpaturæ, urbarialiter quidem, pro difficultate vel facilitate laboris impensi in quatuor classes dividuntur, et jugeratim per 2, 3, 4, et 5 flor. colono exsolvuntur; ast in processibus reluitoriis (imo jam ut experimur, etiam urbarialibus) secundum numerum dierum, quibus peragi potuerunt. (Præstitissset ante exstirpationem æstimare exstirpanda aliquando liquidanda, vel plane occasione oppignorationis, v. gr. pratorum, vinearum etc.) Arbores fructiferæ plerumque numerantur, et quid singillatim, pro locorum consvetudinibus valeant, computatur. Quoad vineas: quot urnarum vel vasorum vina, anno mediocri, proveniant, quanti vendantur medio pretio locali, quæ expensæ annuæ, v. gr. secundum numerum fossorum, Dec. 9: 45. Ædificia pro debitis in executionem sumenda, non quanti constarent, prout in reluitoriis et invalidatoriis, verum ratione fructus æstimantur, subtracta certa parte proventuum, v. gr. decima, velut ad conservationem ædificiorum convertenda. In civitatibus ad licitationem recurritur.

Si proventus bonorum absque sumtibus possessoris creverunt, id, in reluitoriis et invalidatoriis processibus, D. 5: 45. æstimari et refundi non debent; nec medio tempore in conservationem ædificiorum factæ expensæ veniunt in censum, D. 4: 45. nec materialia quæ ex ipso fundo accepit possessor, D. 12. p. 46. nec ædificia Deo consecrata, D. 7: p. 45. Contra: omnes expensis pro-

curatæ meliorationes, sumtus neoacquistici processus, D. 1: p. 44. nec non impopulationes, quæ sumtibus constituerunt, Dec. 6: p. 45. debent refundi.

§. 977. Levata vel plane processus Executionalis. §. 978. Renovatio sententiæ intra annum executioni non datæ. §. 979. Correctorium Institutum. §. 980. Meritum ejus. §. 981. Extensio recentior. §. 982. Pœna sententias exequi nolentium.

§. 977.

Processus ex hac materia sunt:

Primo executionalis. Executio plerumque peragitur ita, uti descripsimus, absque ulla ulteriori levata, allegatione aut sententia. Verum si res sit paulo intricatior, et multæ quæstiones adhuc tempore executionis enasci possint, ne res per mutuos partium clamores et pertinaciam in longum extrahatur, bene facit triumphans, si levatam suam paret, illamque Judicii præsentet, ut si nefors pars victa difficultates moveat, omnia scripto ventilentur, et per Judicem exequentem decidantur. Levatam illam ita adornabit: „Levata est ad executionem causa T. contra T. pro triumphante Actore, producit sententiam, vel processum, et testimoniales super peracta termini executionis insinuatione etc.“ — Producere debet præterea, si quid in rem suam habet, v. gr. in debiti processibus elaborationem interusurii, expensarum etc. sicque fundamento Ulad. D. 6. articuli 1-mi executionem petere. Si quid convicta pars contra habeat, debet illa post comparitio-

nem allegative adducere, et Judex super eo delibe rare, et quod deliberavit, agere. Hinc processus potest etiam moveri, si executio contra defuncti convicti successores est dirigenda, qui si obvertant, se convicto in nulla re successisse, appellata ipsis admitti debet, D. 16: 41. Porro: quando Judex, qui sententiam tulit, non potest exequi, vel quod simpliciter non habeat jus exequendi, v. gr. Sedes spiritualis in rebus secularibus, D. p. 203. (in quo casu expensæ quoque processuales current) aut Camera in rebus, quas via 15: 1715. 15: 1723. judicat, vel quod fundus sub jurisdictione alterius Judicis jaceat. Actio ad executionem, ubi necesse est, erecta, fundari potest in Ulad. D. 6. art. 1-mo. et 2: 9. citatur exequendus, et simul idem terminus ipsi pro executione præfigitur.

§. 978. Secundus ad revocationem sententiæ, si scilicet sententia intra annum non fuit executioni data. Renovatio sententiæ, præcipue pro foris inferioribus, potest fieri vel per Mandatum renovatorio-executionale in 31: 1574. 2-dæ, 33: 1725. vel vero penes libellum in iisdem legibus fundatum. Judex parti convictæ terminum pro renovatione et executione præfiget, tunc sententiam, post levatam et comparitionem, processu primævo per A. producto, pro renovata declarabit, atque exequetur. Terminato processu oppositionali, insinuatio executionis, etiam ad renovationem sententiæ fundamentalis dirigitur. Licet erga Mandatum procedatur, tamen debet executionis terminus insinuari, D. 5: 134. secus I. licite opponet. Si alii sint in bonorum adjudicatorum possessorio, non illi qui convicti erant, non potest immediate ad executionem procedi, verum

illi citari, et convinci debent, et ita executio præfigi D. 1, 2. p. 154. Qui post latam sententiam omne jus suum in alterum transtulit, non potest ad renovationem agere, D. 4. p. 154. An huic processui, quoad jus, litem, vel utrumque, vel neutrum præscribatur, id a natura primævi processus pendet, vid. libr. 2. de præscript. Si congenerationales agant ad renovationem, actoratum, jus scilicet cum A. commune probare debent. Si non est terminata executio, ad continuationem ejus terminus præfigitur intra annum.

§. 979. Tertius ad correctionem executionis. Potest moveri intra 32 annos tam per triumphantem, quam per convictum, cui in actu executionis aliquid præjudicii illatum est, v. gr. non est bene facta æstimatio, insufficiens fundus est triumphanti adsignatus D. 2. p. 44. Correctorio processu vel mandato, non quæ nulla est, verum defectu laborans et erronea executio corrigitur et semper requirit citationem Dec. ead. Convictus oppositione vel reoccupatione etiam potuisset uti, suo tempore, si ad correctionem agere potest, non item vice versa, nam oppositio non tantum propter nævos executionis, verum etiam propter antecedentes fieri potest. Actio fundatur in 55: 1723.

§. 980. Probari debet, in ipsa executione intervenisse errorem facto Judicis (non facto partium Dec. 2. p. 155. vel post executionem) nec ratihabitum facto Actoris subsequo D. 5. p. 16. sic enim institutum condescendet, prout etiam si facto partium est substratum actionis mutatum D. 1. p. 155. Si in sententia fuit error, v. gr. non est adjudicatum in omne, quod Actor petiit, id ad

viam novi, vel appellatæ pertinet Dec. 3. p. 155. Si vero plus adjudicatum, vel sententia ambigua est, potest se Incattus opponere, si contra ipsum interpretetur Judex exequens. Fructus Actori triumphanti refunduntur 11: 1807.

§. 981. Si oppositio binaria futura erat, vel propter sententiam actionis sphæram, eo magis propter executionem sententiæ sphæram excedentem, non oppositione, verum correctorio Instituto, post executionem, erit utendum 11: 1807. in aliis casibus, factum sententiam ferentis non est objectum correctorii instituti, verum oppositionis, reoccupationis, aut reexecutorii mandati vel instituti.

§. 982. Quartus contra Judices sententias exequi nolentes, 25: 1552. 45: 1588. Contra Civitates sententias sacræ Sedis, quoad pœnas temporales, et bona temporalia latas, et medio compassualium transmissas, exequi nolentes, actio fundatur in 29: 1662. — Defluit coram illo, quem Comitatui exmittere placebit, v. gr. Vice-Comite, vel Judlium; ex bonis Civitatis peragatur S. Sedis sententiæ executio. Appellatur ad Sedriam intra, inde extra Dominium. Expensæ currunt D. p. 202. Si quis vero Judex sententiam fori secularis, vel suam, aut ad se per Curiam remissam, nolit exequi, vigore Ulad. 5: 9. convincitur in 100 fl. coram Tabula Regia, et refusione damnorum et expensarum. 100 fl. dividuntur inter Actorem et Judicem Tabularem exequentem. In hoc casu (si quidem potest) contra Civitates coram Vice-Comite procedendum videtur. Vid. Lib. II. Cap. 22. §. 22.

III.) DE REMEDIIS JURIDCIS.

Quibus scilicet errores in processu commissi emendantur, vel effectus sententiæ suspenditur; ex quibus, quædam ante sententiam, v. gr. depositio, revocatio Procuratoris; alia post sententiam, v. gr. revocatio Procuratoris, prohibita, appellata; alia occasione executionis, v. gr. oppositio, repulsio; alia post executionem, v. gr. reoccupatio, via novi; alia vero promiscue adhibentur, v. gr. Mandato judicialia.

CAPUT XIV.

De Depositione.

§. 983. Duo deponendæ litis motiva. §. 984. Vel ex toto, vel ex parte. §. 985. Anteactorum quidem occasione levatæ. §. 986. In currente vero jam processu usque quo potest fieri? §. 987. Quoties et per quem? §. 988. Cum onere, §. 989. Et expensarum incattearum refusione. §. 990. Cessio litis non est depositio. §. 991. Depositio ante levatam. §. 992. Observationes quædam practicæ.

§. 985.

Depositio est remedium juridicum, quo Actor aut Plenipotentiarius, vel saltem Procurator ejus causam pendentem, cum legalibus oneribus, cassat, 2-dæ: 82. 1729: 40. cum pœnale foret Actionem erexisse, et litem continuare, v. gr. in casibus calumniæ et indebitæ; aut, cum non est quidem pœnale litigare, estque Actioni locus, verum ita est adornata, ut acquisitioni actoreæ noceat. Hinc, licet non possit totum probari, quod in Ac-

tione est, non tamen opus est depositione si non sit pœnale et non noceat Actori, v. gr. si inactionavi 10 sessiones, et tantum quoad 5 possum probare, non est necesse depositione uti, verum, si volo, possum quoad 5 alias prætensioni cedere, absque expensis Dec. 4. pag. 59. vel I. quoad 5 absolvetur.

§. 984. Si actio tota deponatur, ruit processus totus. Si partem tantum actionis velit quis deponere, hoc ita debet et potest fieri, ut sensus maneat integer. — Potest depositio fieri etiam quoad aliquot vocabula, sed si substantiam actionis tangant, v. gr. gradus genealogicus sit in actione erronee positus, tota actio, (vi D. 12. p. 8. condescensioni obnoxia) deponenda est: non enim admittitur talis partis depositio, quæ ipsum fundamentum actionis afficit, Dec. 5. p. 28. Correctione, vel potius vitiatione actionis adtentata ruit processus.

§. 985. In ipso limine processus, idest in levata quoque potest generaliter deponi id omne, quod, velut antiquius factum, Actioni obsistere posset, ne comparens I. pœnam calumniæ petat, v. gr. si nefors, actionem quoad idem substratum erexerit A. vel antenati ejus D. 1. pag. 27. et tunc magna disputatio potest enasci, an A. debeat specificare, quid deponat, D. 2. p. 27. ut sic I. refusionem expensarum possit petere, an vero (ut mihi videtur) I. debeat liquidare expensas antea factas D. 5. p. 27.

§. 986. Depositio currentis processus vero, si tempore levatæ non est depositus, fit in ipso processu allegative, ante latam finalem sententiam, in processu autem queruloso in prima instantia

23: 1547. idest, ante pœnam indebitæ per Incattum petitam, in casibus pœnæ calumniæ obnoxiis, ante productionem documentorum ad decisionem pertinentium, 40: 1729. vel, ut praxis est, ante petitam pœnam calumniæ, tardius enim nec cum revocatione potest adhiberi.

§. 987. In omni processu habet locum, et in omnibus foris, et quidem in eodem processu, toties quoties, D. 4. p. 28. nisi quod Actor, qui ex onere birsagiali per adversarium suum nefors deposito participavit, depositione uti non possit, eod. 40. etiam Mandatum erronee impetratum potest deponi, vel in toto, vel in parte.

§. 988. Onus depositionis, in Tabulis, Regia, Banali, Judiciaria Croatica, Districtualibus, fl. 6, coram S. Sedibus, Civitatibus, item in Comitatensibus causis florenos tres facit. Hujus oneris duæ tertiæ Judici, una tertia Incatto cedit, si illi placet, verum tales minutiæ Judici soli solent relinqui, vel propterea, ne videatur approbare depositionem, si ex onere participat Incattus.

§. 989. Expensas Incatti secundum limitationem Judicis debet Actor refundere, vel fundum adsignare, v. gr. res suas nefors apud I. existentes. Et quidem licet factum patris deponatur, tamen successor et expensas per patrem suum causatas debet refundere, quia in actione rei persecutoria hæres præstat factum illius cujus hæres est, idest, fert onera realia et rei inhærentia cum juribus defuncti ad ipsum devoluta, 1729: 40. §. 3. Dec. 1: p. 166. pœnam vero ob patris factum filius non incurrit semper, v. gr. calumniæ, si facto ejus non inhæreat. Onus depositionis non videtur esse pœna, sed taxa. Si partem tantum actionis

quis deposuit, partem tantum expensarum incattearum refundit.

§. 990. Qui actioni (toti vel parti ejus) cedit, nec onus, nec expensas ullas refundit, non est depositio: quia id non amplius petet, cui jam renuntiavit: verum qui deponit actionem, suam prætensionem non cassat, nisi propterea deponat, quod illi factum anterius obstet, v. gr. transactio, vel amica compositio; quia si tale quid intervenit, non potest actio ad acquirendam rem illam erigi; si erecta est, deponi debet; verum ad invalidationem potest agi.

§. 991. Si quis ante Levatam deponat Actionem vel Citationem, quod ad evitandas expensas, et antevertendam Levatam ex paribus, potest fieri per insinuationem judiciariam) tunc onus et expensas, si quæ liquidari et legitimari poterunt, refundet, cum aliam actionem eriget, quia tantisper cedere illi præsumitur.

§. 992. Occasione depositionis onus deponi, Incattus ad suam ratam tollendam allegative admoneri, (si scilicet post Levatam, vel occasione ejus fiat depositio) testimoniales a Judice extrahi, item facultas litem resuscitandi reservari solet, si scilicet resuscitare integrum sit.

CAPUT XV.

De revocatione Procuratoris.

§. 993. Revocatio Procuratoris quotuplex, per quem adhibetur, et ubi? §. 994. De allegationibus et Procuratore revocatis. §. 995. A qua-

litate causarum, prout sunt brevis, vel longæ litis, §. 996. Idest, unius, vel plurium terminorum, §. 997. Pendet tempus revocationis. §. 998. Onus ejus minus vel majus. §. 999. Propter judicialem revocationem in regula minus, raro majus onus solvitur. §. 1000. Dubius 29: 1729. sensus.

§. 993.

Revocatio Procuratoris est remedium juridicum, quo litigans, præter consensum suum per Procuratorem dicta et facta retractat 2-dæ 79. 1729: 59. Judicialis revocatio debet fieri per præsentem coram Judice sive ipsum Principalem, sive Plenipotentiarium ejus; Extrajudicialis coram loco credibili 2-dæ 81. deinde invalidatorio agi sensu 1-mæ 60. 61, 128. 2-dæ 11, 12.

§. 994. Quod cum scitu ipsius Principalis vel Plenipotentiarii est in processum inductum, non potest revocari, verum Procuratoris omnia dicta et facta possunt, etiam ipsa literalia instrumenta per eum nefors intempestive producta, quæ tamen per id vim suam non amittunt. — Revocatio habet locum toties quoties, in omnibus processibus, præter quinque antiquos casus actus majoris potentiæ 1550: 56. aut illos, in quibus juridica remedia lege, vel contractu præscissa sunt. Allegationes revocatæ eadem die, in Tabula Regia vero 1807: 8. intra triduum nova allegatione suppleri debent, nec possunt iterum in processum induci, nisi propterea sit revocatus Procurator, quod exceptiva neglexerit, ut se incaute in meritum immiserit 59: 1729. ast ob quamcunque rationem revocatus, absque ulteriori constitutione in eodem processu permittitur agere.

§. 995. Ut tempus revocationis sciri possit, sciendum est, alias causas brevis litis, alias vero longæ litis esse. Brevis litis sunt causæ omnes in foris pedaneis tractari solitæ. In Tab. Reg. moveri solitæ, aliæ sunt brevis litis, aliæ longæ litis. Longæ litis sunt omnes juris processus lato sensu ita dicti, idest, in quibus privilegii discussio subversatur, qui sint illi, vidimus sparsim. Præterea invalidatorii ex præjudicio, quia facile degenerant in juris processum; brevis litis sunt invalidatorii ex non facta præmonitione, ut omnes reliqui.

§. 996. Cum octavalia Judicia vigebant, 1-mæ: 45. §. 1. 2-dæ: 18. §. 4. quædam causæ uno, quædam vero pluribus terminis octavalibus debebant finiri; et hinc orta est distinctio inter brevis et longæ litis causas, prout scilicet uno vel pluribus, summum quatuor terminis definiebantur. Licet vero jam Tabula Regia fixum et stabile forum sit, adeoque octavales termini cessaverint, et una quæque lis tot terminos habeat, quot terminis judicialibus finiri possit; tamen longæ litis causæ hucdum plurimum terminorum esse dicuntur; nomine autem eorum, non tempus illud quod inter duo juristitia intercedit, et quod terminus judiciorum vocatur, verum variæ processus periodi intelliguntur; scilicet: fundamentalis processus vocatur primus causæ terminus, repulsionalis vero ultimus. In fundamentali (prohibitis etiam huc intellectis) processus in anterioribus, in repulsionali vero in ultimo termino verti dicitur, D. 1. p. 28. Quamvis autem penes Novum idem possit fieri, quod penes repulsionem, Novum tamen, cum agitur de terminis, numerum eorum non ingreditur, quia, etiam sic dictis uni-

us termini causis commune est, et per convictum post executionem adhibetur.

§. 997. His præmissis observandum: 1·) Ante sententiam definitivam semper admittitur revocatio, sive sit causa brevis, sive longæ litis, sive versetur longæ litis causa in anterioribus, sive in ultimo termino, sive in Novo, sive allegationes ejusdem termini revocentur, in quo actu processus decurrit, sive priorum terminorum. 2.) Post sententiam definitivam, in causis coram foris pedaneis verti solitis, nonnisi in novo admittitur revocatio allegationum fundamentalis processus, in tabularibus brevis litis vero, penes prohibitam D. 5. p. 28. et in novo. In longæ litis processibus autem in primo termino pariter penes prohibitam; in ultimo termino vero post sententiam definitivam in eodem latam non admittitur 59: 1729. (nisi fors in primo termino prohibita adhuc bis non sit interposita, adeoque in ultimo termino interponatur). 3.) In novo solus novisans potest allegata fundamentalis processus revocare, non novisatus Dec. 2. p. 28. quia novisans utitur novo, verum novi allegata etiam novisatus potest. 4.) Levata vel Comparitio eadem die, in Tabula vero Regia intra triduum debet revocari, secus alia adornari non poterit.

§. 998. Onus revocationis est vel majus, vel minus; majus est 200 fl. minus, coram Tabulis 6 fl. coram Comitatibus et Civitatibus vero 3 fl. nisi in Civitatibus quibusdam aliter esset in praxi, 3-tiæ: 11.

§. 999. Judicialia acta Procuratoris, in regula, cum minori onere revocantur, (etiam ipsa die latæ sententiæ, secus ac 2-dæ: 80.) cujus una

tertia adversæ parti, duæ 5-tiæ Judici cedunt; si adversa pars allegative admonita ratam suam levare nolit, etiam illa cedit Judici, 5-tiæ: 6. Si quis vero in fundamentali convictus, in repulsionali æque per omnia fora convincatur, et cum gratia noviset, nonnisi cum majori onere poterit revocare, D. 1. p. 28. Eadem est taxa revocationis extrajudicialis 2-dæ. 81.

§. 1000. Vi Tituli 80: 1-mæ post sententiam latam, ultima judiciorum die, aut in sequentibus octavis vel brevibus, cum 200 fl. fiebat revocatio. In hujus legis locum (cessantibus jam alioquin octavalibus terminis) 39: 1729. hoc substituit: ut, si post sententiam latam facto partium extrahatur causa in sequentem terminum judiciorum, et nullo juridico remedio sistatur executio, revocatio æque cum 200 fl. fiat; sed, quia hodie revocatio, post definitivam sententiam, in causis inferiorum fororum quidem citra Novum, in causis vero tabularibus citra prohibitam, repulsionem vel Novum non admittitur, prohibita vero die latæ sententiæ debet interponi, 200 fl. taxa vix alio in casu habebit locum, quam in novo cum gratia; licet aliqui censeant, eandem esse rationem etiam novi simplicis, cum nec ibi sit adhibitum, et sæpe nec potuit adhiberi ullum juridicum remedium quod executionem stitisset, et quidem de omni novo, sive longæ, sive brevis litis, sive Tabularium, sive Comitatensium processuum, hoc intelligunt; verum probabilius videtur in novo simplici cum minori onere posse revocari.

CAPUT XVI.

De Prohibita.

§. 1001. Prohibita et ratio ejus. §. 1002. Modus eam adhibendi, et taxa.

§. 1001.

Prohibita est remedium juridicum, quo pars succumbens, sententiam in processu tabulari latam ipsa die latæ sententiæ executioni dari vetat, 2-dæ: 58. 1729: 58. ne per novum Judicium debeat remedium quærere. Prohibitæ ratio statim sequenti termino dari debet per prohibentem, idest, nova argumenta sententiam evertentia debent induci; secus prohibita non stat, et sententia manet, 1807: 8. ut adeo, etiamsi sufficientes probas, verum post longius tempus adferat, non audiatur, Novo debebit uti, D. 2. p. 29.

§. 1002. Adhiberi potest sive sit sententia ex merito, sive ex contumacia lata, sive sit interlocutoria. Sed ad exceptiva non dat regressum, nisi revocatio accesserit, 1729: 59. D. 3: p. 28. D. 6. p. 32. Adhiberi potest in eodem negotio bis, sub decursu totius processus, non autem quoad singulum causæ terminum, v. gr. si quis in fundamentali processu bis prohibuit, in repulsionali vel Novo non poterit prohibere, D. 1: p. 28. 16: 1792. Prima absque ullo onere interponitur, secunda cum onere sex florenorum, in una tertia adversæ parti, in duabus tertiis vero Judici, idest, referenti cedentium. Si ideo absolvatur Incattus, quod Actor causam non est prosecutus, prohibita non opitulatur; nova citatio debet fieri, D. 4: 29. Si sen-

tentia ultima die termini feratur, etiam prohibita tunc interponitur, D. 5: 29. secus ac 58: 1729. disponit. Evictor etiam onus debet solvere, si evincendus antea prohibita prima usus est. Ratione communis juris per unum interposita, omnibus inservit.

CAPUT XVII.

De Appellatione.

§. 1003. Appellare qui non possunt? §. 1004. Continuantur causæ inappellabiles. §. 1005. Non appellantis, licet gravati, nulla ratio habetur. §. 1006. Usus Novi et appellatæ. §. 1007. Tempus appellatæ interponendæ et prosequendæ, prout quis A. vel I. fuerit, hic vero intra vel extra Dominium appellaverit. §. 1008. An appellata via novi suppleatur et usque quo? §. 1009. Ubi et unde dicuntur processus referri vel transmitti. §. 1010. De causis criminalibus qualiter appellandis. §. 1011. Gradualis appellata quæ est. §. 1012. Appellare intra vel extra Dominium quid significat? §. 1013. Nulla sententia differt ab injusta, prout legitima convictio differt a justa et illegitima ab injusta.

§. 1003.

Appellatio est juridicum remedium, quo, per sententiam inferioris Judicis gravatus, causam pro maturiori discussione ad superiorem Judicem provocat, ec transmitti vel referri postulat. Qui ergo facto proprio, licet omissivo, gravatur, v. gr. in contumacia mere per non venit convictus, non

potest appellare, prout nec A. non levans, Incalto absoluto, vel qui contractu renunciavit appellatæ; quia si tantum in genere juridicis remediis renunciavit, non censetur appellatæ extra Dominium persequendæ renunciasse 729: 28. §. 17. idem sentiendum de casibus, in quibus Juridica remedia in genere tantum sunt præscissa, nisi expresse appellata præscindatur, 60: 725. 31: 1681. Nec ab interlocutoria sententia licet appellare, excipiendo ea, quæ de processu impensionali, 1729: 50. Actione, (quando quis ab illa simpliciter amovetur) Actoratus, et juramenti incompetentia, et de instituto Cap. 13. diximus D. 4: p. 59. Ast, qualiscunque, licet mere interlocutoria sententia si non sit favorabilis, pro appellata declarari, vel saltem, appellandi, aut id quod juris est faciendi facultas reservari solet, eo quod, post finalem causæ decisionem et transmissionem forum revisorium magis in attentionem sumet.

§. 1004. Qui causam ad Curiam regiam appellat, et ibi etiam amittit, et novisando iterum succumbit, a primæ instantiæ Judice non potest appellare. Idem tenendum de illo, qui in processu tabulari in utraque Tabula succumbit, si cum gratia noviset, verbo: de omni illo, ad cujus instantiam jam causa totam Curiam peragraverit, 1729: 50. D. 7, 8: 40. et 12. Jan. 1814. Meszlényi. Attestari nolentes in 64 flor. convicti, æque non possunt appellare, 1729: 50. §. 4. Neque causæ juramento sive necessario, sive voluntario secundum juramentum, et intra fines illius, aut transactione terminatæ, vel secundum propriam confessionem decisæ admittunt appellatam. Dictæ causæ etiamsi veniant ad Curiam, non revidentur, (ex-

ceptis alias dictis casibus paucis penes Mandatum transmissionale D. 4: 39.) prout nec illæ, quæ a Sedria inapellabiles sunt, D. 5: 59.

§. 1005. Sæpe utraque pars appellat, nam altera tantum parte appellante, etiam si forum revisorium videat, alteri per forum inferius, non totum id esse adjudicatum, quod ipsi jure debebatur, aut convictum injuste gravatum, aut plus ipsi esse adjudicatum quam debuisset, tamen, si appellare intermisit, nulla illius ratio habebitur, verum sententia in suo esse relinquitur, quia renunciasse censetur, D. 12: p. 41. D. 1: 59. et in causa Fisci dominalis Tatensis, 1805.

§. 1006. Si in quæstione facti non est sufficienter elaboratus processus, novo utendum, non appellata; quæstiones juris appellatæ committi possunt: novum itaque et appellata sunt diversa et incompatibilia remedia, quibus simul uti non est integrum, potest tamen quis, v. gr. Actor succumbens, vel I. executionem passus (non vero intra Dominium) appellatæ renunciare, et novisare; sed si non appellavit, aut appellavit quidem, verum appellatæ renunciavit, atque novisavit, non potest a novo recedere, et fundamentalem processum revideri facere, D. 17. p. 42. 19: p. ead. qui tamen penes novum in forma producti assumitur D. 27: p. 43.

§. 1007. Appellata, vigore Dec. 14. p. 41. debet ipsa die latæ sententiæ interponi; verum si quis prohibitam interposuit, potest illi tardius renunciare, et simul appellatam interponere, D. 15. p. 41. Si quis non appellet tempestive, vel appellet quidem, verum appellatam non prosequatur, sententia, licet injusta, abit in rem judicatam,

modo sequenti: 1.) Actor succumbens, prout etiam Incattus extra dominium appellans, intra 52 annos debet interpositam appellatam prosequi, idest, causam revideri facere, D. 18. p. 42. D. 3: p. 194. 2.) Si processus ex partibus ad Sedriam intra dominium relatus, vitio appellantis I. intra annum non revideatur, abit sententia in rem judicatam, executioni datur; secus est si ob publica negotia et eorum multitudinem, ut plerumque fit, non possit revideri. 3.) Si vero intra Dominium a' Sedria appellet, atque intra 3 menses, exceptis juristitiis, non prosequatur appellatam: idest, non curet triumphantem ab Tab. Regiam citari aut adveniente termino non levet causam suam appellatam, vel levatæ processum intra annum non adnectat, sive levet triumphans ex paribus sive non, abivit in rem judicatam, sententia nulla fertur, verum ad petitionem triumphantis A. processus pro executione remittitur D. 26: 43. 4.) Si appellatus ad Tabulam regiam non compareat, atque ibi succumbat, appellare ad Septemviratum non poterit. 5.) In Civitatibus intra 6 septimanas debet appellans Mandatum præceptorio-transmissionale (a Tavernico, Personali) exoperari, et illud æque intra 6 septimanas a die emanationis Senatui præsentare, sicque processum suum transmitti petere, quod ad Sedem Tavernicalem quidem, nonnisi in causis, 60, inde vero ad Septemviratum, 300 fl. valorem superantibus, cujuscunque speciei causis, fieri potest, Ulad. priv. art. 7.

§. 1008. Prout interponi neglectam, ita non prosecutam appellatam via novi suppleri, et sententiam iterum pronunciandam et confirmandam

appellari posse, contra D. 27. p. 43. innuere videtur D. 5: 194. quæ vel, in metali præscribi dicit quidem prosecutioni appellatæ sensu 79: 1-mæ; ast legem hanc in genere ita explicat, quod per id, non res, verum forma perimatur, adeoque necessario novum supponit, idque non propterea, quod in specie in metis non currat præscriptio, verum quod is sit sensus 79: 1-mæ: quod si ita esset, annis illis 32 quibus appellatæ prosequendæ præscribitur, nondum Novo præscriptum esse, adeoque intra 64 a sententia lata annos, novisari posse sequeretur; eo quod, prout intra 32 annos, facultate appellatam prosequendi, ita, ea extincta, intra alios 32 annos, facultate novisandi pendente, jus sustentatum fuerit.

§. 1009. Ex partibus, vel a Sede dominali, referri dicitur processus ad Sedriam, in originali. A Sedria, Tabulis item Districtualibus, terminatus (si plures Incatti sint, contra omnes) processus, Dec. 7. p. 40. ad Tabulam Regiam transmitti dicitur, idque vel in originali, v. gr. criminales, pauperum) vel vero, totus processus, cum omnibus documentis, D. 25: 45. de verbo ad verbum descriptus, cum brevi præambulo ad Suam Majestatem directo, et brevi conclusione sublecta et extradata, et nefors correcta Notariali, sigillo Comitatus, fili per calcem voluminis transmissi extremitates adstringente, munitus, mittitur ad Tabulam Regiam, quæ, etiam si nefors exmissum est aliquod documentum, verum illud præsto est absque nova expeditione revidet processum D. 25. p. 43. ex Tabula Regia ad Tabulam Septemviralem referri dicitur, absque expeditione et levata, quia revera illa duo fora con-

stituunt unum corpus, unde Tabula Septemviralis neque sigillum habet, verum sententiæ illius, prout in Tabula Regia publicantur, ita etiam per Personalem extradantur, 1807: 9.

§. 1010. Causæ criminales, præcipue publicorum et manifestorum malefactorum, in regula inappellabiles erant 50: 1729. et si quæ appellari poterant, appellandi facultas solis Nobilibus competebat; lege vero recentiori, 43: 1791. etiam Ignobilibus, his quidem nonnisi a sententia capitali aut illi æquivalente carcerum trium annorum, vel centum baculorum aut scuticarum continuo infligendarum pœna, directe ad Tabulam Regiam, ab omnibus Jurisdictionibus jure gladii gaudentibus, appellandi facultas admissa est (quæ, ne facile usu veniat, 80, vel 90 baculi solent sæpius dictari) a Tabula Regia vero ad Septemviralem, nonnisi in casu ferendæ capitalis sententiæ competit, non tantum, verum omnis capitalis sententia, vel invito condemnato, imo etiam absolutoria in criminalibus, aut qua, infra meritum dictatur pœna, licet Fiscus non appellet, sua natura semper est appellata, nec abit in rem judicatam, appellanti itaque damnato major pœna potest dictari, etiamsi Fiscus non appellaverit; secus quam 19. Nov. 1799. in causa Fisci Zemplin. C. Torner. item 11. Mart. 1801. Fisci Simegh. factum dictumque est. Nobilibus, etiam a non capitali sententia competit. Ignobiles vero in casibus non appellabilibus ad Suam Majestatem recurrere possunt, si putent se male defensos esse vel gravatos. — Ast hoc absque Mandato salvi conductus prævie impetrato, plerumque non pri-

us, quam post executionem, vel saltem ante captivitatem exantlatam fieri potest.

§. 1011. Appellata gradatim pergit, D. 22. p. 42. v. gr. a Judicibus Oppidorum privilegiatorum Comitatui subjacentium ad Sedem dominalem, aut ad Sedriam Comitatus, vel, si privilegium et usus ita est, ad Tab. Reg. A Civitatibus ad Tavernicum, vel Personalem; a Vice-Comitibus et Judlium ad Sedriam, ex qua, tempore revisionis causæ, illi, qui in partibus judicarunt, exesse debent. A Sedria (præter urbariales et nobilitatis legitimatorias Consilio Locumtenentiali submittendas) ad Curiam Regiam, a Tabulis Districtualibus æque ad Curiam. In Croatia ad Sedriam ita, ut apud nos, a Sedriis vero et Tabula Judiciaria ad Banalem, a Banali, 1807: 9. facta coram Tabula R. levata, ad Septemviratum appellatur, verum hæc omnia sæpius jam attacta sunt.

§. 1012. Incattus succumbens, in causis, quæ 28-vo 1729. non recensentur, per totum intra Dominium appellat, idest, licet convincatur, tamen si appellaverit, ante revisionem fororum superiorum executioni non subjicitur; in illis vero, quæ in 28: 1729. recensentur, et in sequenti 29-no non attinguntur, semper extra Dominium (secus altera parte controvertente, non revidentur per Curiam Dec. 24. p. 45.) quæ vero ibi attinguntur, a primæ instantiæ Judice ad Sedriam intra, a Sedria extra Dominium, idest, etiamsi appellaverit, tamen executioni subjicitur, atque si sententia in Curia reformata fuerit, reexecutio cum fructibus peragetur. Etiam ultra vel contra juramentum gravatus intra Dom. appellat, 30: 1729. A Tabula Regia omnes processus intra dominium ap-

pellantur ad Septemviratum. A Sedibus dominalibus ita appellantur causæ, ut ab aliis foris ejusdem speciei causæ appellari solent. Quoad causas vero, quæ nonnisi coram Sede dominali verti solent, id respiciendum, an recenseantur 28-vo, 29-no, 1729. vel non? qualiter in Croatia, et ex Croatia appellationes procedant, 51: 1729. 58: 1741. 58: 1795. 9: 1807. recensentur.

§. 1015. Appellata supponit sententiam, quæ injusta quidem esse prætenditur, verum non ipso jure nulla; quod si sit, (præcipue si extra Dominium est appellabilis ad Tabulam Regiam) vel mandato cassatorio, vel oppositione uti licet, nec abit in rem judicatam, etiam si non appelletur; quia illis, quæ essentialia sunt proceduræ judiciali, vel prærogativæ nobilitari, nemo præsumitur renunciasse. Injusta sententia est, quæ legali modo est quidem quoad formam externam lata, verum interne vitiosa, hæc (præter matrimonialia et criminalia abit in rem judicatam, si non appelletur; adest enim vel verus, licet tacitus consensus, vel saltem præsumtus, (qui hic sufficit) quod scilicet A. renunciet suæ prætensioni, Incattus vero velit præstare id, quod non debebat. Nulla sententia est, quæ quoad formam externam vitio laborat, uti alias vidimus, v. gr. absque prævia citatione, vel non in pleno Judicio, non de die, verum noctu, vel per Judicem inactivum et incapacem, aut (præter sententiam contumaciæ) per incompetentem aut die feriali, etc. lata est, licet quoad meritum justa sit, idest, absolverit vel convicerit illum, quem debuit. Prout itaqua aliud est legitima convictio, aliud justa, ita aliud illegitima sententia, idest, non

servato juris ordine, aliud injusta, idest, contra jus litigatoris lata.

CAPUT XVIII.

De Oppositione.

§. 1014. Oppositio fit in causis brevis litis, nec est terminus causæ, §. 1015. Prout est repulsio. §. 1016. Potest nonnunquam loco ejus appellata valere. §. 1017. Cui et quo fine competit? §. 1018. In foris ignobilitaribus non adhibetur. §. 1019. Non obstante Dec. 12. p. 14. et 17: 1792. §. 1020. Quamvis in foro nobilitari vel ignobilibus eam passim admitti videamus. §. 1021. Modus et locus opponendi.

§. 1014.

Oppositio, est juridicum remedium, (licet improprie ita dictum) quo exequendus, judiciariam executionem sententiæ, in causa brevis litis, violento quodam facto turbat, vel impedit. In brevis litis processibus, quamvis convictus executionem non admittat vel turbet, et quamvis facto isti, vel ipse, vel exequens Judex D. 2. p. 49. repulsionis nomen det: inde enasciturus tamen processus revera brachialis erit, non constituet causæ terminum, idest, non admittetur in regula ut meritorie se defendat Incattus, et in fundamentali neglectas probas adferre possit, sensu D. 8. p. 100. verum nonnisi ex formæ vitio potest et debet rationes oppositionis dare, quia ordo juris in nullius gratiam potest mutari Ulad. 1: 10. sententiam vero fundamentalem vel appellata, vel

novo debet emendari curare, prout scilicet, processum sufficienter elaboratum putaverit, vel non.

§. 1015. Hinc oppositio, pro juridico remedio, prout est repulsio, haberi non potest, verum tantum pro defensa naturali prærogativæ nobilitaris, ne Judicis arbitrio in eam grassari liceat. In antiquioribus legibus venit quidem sub nomine repulsionis, verum recentioribus 51: 1681. item 1723: 55. 34: 1729. distingvi cepit a repulsione proprie dicta, quæ in longæ litis processibus locum habet, et terminum causæ ultimum constituit.

§. 1016. Pro appellata non valet oppositio, ut diximus, ast appellata potest valere pro oppositione, (quia Curia nostra est etiam cassationis Tribunal) si ante intentatam executionem Mandato mediante transmittatur processus ob rationes oppositionis, ex causa nullitatis depromtas, aut alias graves, quia leniori remedio utenti non possunt jura non favere.

§. 1017. Oppositio competit succumbenti exequendo; hinc, si Actor, per reconventionem, aut aliter convincatur, potest etiam oppositione uti. Tantum tunc debet acceptari oppositio, si sit ad defensionem bonorum adhibita, quæ Judex exequi vult. Hinc, si sententia personam feriat, (v. gr. in criminalibus) non acceptatur oppositio. — Verum, si vel citatio, vel convictio nulla præcessisset, et nobilem, extra casus alias dictos, vellet seu Judex, seu quiscunque comprehendere, is, posset se pro viribus defendere, et resistere, quia nec in persona, nec in rebus potest lædi absque citatione, et convictione legitima.

§. 1018. Neque in Civitatibus, Oppidis et Sedibus domjnalibus acceptatur oppositio 12-ma D.

1806. in C. Fisci R. verum sententia brachio, id-est, vi mediante executioni datur, nec resistens punitur qua opponens; quia in illis foris summarie potest procedi, absque solemnitatibus, atqui illarum potissimum neglectus dat causam oppositioni.

§. 1019. Decisio quidem 12. p. 14. causam binariæ oppositionis, contra civem ignobilem, extra Civitatem bona nulla possidentem coram Tab. Regia motam non ob instituti vel actionis vitium, verum ob Judicatus incompetentiam condescensioni subjiciendo, contrarium supponit, verum ex illa id tantum sequitur, quod possit acceptari, non item quod debeat, seu potius, quod acceptata sit aliquando, fors ante illud statutum, de quo Dec. 17. p. 135. oppositionem ex Civitatibus excludens, sonat, conditum. Obvertunt aliqui, 17-mum 1792. circa executiones sententiarum fororum extraneorum, de pignore judiciali in bonis nobilitaribus et civilibus uno nexu loquentem, et §-pho sequente, oppositioni locum facientem; quod quidem de foris tantum, in quibus alias locum habet oppositio, intelligi debere censeo; ast, etiamsi ad cives extenderetur, prorsus non sequeretur, extra casum etiam legis citatæ, adeoque in universum, oppositionem inter cives locum habere debere.

§. 1020. Quæri potest, an ignobilis foro Comitatensi convictus, possit se opponere? Id quidem contra Dec. 1-ma Sept. 1794. in causa Ottotska factam sæpe usu venire, et acceptari experimur, ast ob defectum formæ, v. gr. citationis viciositatem etc. non videtur se opponere posse; quia contra ipsum summario modo procedi potest,

verum, si in re vel persona error subversetur, ignobilis etiam se opponere posse videtur; ob nullitatis vero vitium Mandato deberet uti (prout in Civitatibus) idest, si essentialia non sunt observata, v. gr. non citatus, vel non exauditus est quis convictus, aut non convictus, vel ultra tenorem sententiæ executioni subjectus etc.

§. 1021. Oppositio fit in ipsa facie loci, ubi executionem Judex peragere vult, per declarationem viva voce factam, et simul, per ostentationem alicujus instrumenti ad vim defendendam vel inferendam apti, v. gr. baculi, aut gladii, saltem ad speciem factam, absque tamen tumultu, et absque gentibus Uladis. 4: 19. 729: 33. idest, opponens non debet cum suis hominibus, sub amissione causæ, ante tempus vim adhibere. Si plures portiones sunt adjudicatæ, ubique tentari debet executio, licet oppositionem I. in genere interponat, et ad omnes portiones extendat, verum, si in capite bonorum est tentata, et ibi oppositio facta est, illa ad accessoria vere talia etiam extendi potest, nec est necesse ad faciem appertinentiarum exire, v. gr. agri post Curiam vel Sessionem excisi et possessi, sunt ejus appertinentiæ.

§. 1022. Processus oppositionalis Judex. §. 1023. Actoratus, §. 1024. Meritum consistit in rationibus oppositionis, in regula, non ex merito fundamentalis processus, verum ex nævis procedurae desumendis. §. 1025. Continuantur rationes legalibus analogæ, §. 1026. Porro quoque.

§. 1022.

Processus sunt:

Primo: Ad dandam rationem opposi-

tionis. Intra 32 annos movetur D. 8. p. 55. Uti executio sententiæ per forum revisorium latæ, ita etiam oppositionis discussio ad primæ instantiæ Judicem, idest, ad illum, qui in fundamentali Judex fuit, spectat, quia ille executionem peragere voluit, ergo illius auctoritas est læsa, licet fori altioris sententiam volebat exequi, D. 6. p. 15. 10: p. 132. ergo eo magis si suam volebat. Actio oppositionalis fundatur in 55, 34: 729.

§. 1025. Ad actoratum realem consequendum, (nam personalem habet omnis ille, qui in fundamentali habuit) probari debet sententiam latam, executionem legitime insinuatam et intentatam, sensu D. 8: 152. et per succumbentem ipsum, aut illius Plenipotentiarium, D. 11: 155. aut saltem Commissionatum, impeditam, vel inchoatam quidem, sed turbatam esse, D. 4: 46. Hoc probabitur per testimoniales executionales Judicis, quibus alioquin, etiam convocatorum qua testium nomina inserta sunt, 74. 2-dæ 8-vo §. sententiam latam: consulto dixi. Debitor allegative agnoscit debitum, et denominat bona in arenda apud tertium existentia; Judex ex propria recognitione convincit ipsum, et deliberative acceptat fundum, eo dirigit executionem; arendator offert summam arendatitiam, pro restantibus annis annue solvendam. Non acceptatur. Opponit. Negabam dari institutum, quia negabam fuisse oppositionem; quia negabam fuisse executionem; quia negabam fuisse sententiam; quia idem fuisse dicebam, ac si debitor ipse voluisset ejicere arendatorem, atque id non ausus, alios loco sui miserit. Supersessum est ab exhibition libellii oppositionalis jam parati; quidquid ejus sit, etiamsi

stetisset in lite, resistere poterat, nisi fors proprietas bonorum fuisset Incatto abjudicata.

§. 1024. In merito agetur de eo, an ratio oppositionis (quam Incattus assignare debet) sit rationabilis, et legalis? Legales rationes sunt, ex 1729: 55. §. 3, 4. hæ quatuor:

1) Si quis non citatus convincatur, vel prorsus non sit convictus, vel sit quidem, verum non legitime et juris ordine D. 12: 127. et tamen executio contra ipsum dirigatur. Verum probare debet, se ante finalem sententiam, qua bona triumphanti adjudicata sunt, in possessorio fuisse, præcipue si id per I. insinuatum fuit, quod possessor mutatus sit, D. 3. p. 46. D. p. 186. 2-dæ: 72. si post finalem sententiam ingressus est bona, punietur pœna oppositionis, quia dolose egit.—Si bona indivisa sint, et non citatus se opponat, debet restringere ad suam portionem, secus convincitur.

2) Si Judex executionem ad talia bona dirigat, ad quæ sententia lata non est: non potuit autem ferri, nisi quoad illa, quæ actioni et processui judiciario inclusa erant, licet sit sententia contumaciæ 55: 1729. Sic subsistit oppositio, si Curiam vel sessionem aliquam adjudicatam exeçuturus Judex, aliquem fundum, velut appertinentiam sessionis velit exequi, et probabitur non esse, D. 6. p. 47.

3) Si quis appellavit causam ex lege evidenter intra Dominium appellabilem, et tamen judex exequi velit, nec admittat appellatam intra Dominium; aut, si Mandatum transmissionale attulerit Incattus, quo intra Dominium transmitti jubetur processus. Item, non habita allegationum

ratione, per non defendit convictus, si appellavit, et causa intra Dominium sit appellabilis, licite opponet.

4) Sensu plurimarum legum Judicum spartam definientium et D. 2: p. 46. Si incompetens Judex, non attenta exceptione Judicatus, sibi Judicatum stabilivit, Incattus vero, et a Judicatu stabilito, et in merito appellavit, quia secus consensisse præsumitur 715: 19. D. 7, 9. p. 152. eo magis habet locum oppositio, si plane incapax fuit Judex D. 11. p. 126. nisi tacite vel expresse (vere tamen) consensum sit.

§. 1025. His legalibus rationibus analogæ, et ad has reducibiles rationes adhuc adnectuntur: ex Dec. Cur. et praxi sequ.

5) Si facultas fundum denominandi convictô denegata est; D. 15: 49. licet sit sententia contumaciæ, vel denominatio quidem illi admissa, verum fundo per illum denominato non contentus Actor, alium executioni subjici voluit, (in hoc casu, in oppositionali processu discutietur, an fundus per convictum denominatus sufficiens fuerit D. 11. p. 48. v. gr. an chartabiancæ in debiti processu per illum pro fundo assignatæ, aut pecunia apud debitorem convicti existens, aut apud alium deposita, D. 6: 152. sufficiens et exigibilis sit?)

6) Si non ad fundum contractu denominatum dirigatur executio.

7) Si debitum per plures obligatum, in unô desumere velint, D. 12. p. 48. quamvis hæc ratio, ad nullam ex 4 legalibus referri, et vel maxime meritoria esse videatur, eo quod totum injuste adjudicavit Judex, quod per I. non totum debebatur; alia esset ratio, si plures sint convicti.

8) Si Judex exceptionem contra citationem, v. gr. propter termini insufficientiam, (quia in jure idem est non esse, et vitiose esse) aut contra levatam etc. interpositam non curaverit, quod æque in oppositionali processu dijudicabitur, an fundata fuerit exceptio vel non, quia citatio etc. debet esse legitima.

9) Si quis non coram illo Judice conveniatur, qui in contractu expresse positus est.

10) Si a juramenti impositione non admisit Judex appellatam; licet itaque per Tabulam Regiam juramentum jure impositum fuisse adinveniatur, tamen pro continuatione processus remittitur, et pro deponendo in fundamentali juramento, D. 4: 131.

11) Si sententia sit obscura, confusa, et adjudicatio non sit in specifico, ubi ita debuisset fieri, D. 15. p. 49.

12) Si non sit tempus datum justæ defensæ sufficiens, 11-ma Jun. 1806. Pálfi. Non est itaque impossibile, ut meritum causæ tangat oppositionis ratio, sed tamen semper in proceduræ vitio radicata. Hic supplebitur in oppositionali quod facto Judicis emansit ex fundamentali.

13) Si Judex exequens non habeat sententiam, v. gr. sententionales Tabulæ Regiæ rite expeditas, vel (ubi necessaria fuit) exmissionem, hanc quidem etiam tunc, quando quis ex contumacia est convictus, et causa intra Dominium est appellabilis.

14) Si id quod convicto adjudicatum est, v. gr. refusionem et exsolutionem investitionum nolit exequens Judex audire, vel Actor refundere, D. 13: 49. 7: 50.

15) Si æstimandorum æstimatio non sit peracta rite, 1659: 51.

16) Si executionis terminus non sit insinuatus tempestive Dec. 5. p. 152. et judicialiter, licet sit sententia contumaciæ; verum si præfixa et insinuata executionis die, exequendus nullum fundum denominet, et Judex sequenti die nefors in aliis convicti bonis velit executionem perage-re, et ille se opponat, vel executa bona reoccupet, non erit sufficiens ratio oppositionis vel reoccupationis, quod executio iterum non sit insinuata, D. 1. p. 150. (cui tamen Tabula Regia refragabatur Pl. 223.) uti nec ille, qui sententiæ contumaciæ se opponit, potest, pro ratione oppositionis, impossibilitatem comparitionis obvertere.

§. 1026. 17) Absolvitur opponens a pœna oppositionis, si Judicis in causa procedentis interessentia clare prodiverit, D. 14: 155. quia in hoc casu, injustitia, quæ secus appellata deberet resanari, in procedura est radicata, quia contra talis Judicis personam excipi potest.

18) Omnes casus manifestæ nullitatis, dant rationem oppositioni etiam illi, qui revisionem talis sententiæ appellatæ ipse petierit, Dec. 9. p. 47. quia leniori remedio uti volens, eo non succedente, non censetur oppositioni renunciasse, aut nullitatis vitio.

19) Si quis in processu, vigore testamenti obscuri, aut pignoris clare non probati, adeoque antiquam successionem redolente convictus appellavit D. 8. et 16. p. 47. et 49. in quibus quidem casibus Mandato transmissionali uti præstitisset etc.

20) Divisione secundum testamentum usu roborata, ferendæ in processu divisionali sententiæ licite opponitur, D. 10. p. 48.

21) Si reflexoria citatio, ubi necessaria erat, non est peracta, D. 14: 49.

22) Si executio absque testibus convocatis intentetur, aut vicinis, D. 17. p. 128.

23) Si expensæ litis non adjudicatæ exigantur, ut sæpe decisum.

24) Si sententia contumaciæ non debito tempore lata (v. gr. in foris inferioribus non eadem die, in Tabulis vero non eodem termino) vel Comitatui, ubi debebat, non est relata.

§. 1027. Pœna oppositionis 200 fl. fructuum et expensarum refusio. §. 1028. Prout tamen via appellatæ in fundamentali triumphans, non fructus, verum tantum 200 fl. debet, licet rationem oppositionis non dederit. §. 1029. Ita, absolutus in oppositionali, a pœna omni et fructibus refundendis immunis est, licet in fundamentali convictus executionem subire debeat. §. 1030. Nam ratio oppositionis rarissime evertit fundamentalem sententiam, nisi illa aliunde nulla sit, aut (quod aliquando fit) ex merito evertatur. §. 1031. Quamvis oppositionalis et fundamentalis processus ita arcte connexi sint, §. 1032. Ut plerumque nonnisi post transmissionem utriusque §. 1033. Peragatur executio fundamentalis sententiæ. — §. 1034. Ante superatam vero oppositionem, illa nec revideri, nec novisari, nec executioni dari possit.

§. 1027.

Pœna oppositionis, si legalis ratio non assignetur, est 200 florenorum homagialium, in una Ac-

tori, in duabus vero partibus Judici cedentium, damnorum, expensarum, ac fructuum, licet secus non currerent, a die interpositæ oppositionis refusio 51: 681. 16: 1792. prout etiam interusurium summæ in fundamentali processu titulo fructuum antea perceptorum adjudicatæ 7-ma Feb. 1805. Beniczki contra Szirmai, quæ omnia, una cum sententia fundamentalis processus, executioni dantur. Per plures, propter jus commune, aut propter simultanee dictatam pœnam violentiæ interposita oppositio, unam tantum pœnam post se trahit, 74: 2-dæ D. 1: 46.

§. 1028. Licet quis in fundamentali processu per forum revisorium absolvatur, tamen, si rationem oppositionis non dederit, in 200 fl. Dec. 2. p. 46. convincitur; non item in fructibus, 28. Aug. 1801. Bohus, quia etiam si executioni subjectus fuisset post latam in oppositionali convictivam sententiam, atque extra Dominium appellasset; tamen si per forum revisorium in merito absolveretur, reexecutio cum fructibus deberet peragi, 16: 1792.

§. 1029. Contra: licet sententia in merito fundamentalis processus lata etiam per forum revisorium approbetur, vel eo quod non sit appellata, valere permittatur: tamen potest quis absolvi a pœna brachiali; idest, a pœna oppositionis, si rationem det, adeoque etiam a fructuum (si ex natura processus, aut ob temerariam appellatam 52: 1729. non currunt) refusione, ut A. damnum et sequelas nævi oppositioni locum dantis, sentiat. Quia hic duo subversantur, scilicet rei, propter quam in fundamentali litigatum est, acquisitio, et birsagii desumtio, ergo ruente uno,

stare potest aliud, et 16: 1792. ita dicit fructus currere si in merito simul, et ratione oppositionis succubuerit I. Absoluto a pœna opp. Incatto, Actor in expensas damnatur, D. 10: 126.

§. 1050. Si sententia ipso jure nulla fuerit, hæc ratio sufficit non tantum ad effugiendam pœnam oppositionis, verum etiam, cum processus cassetur, ad rem adhuc retinendam; alia vero, licet a pœna liberet, tamen cum non necessario, nec semper cassetur processus, ad rem illam retinendam, quæ in fundamentali processu abjudicata est, sola non sufficit; nisi sententiam fundamentalis processus velut injustam, appellatorium forum reformet (quod potest fieri, etiamsi in pœna oppositionis convincatur I.) vel vero, ratio oppositionis meritum rei tangens, sed tamen in proceduræ vitio radicata, v. gr. praecipitantia Judicis etc. adsignetur, vel vero, connivente et eo adducto Actore, meritoria, ad absolvendum nefors sufficiens defensa, inducatur in oppositionali processu, sicque contra naturam suam, in continuationem fundamentalis processus degeneret.

§. 1051. Fundamentalem processum expediri, hoc est, describi, et sub authentico extra dari curare, et processui oppositionali in forma instrumenti annectere debet, in regula, Actor, D. 4. 5. p. 46. absque tali praevie per Sedriam reviso, expedito et annexo processu (aut si ille perierit D. 7. p. 126. nec revidetur oppositionalis per Tabulam regiam, verum remittetur, fine Sedrialis revisionis, producendorum productionis, et si executio peracta est, D. 20. p. 42. reexequendorum reexecutionis D. 12. p. 153.

§. 1052. Ex Tabulis Districtualibus, ob non

admissam intra dominium appellatam factus et conclusus oppositionalis processus, absque sententia ad Tab. R. transmittitur, et ibi cum fundamentali accessorie revidetur, atque secuta convictione ad Tabulam Districtualem, pro executione remittitur, quia non potest praesumi Judicem, qui in fundamentali appellatam intra Dominium non admisit, illam rationem oppositionis pro sufficienti, et legali agniturum 54: 1729. ubi §. 4. hoc: Evidenter, inane esse videtur; quia dicitur paulo post, quod Tabula Regia dictabit pœnam oppositionis, si ratio non data fuerit, atqui si evidenter intra Dominium appellabilis fuit causa, Tabula Regia oppositionis pœnam non dictabit. Hoc quidem nonnisi quoad Tabulas Districtuales, et Judiciariam Croaticam disponit lex; verum, etiam in aliis foris, ob identitatem rationis, saltem post latam sententiam Mandato intra Dominium transmissionali, tam quoad fundamentalem, quam oppositionalem locum esse censeo, non tantum cum propter appellatam intra Dominium denegatam facta est oppositio, verum et propter aliam rationem in culpa vel facto Judicis (quod ille nec in oppositionali damnabit) radicatam; raro etiam accidit ut nihil tale interveniat, quod Mandato transmissionali, quoad utrumque processum, locum faciat.

§. 1053. Quod si impetrari non possit, sententia fundamentalis processus renovata executioni debet dari, argumento etiam 16: 1792. ubi reformata nefors per forum revisorium sententia, reexecutio cum fructibus ordinatur. Ergo executio peracta esse supponitur, saltem quoad fundamentalem. Idem prodit ex 54: 1729. ubi non data suf-

ficienti oppositionis ratione, executio per forum primæ instantiæ iterum intentanda disponitur.

§. 1034. Ceterum observandum, interposita oppositione nec novisare, nec alium processum interea nefors quoad substratum oppositionis enatum (v. gr. metalem D. 15: 196.) revideri facere, aut bona desolari Ulad. 4: 19. nec mandato transmissionali posse opponentem uti, verum prius ad dandam oppositionis rationem citatur, tandem extra dominium novisare potest, prout nec triumphans potest, neglecta oppositionis vindicatione vel executionem, vel revisionem fundamentalis sententiæ petere D. 17. p. 41.

§. 1035. Pœna non acceptata oppositionis. §. 1036. Observationes practicæ in acceptanda vel non acceptanda oppositione. §. 1037. Institutum correctorium loco binariæ oppositionis ultra antiquam praxim extensum. §. 1038. Ipsa sublatio binariæ oppositionis cum grano salis intelligenda.

§. 1035.

Secundus processus est contra illum, qui non attenta oppositione bona occupaverit. Actio fundatur in Ulad. D. 4. art. 19. 35. 1729. probari debet oppositionem, aut per succumbentem, vel illius commissionatum, aut saltem sensu D. p. 186. per illum, qui ante sententiam ingressus est possessorium, interpositam fuisse. Pœna est amissio causæ perpetua, idest, bonorum quæ occupavit, licet firmum jus habuerit.

§. 1036. Hinc, oppositio, etiam si illegalis videatur, consultius acceptatur, imprimis si fiat per actualem fundi exequendi possessorem, ante sen-

tentiam ingressum, qui vi D. 6: 2. debuisset citari, si insinuavit I. mutationem possessoris, prout debuit, quamvis 27: 1-mæ innovationes sub lite prohibeat. Ubi lege juridica remedia præscissa sunt, nec possessoris convicti oppositio acceptari debet, (ut vulgo putatur, sed in praxi aliud observatur) ut nec illius, qui contractu juridicis remediis renunciavit, potest contra illum brachium peti, si absque metu injuriæ personæ suæ inferendæ Judex executionem peragere non potuit. Verum si acceptetur, punietur opponens. Si debitor, præter bona cum fratribus indivisa nihil habeat, occasione executionis sequestrari, debet portio convicti a reliquorum portionibus, quod si non permittant aliqui fratres, declarare debent an quoad convicti portionem etiam resistant, quia ita acceptari debebit, et citari debent. Præstiterat illos ad fundamentalem litem, ut in illa stent, una cum debitore, citare, quoniam in possessorio sunt fundi illius, qui creditori obnoxius est, et habent jus creditorem exsolvendi, et bona sibi vindicandi. Si hoc prætermissum est, saltem executio illis etiam insinuari debebat. Communis debitoris bona ante executionem ingressus creditor licite opponet; ex prælatione, vel ad superinvestitionem, aut ex superfluitate fundi debebat citari. Non ingressi oppositio vero acceptari non debet, etiamsi anterior creditor esset. Quid si acceptetur, tumultus vitandi causa? v. gr. arendator est convictus, qui etiam Domino opponenti pecuniis arendatitiis tenetur? Puniatur Dominus opponens, licet vel minus, vel majus delictum, fors fiscaliter vindicandum, commisisse mihi videatur: quamvis, facto ad Majestatem recursu,

brachium tantum contra ipsum decerni solere non ignorem.

§. 1037. Binaria oppositio, etiam si a pœna primæ oppositionis absolutus fuerit opponens, jam non admittitur; executio cum brachio, erga insinuationem Judicis, per Comitatum, ad expensas opponentis determinato peragitur; nam præsumtio juris est, nihil tale quod secundariæ oppositioni justam rationem suppeditaret, evenisse, quam evertendi, adeoque contrarium probandi facultas nonnisi extra Dominium admissa est. Executioni subjectus itaque, correctorio Instituto etiam ad fructus et expensas refundendas agere potest, si exequens ultra sphæram actionis vel sententiæ processit, 1807: 11. in hoc ergo unico casu, evitandæ binariæ oppositionis causa, correctorium Institutum, ad nævos etiam sententiæ actionis sphæram excedentis emendandos applicatur (nam tantum ita potuit exequens sphæram actionis excedere, si jam ipse Judex, qui sententiam tulerat, excessit) secus suffecisset de exequente sententiam excedente loqui. In aliis casibus, hoc institutum, ad factum Judicantis emendandum, loco oppositionis adhibitum, condescenderet. Naturam correctorii instituti, lege citata, in universum mutatam esse non censeo.

§. 1038. Præter illam secundariæ oppositionis rationem, propter quam oppositioni binariæ correctorium Institutum surrogatum est, non alia unquam fuisse videtur jure possibilis post sententiam Curiæ, quam si terminus executionis, (non dixerim vitiose, verum plane) non fuerit insinuatus. Si hic casus, quem legislator ne quidem supposuit, eveniret, etiam executioni, secundo inten-

tandæ (vel potius aggressioni) resisti, nec brachium peti, vel resolvi posse censeo. Is vero, qui terminatio oppositionali, sententiam fundamentalis executioni dari olim permisisset, aut hodiernis temporibus permitteret, ast propter nævos oppositionalis processus, aut propter fructus nefors immoderate taxatos, etc. adeoque quoad pœnas oppositionales, opposuisset vel opponeret, propter id factum, velut sensu, D. 19. p. 128. ad distinctum finem tendens, non ad secundariæ, verum, ad primæ oppositionis rationem dandam citandus fuisse et citari debere, nec brachio contra ipsum locus esse videtur, sed Resolut. Regiæ aliter sonare perhibentur.

Occurrit exemplum etiam turbatæ in processu proportionali dimensionis (quam Geometra auctore Judice inchoare volebat) ad oppositionem reductæ; quid quod etiam tractatus in elusionem sententiæ finalis cum tertio initus qua oppositio considerabatur, 10-ma Decemb. 1798.

CAPUT XIX.

De Repulsione.

§. 1039. Repulsio in causis longæ litis, et loco oppositionis est, et terminus causæ. §. 1040. Nam longæ litis causæ sunt plurium terminorum, §. 1041. De quorum numero disputare superfluum est. §. 1042. Verum tantum in primo termino admittitur, in ultimo ita tractabatur, ut oppositio. §. 1043. Modus repellendi, §. 1044. Judex processus repulsionis. §. 1045. Meritum duplex, vel probæ novæ scilicet, vel saltem ratio op-

positionis. §. 1046. Hæc posterior in processu hoc, natura sua tabulari, non tam late patet, quam in processibus fororum inferiorum. §. 1047. Pœna adhibitæ repulsionis 72 fl. et fructuum expensarumque refusio. §. 1048. Pœna non acceptatæ.

§. 1039.

Repulsio, est remedium juridicum, quo exequendus, executionem sententiæ judiciariæ, in longæ litis processu, in anterioribus latæ, non admittit 1729: 53, 58.

§. 1040. Si Actor in fundamentali processu, qui brevis litis erat, ad disquisitionem Juris se immiserit sponte sua, habet locum repulsio Dec. 10. p. 51. idest, evasit causa longæ litis, atque si convictus executionem non admittat vel turbet, novo poterit uti intra Dominium, idest, poterit se ex merito defendere, et fundamentalis processus sententiam novis documentis evertere; hinc, qui executionem turbat in longæ litis processu, etiam si semet opponere tantum dicat, imo etiamsi ad dandam rationem oppositionis citetur D. 8. p. 7. et Institutum (secus ac recentiores quædam Decisiones volunt) stabiliatur, non tantum rationes illas potest adferre turbatæ executionis, quas in brevis litis processu opponens adferre potest, verum, etiam nova documenta; quia repulsio præterquam quod ipsam oppositionem in se complectatur, causæ terminum etiam constituit, quod oppositioni non competit. Ergo repulsio non tantum est defensa naturalis, verum etiam juridicum remedium stricte tale, vi cujus, etiam allegationes fundamentalis processus revoca-

ri possunt, secus ac vi oppositionis. Si frater non præmonitus, postea fatentis deficientis successor factus, principaliter ex non facta præmonitione, et simul ex præjudicio agat, fassio vero ex non facta præmonitione invalidetur, non repulsio, verum oppositio potest locum habere D. 8. p. 50.

§. 1041. Cum nominatim sciatur quæ sint causæ longæ litis, item: quod penes prohibitam semper licita sit revocatio, quod denique: repulsionis beneficium tantum semel admittatur: ineptum est disputare quot terminos habeant longæ litis causæ, et qui sint illi, sufficit dicere: plures terminos, qui nunc non id designant, quod olim, ut sub Revoc. dictum est, L. III. cap. 15.

§. 1042. Repulsio tantum in anterioribus, idest, terminis, admittitur; anterior terminus est tantum fundamentalis processus; quod vero in plurali dicat lex: Anterioribus, hæc est ratio, quia aliqui prohibitam etiam pro termino processus habent, ut adeo Incattus, etiam post prohibitas in fundamentali interpositas admittatur, repulsione, idest, novo intra Dominium uti, imo vel post sententiam Tabulæ Septemviralis, D. 9. p. 51. In ulteriori vero seu ultimo termino non admittitur, idest, finito repulsionali processu, etiam cum pars convicta secundaria vice admittebatur repellere, non jam etiam ex merito rei, verum oppositionis rationem dare debebat, secundaria enim repulsio reducebatur ad oppositionem, quia novum intra Dominium vel longæ litis causis nonnisi semel competit, D. 1. p. 49. seu, quod idem est, in repulsionali processu repulsio non admittitur, verum oppositio, verbo, secundaria repulsio non

est, vel potius, non erat causæ terminus, quia jam simpliciter sublata est.

§. 1043. Repulsio eodem modo interponitur, uti oppositio, nisi quod oppositio in ipsa facie loci debeat fieri; repulsio vero possit vel in ipsa facie loci, vel vero in limitibus territorii, ut ne ad locum quidem executionis, ad faciem scilicet rei exequendæ admittatur Judex; quid quod vel ante, quam Judex pro executione intentanda se domo moveat, potest quis valide semet pro repellente declarare.

§. 1044. Processus repulsionalis defluit coram Tabula Regia, quia processus, in quibus repulsio habet locum, sunt mere Tabulares. Actio fundatur in 53: 1729. 75: 2-dæ. Probari debet repulsionem intervenisse 74. 2-dæ, ut de oppositione dictum. Fundamentalem processum repellens producit, 1803. Csorba.

§. 1045. Meritum processus repulsionalis est idem, quod fundamentalis, quia sapit novum intra Dominium, verum cum repulsio etiam oppositionem in se complectatur, in merito repulsionalis processus possunt eædem rationes etiam assignari, quæ in oppositionali. Hinc, si in repulsionali evertatur fundamentum sententiæ fundamentalis processus, absolvitur Incattus repellens etiam a pœna repulsionis, licet rationes non adsignet, quas in oppositionali deberet; pariter, si non evertat quidem illam, verum tales rationes possit dare, quales in oppositionali diximus, æque absolvitur a pœna repulsionis D. 7. p. 50. verum fundamentalis processus sententia (absque fructibus) executioni datur, D. 4: 50. Ad pœnam itaque effugiendam, etiam tunc sufficit ratio oppositio-

nis, si causa, partim longæ litis, v. gr. ad invalidationem ex præjudicio, partim brevis litis, v. gr. ex non facta præmonitione erat, verum ad rem retinendam, quoad priorem etiam novæ probæ debebant adferri D. 7. p. 47.

§. 1046. Quod autem in processu Tabulari, aut per Tab. Reg. reviso, (si nefors ex supposito 11: 1807. sententiam actionis sphæram excedentem, quoad primam oppositionem exceperis) ratio oppositionis, nunquam ex facto Judicii, verum tantum ex facto Judicis exequentis, per illum vero qui in lite non stetit, ex facto Actoris omissivo (v. gr. ex intermissa citatione) depromi possit, suapte intelligitur; nam reliqui nævi, vel per succumbentem condonati, vel certe per Curiam dissimulati, et ad oppositionem pro insufficientibus tacite declarati sunt.

§. 1047. Pœna repulsionis est marca auri, septuaginta duos flor. faciens, quam omnes divisi, vel diversum jus foventes repellentes singillative luunt. Nam quod 74: 2-dæ etiam plures repellentes in una pœna simul sumtos convincendos esse dicat, tantum de indivisis, vel commune jus foventibus opponentibus et repellentibus intelligendum. Expensæ, et fructus in causis post 8: 1807. motis, cessante jam ratione Decisionis 5-tiæ p. 50. refunduntur, prout damna et deteriorationes; quia in illo statu debent bona triumphanti adsignari, in quo fuerunt tempore intentatæ executionis. Birsagium, seu potius taxa 72 fl. in duabus Judici, in una, partibus vero, triumphanti cedit. — Quamvis nec ratio oppositionis data, nec sententia eversa sit, tamen si tales probæ allatæ sint, ex quibus sententiam mutatum iri sperari pote-

rat, absolvitur repellens a pœna repulsionis D. 5: p. 50.

§. 1048. Ad pœnam non acceptatæ repulsionis agitur coram Tab. R. ex Ulad. 4: 19. quæ est amissio causæ perpetua. Qui vero Judices exequentes reali vel verbali injuria afficiunt, pro qualitate delicti puniuntur Ulad. 2: 16. 1655: 67. 1725: 10, 11.

CAPUT XX.

De Reoccupatione.

§. 1049. Reoccupatio post annum, qua violentia, ante annum, nonnunquam qua repulsio, verum semper qua oppositio tractatur. §. 1050. Atque ejus pœnam post se trahit, non etiam violentiæ simul. §. 1051. Instituta tamen reoccupatorium et violentiale, nonnunquam in favorem Incatti sibi invicem substitui permittuntur. §. 1052. De eo qui secundario reoccupat.

§. 1049.

Si executionem passus I. bona executa in parte vel in toto reoccupet, propter reoccupationem quidem ante annum ab executione peracta factam, ad dandam reoccupationis rationem 34: 1729. post annum vero prout etiam tertius quispiam, licet intra annum triumphantem turbans, processu violentali conveniendus est; alias in instituto errabitur, ast (quod mireris) desumtio terragii, a fundis executione mediante triumphanti assignatis non pro reoccupatione habebatur in Curia, Dec: 21 pag. 151.

§. 1050. Processus ad dandam reoccupationis rationem imitatur naturam oppositionalis. — In eadem lege fundatur Actio, in qua oppositionalis. Probari debet peracta executio D. 8. p. 152. et reoccupatio, quod quidem ipsa notorietate possessorii reoccupantis 74: 2-dæ §. 12. constare potest, Forum rationes reoccupationis, pœna, si ratio legalis non detur, ita se habent, ut in oppositionali, etiamsi fundamentalis processus fuerit longæ litis; quamvis non desint, qui reoccupationi, et inde enato brachiali processui, contra Decisionis 8. p. 100. rationem et spiritum repulsionis seu Novi intra Dominium beneficium dent, prout etiam ego dabam, priusquam aulicæ censuræ aliter placuisset, eam ut videtur etiam ob causam, quod illi, admissa executione, renunciatum sit.

Dantur etiam, qui præter oppositionalem pœnam etiam violentiali processu ac pœna vindicari posse reoccupationem statuant. Id tenendum non est. Nam 51: 1681. quidem distinxerat reoccupantem ab opponente; atque illi duas diversas pœnas ordinaverat; ast, pacatis malis intestinis 54: 1729. non distingvit, verum utrumque eodem modo puniri vult; atqui opponens una tantum pœna punitur, ea scilicet, quæ ex duabus illis pœnis, in regula, major est. Pœna homagialis 200 fl. videtur ante 54: 1729. publica pœna fuisse, quæ non petente parte læsa desumebatur; propterea dicitur 51:1681. ac insuper pars læsa violentialem pœnam desumere possit; ergo priorem pœnam non pars læsa desumebat. Quod pœna publica propter contemtam judiciariam auctoritatem dictata fuerit, colligi posse videtur ex eo, quod ipso facto, idest, absque ulteriori Citatione (ut

93: 1647. explicat) exequenda decernatur; tandem, quod dividi inter Judicem et læsum non jubeatur; porro: quod privatæ pœnæ violentiali, jam antea reoccupatoribus crebro dictatæ, 29: 1662. etc. turbulentis temporibus non sufficienti, adjiciatur; quod denique (et vel maxime) eidem pœnæ, velut publicæ, 15: 1715. cum provocatione art. 51: 1681. contra telonia sicca tolli non admittentes dictatæ, articulo 15: 1725. æque cum provocatione ad 15: 1715. pœna antiqua 12: 1566. (quæ vigore 67: 1550. §. 5. manifeste publica est) substituatur.

§. 1051. Usus etiam pro sententia hac militat, qui eatenus etiam derogavit 51-mo 1681. quod jam post annum non homagialis integra, verum violentialis pœna currat, quæ tamen, si nefors propter numerum assumtorum, major esset homagiali, non exciperetur contra institutum homagialem pœnam petentis; prout propter reoccupationem intra annum factam ad pœnam violentiæ citatus si rationem oppositionis dare non posset, et paucos assumtos haberet, certe contra Institutum violentiale non exciperet.

§. 1052. Sublata binaria oppositione 11: 1807. etiam secundaria repulsio et reoccupatio, quarum utraque ad oppositionem reducebatur, sublata est; quid quod vel contra illum, qui prima vice reoccupat, verum jam antea opposuerat, quoad substratum fundamentalis causæ non reoccupatorius processus, verum brachium habet locum. Ceterum, prout secundariæ oppositioni, ita tam repulsioni, quam reoccupationi secundariæ correctorium executionis institutum, de quo alias egimus, surrogatum est.

CAPUT XXI.

De novo Judicio.

§. 1053. Novum omnibus litigantibus competit. §. 1054. Exceptis casibus, in quibus contractu expresse præscissum est, ut Decisiones legi derogantes sonant. §. 1055. Et nonnullis aliis. §. 1056. Novum est simplex, vel cum gratia. §. 1057. Quod posterius pro colono Dominus petit. §. 1058. Utroque vero, in merito, semel tantum licet uti. §. 1059. Forum processus Novi. §. 1060. Ad institutum, actoratum et meritum pertinentes observationes. §. 1061. Continuantur.

§. 1053.

Novum judicium, est remedium juridicum, quo quis causam amissam resuscitat, et defectus meritorios fundamentalis processus supplere vel corrigere intendit 2-dæ: 75, 77, 78. etc. Est continuatio fundamentalis processus. Novisare potest tam Actor si Incattus in fundamentali absolvatur, quam Incattus in fundamentali convictus, et executionem passus, tam contra Actorem, quam contra Evictores absolutos, tam Ingerens, quam Evictor, et quidem, Actor, tam contra Ingerentem, quam contra Incattum, tam quoad meritum causæ, quam quoad alia incidentalia, v. gr. Judicium Regale, aut Advocatus quoad emendam lingvæ, quia omnibus competit novum, tam nobilibus, quam ignobilibus D. 5. p. 19. sive ex contumacia lata sit sententia D. 5: 52. sive ex probis. Si quis in parte triumphet, in parte vero amittat causam, quoad hanc partem potest novisare.

Qui novo utitur, vocatur novisans, alter novisatus.

§. 1054. Si, ut lex 51: 1662. dicit, omnia juridica remedia in genere, aut saltem novum in specie, contractu præscissa sint, sola appellata manet salva, licet et illa nonnisi extra Dominium; verum licet lege juridica remedia præscissa sint, novum competit 1613: 23. §. 7. 60: 1725. §. 4. unde 27: 1622. de præscissis juridicis remediis sonans, interpretationem sumit. Dec. 5. p. 52. et 8. p. 53. dicit: lege 51: 1662. unice ibi denegari novum, ubi compromisso expresse sublatum est; cum tamen ea lege (conformiter Decisioni 6. p. 7.) dicatur: tolli novum, si generaliter juridicis remediis renunciatum sit; ex his ergo Decisionibus, legi derogantibus, prodit, semper licere novo uti, si expresse seu nominatim contractu sublatum non est.

§. 1055. Porro: non possunt novisari causæ transactione, vel amica compositione, aut juramento non appellato, vel ex confessione convicti terminatæ, (nisi confessio fuerit præsumta tantum, v. gr. in contumacia convicti) denique criminales, licet 41: 1563. nobilibus homicidis ex vinculis admittat novum, atque Dec. 21. Jun. 1800. ideo non admiserit novum, in causa Fisci Dom. Belényes, quia causa per Curiam revisa viam gratiæ pertransiverat.

§. 1056. Novum simplex fit penes simplicem libellum actionalem, 723: 53. Novum cum gratia vero penes Mandatum suæ Majestatis ex majori Cancellaria (idest, Aulica Hungarica) redimendum.

§. 1057. Pro colono in impensionali convicto, Dominus terrestris petit Mandatum novi cum gra-

tia ad Comitatum, et pro illo actoratum contra nobilem triumphantem assumit 17: 1635. Comitatus inviabit Sedem dominalem ut id admittat. Potest tamen et ipse colonus petere et agere.

§. 1058. Novum simplex semel competit, et qui novo simplici bis resuscitaret causam, puniretur pœna calumniæ, si in facto proprio versaretur; secus tantum condescenderet institutum, et ad novum cum gratia relegaretur; eo magis puniretur, qui causam via novi cum gratia terminatam resuscitaret. Verum si processus novi simpliciter condescendat, D. 10. p. 54. aut deponatur, adeoque in merito novisans illo non potuit uti, toties quoties potest novisare; eo magis, si ipse fundamentalis processus sententia mere interlocutoria condescenderit, absque novo toties quoties potest resuscitari. Quid quod licet fundamentalis processus, meritoria sententia, aut saltem vim meritoriæ habente terminatus sit, tamen diverso actionis titulo, seu potius jure, eandem rem, absque novo, potest quis persequi, sensu D. 9. p. 53. quia ille processus non erit continuatio prioris litis, non resuscitabit priorem, et fieri potest ut A. diversas personas repræsentans, diverso jure utatur, v. gr. qua descendens diversarum familiarum, sed eodem jure, quo jam semel, licet per solum fratrem natu majorem, actum et non triumphatum est, D. 1. p. 15. 9. p. 53. absque novo non potest agi. Postquam processus omnia fora pervasit, novo simplici non licet uti, verum cum gratia Dec. 13. p. 54. hoc valet etiam de repellente convicto et executionem passo. Qui cum gratia novisat, et jam semel ad supremum forum deduxit causam, ibique onerosam sententiam re-

portavit, non potest a primæ instantiæ Judice appellare, ut alibi dictum, sed termino epiphaniali 1818. in causa Fisci R. contra Capit. Strig. admissa est appellata a Tab. Distr. ad Curiam. Qui minus petiit et obtinuit, quam eodem jure habuisset petendum, ejus institutum novi condescendet, quia nihil perdidit. Similem priori processum debebit movere, ita quærere id, quod restat. Poterat priorem litem deponere, et aliam actionem adornare, si error ipsi mature innotuit.

§. 1059. Actio novi, aut Mandatum novi cum gratia Judici primæ instantiæ fundamentalis processus, D. 9. p. 17. sonans fundatur in 77: 2-dæ, 1723: 53. Judex itaque processus novi est idem, qui in fundamentali processu, vertiturque processus inter priores litigantes, vel illorum repræsentantes, Dec. 15. p. 18. Actio et citatio reflexe debet fieri ad priora.

§. 1060. Actoratus probari non debet, nisi quis propterea noviset, quod actoratus ejus in fundamentali condescenderit, aut si cessionarius succumbentis sit, quod vel in novo cum gratia fieri potest Dec. 2. p. 52. in hoc casu debet cessionem probare; hinc, potest etiam novisare qui in lite non stetit, v. gr. successor aut condivisionalis commune jus fovens. Processus hujus meritum est idem, quod fundamentalis processus.— Nova prætensio alioquin non potest induci in Actionem novi, quia non potest latius patere, quam fundamentalis patebat; secus non esset continuatio illius, Dec. 11. pag. 54. Nova instrumenta potest adferre novisans, et novisatus novas defensas, sed acquirere aliquid novisatus hoc processu non potest, quia non est in illius favorem, verum no-

visantis, nec datur reactio in novo, Dec. 12. p. 54. idest, novisans I. non potest plus perdere, quam perdiderat, peculiari novo debet alter contra ipsum agere, sed nec triumphans proprio marte I. potest absolutum in fundamentali Evictorem, Actore novisante, eodem processu provocare, verum contra eum ipse quoque novisare debet, Dec. 8. pag. 26.

§. 1061. Novo præscribitur 32 annis, licet quis contradictione voluerit jura sustentare, quæ per sententiam amisit, quia unum remedium alterius sustentativum esse non potest. Anni pupillares nec hic numerantur, 1810. Bene, contra Capit. Vátz. Novisatus ad possessorium rei litigiosæ positus, debet processum fundamentalem expediri curare, et novo adnectere in merito, secus convincitur, D. 1. p. 51. Si novisans triumphet, novisatus antea in possessorium positus executionem non admittat, vel turbet, licet ex longæ litis processu enatus sit novi processus: tamen non gaudebit repulsionis beneficio, Dec. 15. pag. 51. nec poterit se in Dominio ulterius meritorie defendere, verum oppositionis rationem debebit dare; secus qua opponens punietur, et ad illum statum ponetur, ac si in fundamentali non triumphasset; revera etiam in novo mansit Actor; repulsio vero in favorem Incattorum est inventa. Si Actor qua frater natu major triumphaverit, non sufficit solum ipsum citare ad novum, verum omnes possessores. In parte executionem passus potest quoad illam partem novisare, licet de reliquo opposuerit, D. 3. p. 52. Lex de novo causarum novi ord. Jud. 1791. lata, jam exspiravit.

CAPUT XXII.

De Mandatis judicialibus.

§. 1062. Mandatorum judicialium, debitis locis, §. 1063. Legitime expediendorum, §. 1064. Species variæ enumerantur, et scitu necessaria, occasione cujusque, adjiciuntur. §. 1065. Forma usitata eorum construendorum, §. 1066. Et (cum quædam ex illis per Procuratores debeant concinnari) — §. 1067. Cortesia in illis observari solita attingitur, §. 1068. Illius, ad quem diriguntur, §. 1069. Et, cui debito tempore præsentanda sunt. §. 1070. Obligatio, et facultas circa illa. §. 1071. Ratio Mandatorum dandorum et dijudicandorum. §. 1072. Speciatim, si injuriosæ expositioni innitantur, et denique, §. 1073. De pœna vel Actori, vel Incatto, in processu, ob non obtemperationem moto, infligenda agitur.

§. 1062.

Mandata judicialia dant 6: 1608. p. cor. Rex, Palatinus, Judex Curiæ vel illorum Protonotarii 15: 1647. sub nominibus et sigillis Principalium suorum; Personalis, sub nomine et sigillo judiciali Regis, et propria sua subscriptione; Banus vel Vice-Banus Croatiæ in Croatia, Sclavonia: Tavernicorum Regalium Magister, vel Vice-Magister, pro Civitatibus jurisdictioni suæ subjectis; licet ad Civitates etiam Judices Regni ordinarii possint Mandata dare.

§. 1063. Mandata debent juxta leges expediri. Illegitima sunt:

1) Quæ expressa lege prohibentur, v. gr. mis-

silia, idest, clause, non patenter confecta 5: 1625. 10: 1650. Ex Cancellaria tamen majore solent etiam Mandata judicialia (de politicis hic non agimus) clausa dari, et, in regula nonnisi post submissionem actorum, et informationem a Jurisdictionibus acceptam, ne Mandatum periculo sepositionis exponatur. Prohibentur etiam reexecutoria simplicia, 30: 1681.

2) Cum insolitis clausulis data, 1608: 9. ante cor. v. gr. contra antiquam regni consvetudinem, Matth. 3: 12. vel cum præscissione juridicorum remediorum etc. 655: 53. 659: 45. 681: 50.

3) Si lege præscriptæ clausulæ exmissæ sint, v. gr. justificatoria hæc: rebus sicuti præfertur stantibus, seque habentibus 12: 655. 30: 1681. 565: 80. idest, si expositio Mandatum petentis sit vera.

4) Si in lege non fundetur Mandatum, præcipue inhibitorium, et dilatorium 681: 50. an contra legem Mandata dari possint? dicetur infra.

5) Si alia requisita literarum non habent, v. gr. sigillum, datum etc.

§. 1064. Mandatorum usitatiores species sunt sequentes:

Evocatorium, seu præceptorio-evocatorium. In Tabula Regia valet pro actione et certificatoriis, uti alias dictum: dare solet Personalis, velut præses Tabulæ Regiæ, et quidem ex praxi, solis Juratis sonat, non Judicibus Nobilium vel Jurassoribus, quod quidem, compendio sumtuum, uti 50: 1725. de Tabulis Districtualibus monet, et Decisioni quoque 5. p. 2. conveniens esset.

Compulsorium, sonare solet Jurato Ta-

bulæ Regiæ, vel Judici Nobilium et Jurassori ejus Comitatus, ubi inquisitio peragenda est, ut fassiones testium, per exponentem denominandorum, sub juramento excipiant.

Requisitorium, ad locum aliquem authenticum sonat pro extradandis sub authentico literalibus instrumentis, v. gr. ad Capitulum, Conventum, Comitatum, Districtum, Civitatem; Capitula et Conventus, si Mandatis requisitoriis non pareant, toties quoties in 500 fl. convincuntur, licet literalia, quæ petuntur, Capituli bona tangerent, 1723: 42, 45. 1765: 11. In plerisque Comitatibus instrumenta literalia rem politicam, aut aliam non litigiosam concernentia cuicunque, in quibusdam vero etiam rem litigiosam tangentia gremialibus absque Mandato extradari solent.

Dilatorium, ut causa extendatur ad alium terminum, si requirendis literalibus longiori tempore opus esset, aut legitima partis exponentis absentia exposcat, aut id genus aliæ rationes adsint 2-dæ: 59. simpliciter acceptari debet, nec potest ad forum contradictorium relegari 19: 1715. secus licet dicatur in Mandato expositionem coram mandante legitimatam esse, tamen illa coram Judice procedente, in foro contradictorio, probari debet, 50: 1681.

Inhibitorium, propter incompetentiam judicatus vetat causam decidi; fundari debet in lege, ut discuti possit. Si incompetentia est manifesta, simpliciter acceptari debet 1715: 19.

Prorogatorium, beneficium prorogationis continens ex 2-dæ: 59. datum ad determinatum tempus.

Declinatorium, quo jubetur causa ab uno

foro, v. gr. ecclesiastico, vel vicissim, transferri. Post parium receptionem, aut latam in foro ecclesiastico sententiam locum non habet. (Paria, more hodierno, una cum certificatoriis transmitti solent citato, v. gr. paria actionis. Ergo jam eatenus 1630: 13. cessat, si non transmittantur, occasione comparitionis solent peti cum termino, idest, extensione termini, v. gr. paria inquisitionum in criminalibus contra nobilem motis, ut se defendere possit). Causæ, quæ clare ad ecclesiasticum forum pertinent, nec ad Mandatum debent transmitti ad aliud forum, ut sunt matrimonales 1618: 70. 31: 1638. et testamentariæ 1715: 27. uti alias dictum est.—Item mere spirituales.

Transmissionale; si Judex appellatam, ubi admitti deberet, non admittat, vel non intra dominium admittat, ubi lex extra dominium appellare non præcipit, vel causa, secus, aut prorsus non, aut extra dominium appellabilis, ob aliquas incidentias graves, intra dominium (ne vinculo quidem obstante, D. 1. p. 186.) transmitti jubetur, v. gr. interpretatio obscuræ literæ, vel validitas ejus, aut juris disquisitio, vel aliæ quæstiones subversantur, quarum discussio activitatem fori pedanei excedit, vel manifeste contra legis dispositionem erraverit Judex procedens, et convictus appellaverit, licet sententia non sit ipso jure nulla: aut institutum condescendit, et vix ullum aliud haberi potest, vel stabilitum est, et Incattus speraret se alio instituo absolvi debere (sensu D. 4. p. 59. quæ ab exceptivis processum transmitti posse supponit) aut culpa Procuratoris, appellata neglecta est, etc. ut vid. sparsim.

Relaxatorio-continuatorium; quo sententia contumaciæ, ex rationibus alias dictis, annullatur, et ea non obstante, convictus, ad defensam admitti, et processus continuari jubetur.

Suspensorium, vel suspensorio-inhibitorium: quo Judex pedaneus a decisione causæ supersedere, et illam suspendere jubetur, v. gr. si ad implementum contractus ageretur, et jam idem contractus sub invalidatorio Processu esset, aut impetatur quis quoad bona, et literalia sua ad defensam necessaria, alio processu quærere incepisset, prior processus suspendi potest.

Continuatorium: quo causa ob aliquam rationem suspensa, vel interrupta continuari jubetur vi 37: 1723. sæpe cum cassatione prioris proceduræ, vel sententiæ, si nullitatis vitio laboret; vel lis præcipitanter fuit decisa.

Executorium: quo executio jubetur, 1563: 78. v. gr. sententiarum S. Sedis.

Correctorium: quo errores in executione commissi prævia citatione corrigi jubentur.

Resuscitatorium: idem quod continuatorium.

Renovatorium: quo sententia post annum pro renovata declaratur, et penes termini insinuationem executioni dari jubetur.

Repositorium: de quo alias egimus.

Reexecutorium: sed non simplex, verum cassatorio-reexecutorium, quod sententia vel citatio vitiosa fuit, vel nec fuit ulla, aut sententia aliunde ipso jure nulla fuit, ergo ratio debet dari in Mandato, et factum prius cassari, ita reexecutio cum fructibus et deteriorationibus, D. 5. p. 44. imponi, vi 30: 1681. et si necessarium

esset, processus continuari. Tunc habet locum hoc Mandatum, quando quis vel oppositione, vel reoccupatione, aut saltem cassatorio potuisset uti ante executionem. Etiam processu peti potest reexecutio, actione in 28: 1729. fundata, imitatur neturam successionalis. Stricte loquendo Mandato reexecutorio non error exequentis, verum judicantis corrigitur.

Acceleratorium, ut lis cito definiatur, v. gr. si jam antiqua esset, aut periculum esset de substrato, aut majores involutiones metuantur.

Moratorium, debitoribus (raro quidem sed tamen) dari solitum, 1647: 89. præcipue, si debitor creditoribus suis edictaliter convocatis statum suæ substantiæ exhibuerit, libros suos illis remonstraverit, juramento confirmaturum semet obligaverit, qui si dolo utatur, vel creditores aliquos clam exsolvat, induciæ cessant, imo debitor cum suis collusoribus punietur.

Promotorium, ut appellatum processum Sedria cito revideat, transmittat etc.

Sequestratorium: v. gr. si quis in præjudicium prolium vel fratrum bona avita illegaliter et irrationabiliter involveret, vel secus res cui metuitur, prætensioni alterius subsit.

Relegatorium: coincidit cum declinatorio, ob incompetentiam scilicet judicatus, cum falcem in alienam messem immittere non liceret, etc.

Relaxatorium: quo quis ab alio priori Mandato relaxatur.

Reseratorium: quo sequestrum reseratur.

Superabundans: quo prius jam datum

Mandatum urgetur, debet ab illo dari, qui prius dedit, uti relaxatorium.

Fulminatorium: datur post superabundans cum minis, verum vix est necessarium, quia si legale fuit primum Mandatum, etiam illi obediet Judex. Prohibetur 1646: 15.

Interpretatorium: v. gr. legis (et quidem solus Rex dat tale) aut contractus, vel transactionis ex 715: 16. verum vix est necessarium nisi in rebus ad viam politicam pertinentibus, quia in processu ipso Curia Regia, via appellatæ, interpretabitur, 2-dæ 6.

Statutorium: de quo alias satis egimus.

Reambulatorium: circa metas. Olim valde in usu erat, sed jam hodie raro.

Admonitorium: quo quis ad levandam dotem, quartalitium, vel summam pignoratitiam admonebatur.

Captivatorium: quo quis in persona capi jubetur.

Salvi conductus: quo incusatus, qui ex lege capi posset, aut nefors ad pœnam capitis citatus et non comparens, vel per non venit, in pœna capitali vel saltem corporali convictus, et capi jussus, in libertatis statu conservari jubetur, ut ita se defendat, a Rege solet peti, vel Palatino, dabitur vero accepta a Comitatu informatione 115: 1726.

Protectionale: quo quis contra injustam molestationem defendi, et manu teneri jubetur, 50: 1638.

Extraseriale: quo aliqua causa præ ceteris assumi et revideri ordinatur 1829: 45. — Quædam causæ sunt ex lege scripta vel non scripta extra-

seriales, v. gr. criminales; causæ Fisci activæ, prout penes Mandatum transmissæ, nec non oppositionales, repulsionales, causæ piæ, causæ pauperum, etiamsi ignobiles, D. 18: 11. vel ecclesiastici sint, 21: 11: tandem viduarum et orphanorum, in Tab-Reg. diebus Veneris et Sabathi, 46: 1729. in Comitatibus vero, prima die fixorum, 52: 1563. revidendæ. Pauperes ita gaudent extraserialitatis beneficio, si processu reacquisitorio agant, D. 12: 10. si Incattum ad extraserialiter agendum citent, Dec. 15: 11. si coactores mediis provisos, D. 3: 9. non habeant, vel sub illorum nomine tacitus A. non lateat, D. 11: 10. et denique D. 1, 2, 7, 19, 20, 21. p. 9, 10, 11. si testimonio publico et specifico demonstrarunt se vitæ mediis carere, quia, si vitæ mediis non carent, nonnisi expeditiones gratuitas D. 10. p. 10. et assistentiam Advocati pauperum acquirunt, et quidem ex usu ita, si 200 fl. substantiam non habeant, et denique tantum quoad suas ratas, non vero cointeressatorum.

Extraseriales sunt porro: causæ pignoratitiæ, causæ ex incapacitate possessorii, vel ad revindicationem indivisorum alienatorum motæ, causæ in partibus condescensæ D. 5, 13, 14, 16, 22. p. 9, 10, 11. et in genere omnes illæ, in quibus grave aliquod incidens svadet extraserialitatem, v. gr. actus majoris potentiæ D. 6. p. 9. 17. p. 11. ad invalidationem conditionum pignoris, item: ob dolum et fraudem; novæ divisionis. Ex gratia vero Principis quælibet causa per Mandatum extraserialis reddi potest, atque tunc I. ad extraserialiter agendum noviter citatur. In causis tabularibus, non jam a levata, verum a die meritoriæ, vel ei æquivalentis sententiæ interlocutoriæ (idest, in

quæstione actionis, actoratus, instituti et judicatus) latæ, in appellatis vero, a die levatæ coram Tab. Reg. factæ, obtinet series 1807: 10. quæ sub nullitate sententiæ præter seriem ferendæ ita observari deberet, 1729: 45. ut nequidem consensus Incatti in extraserialitatem, aliis causantibus præjudicare possit, D. 4: 9.

Delegatorium: si causa ordinario legali Judice careat.

Novi cum gratia: semel tantum potest dari 11: 3-tiæ, idque a principe.

Brachiale: quo sententia, vi mediante, executioni dari jubetur.

§. 1065. Structura Mandati, et stylus ejus usitatus non temere negligendus. Primo est expositio: Qualiter: etc. deinde petitio: supplicatum itaque est etc. tandem applicatio ad leges: cum autem etc. denique commissio, vel jussio, v. gr. tibi vel vobis harum serie firmiter præcipimus, ut præmissis sicuti præfertur etc. Comperto videlicet tantum eo, quod, etc. In fine ponitur sæpe (si scilicet exponens etiam postea usum velit, ac debeat habere Mandati; v. gr. in processu producere debeat) Præsentibus perlectis, exhibenti restitutis.

§. 1066. Sunt Mandata, quæ si quis habere velit, nomina tantum personarum et locorum debet in Cancellaria Judicis Regni Ord. indicare, ceterum textus et tenor eorum semper est idem, v. gr. talia sunt: Requisitorium, compulsiorum, prorogatorium etc. Quædam vero v. gr. evocatorium, transmissionalia etc. per artis peritum debent elaborari, et ita expeditio peti.

§. 1067. In omnibus autem peculiaris cortesia observatur, v. gr. eos ex Magnatibus, qui Principis titulo gaudent, sua Majestas vocat: Illustrissimos et Cognatos suos; reliquos vero, prout et Personalem, Spectabiles ac Magnificos; alios Nobiles, Egregios; Cives et ipsorum Magistratus, prudentes ac circumspectos; ignobiles reliquos, providos; Judæos; protectionatos, Ecclesiasticos: Reverendissimos, Reverendos, Honorabiles; omnes vero: Fideles suos; potiores seu Optimates quidem, vel sincere, vel tantum dilectos. Hæc eadem valent, omissis omittendis, de Mandatis Judicum Regni ordinariorum reliquorum, qui salutem tantum, (et nonnunquam, amicitiam) annunciant in allocutione, Rex etiam Gratiam; illorum mandata tamen gratiosa, hujus vero, ut etiam Palatini, velut hæreditarii Principis, benigna dicimus.

§. 1068. In processibus coram Sede dominali, aut oppidano foro currentibus, Mandatum, ad Comitatum vel Districtum solet dirigi, ut v. gr. Comitatus Sedem dominalem, Districtus oppidanum Magistratum inviare noverit. Si in partibus vertatur processus, potest procedenti Judici directe, vel Comitatui sonare, qui procedenti Judicio extradabit. Si jam in Sedria sit vel eo referri debeat, Comitatui sonat, idest, Universitati; sive in Congregatione, sive in Sedria præsentetur, est idem, seu soli Supremo, vel Vice-Comiti, quia illi referre tenebuntur.

§. 1069. Mandata illi, cui sonant, debent intra 60 dies a die emanationis præsentari, (quod etiam de commissionibus Vice-Comitum tenendum) 1-mæ 33. secus exspirant, præsentata vero

in regula durant quamdiu negotium durat. Evocatoria alioquin mature debent præsentari Jurato, et per illum exhiberi evocandis, quia secus terminus præfixus exspirabit, ast etiam si non exspiraret, elapsis a præsentatione 60 diebus, invalide exhibentur, D. 5. p. 2.

§. 1070. Mandatum Judici, cui sonat, præsentatum tenetur Judex indorsare cum dato, et subscriptione sua, quod illud vel acceptet, vel si clara sit illegalitas Mandati, seponat, vel vero, si dubia sit expositio, ad forum contradictorium releget, 78. 80: 1563. 50: 1681. ut partes super expositionis realitate disputent, et ex allegatis et probatis ferat tandem judicium, an illud acceptet, vel seponat.

§. 1071. In dijudicando autem Mandato judiciali, quod nec expressa lege prohibitum est, nec clausulas insolitas habet, nec defectu formæ externæ laborat, (secus enim seponibile est) non tam ad quæstionem juris, (velut per Judicem Regni ordinarium jam superatam) quam ad quæstionem facti, an scilicet expositio realis (idest, nonne aliquid falsi expositum, vel aliquid veri, quod ad rem pertinet, et statum quæstionis essentialiter mutat, reticitum sit) debet Judex inferior attendere. Judex autem Regni ordinarius, non tantum secundum, vel præter legem (dirigendorum scilicet et inviandorum, secundum spiritum legis, Judicum inferiorum causa) verum, propter (v. gr.) restrictam valde Judicum inferiorum judicandi, aut a verbis legis, instrumentorumque, recedendi facultatem, etiam contra legem, non jura civium proprie talia, aut proceduræ judiciali essentialia, verum tantum ejusdem

formam tangentem (prout hoc circa usum Mandatorum transmissionalium passim vidimus) mandare, seu a lege dicta dispensare potest, cum facti adjuncta subversentur, de quibus spiritus systematis nostri judicialis rationabiliter præsumere jubet, ipsam legislativam potestatem, si casus, prout se habet, præ oculis ejus versatus fuisset, a lege generali formam tantum, ut dictum, procedurę tangente, exceptionem facturam fuisse.

§. 1072. Si Mandati falsa expositio læsivos terminos contra Judicem contineat, potest Judex, (non obstante 16. Prolog. et 2-dæ 22. quod Actor et Judex nemo simul esse possit) eodem processu, quo de Mandato cognovit, emendam lingvæ, idest 100 fl. in exponente desumere, et ille extra dominium appellabit 53: 1655. Privatus per recursum injuria affectus, ad distinctum processum relegatur.

§. 1073. Processus ob non obtemperationem Mandatis judicialibus movetur, Actore illo qui Mandatum impetravit, coram Tabula Regia contra Judicem non obedientem. Actio fundatur in 78: 1563. 55: 1655. Actoratus controverti non potest, quia non mandans tantum, verum et Actor læsus est; meritum est rationabilitas non acceptationis, si rationabiles causas non adferat Judex, punitur in 200 fl. solito modo inter Judicem exequentem et A. dividendis, amissione officii, perpetua infamia, D. 1: 150. Reconventio habet eodem processu locum contra impetratorem Mandati, qui si legitimitatem Mandati non possit ostendere, convincitur in 400 fl. singillative, pro numero eorum, qui Judices præsentes fuerunt in non acceptatione Mandati, sive citaverit illos omnes,

sive non. Non sufficit autem Mandatum acceptare, verum etiam faciendum est id, quod mandatur, secus Judex æque punietur, ac si non acceptasset. Si contrarium Mandatum a Rege vel Superioritate legitime emanet, est sufficiens ratio non acceptati Mandati, D. 2: 150.—Etiamsi Mandans ante rem quam mandavit peractam moriatur, tamen, velut ex officio datum, non exspirat mandatum judiciale, eo minus grationale.

Libellus Actionalis ad Tab. Reg.

Inclyta Tabula Regia! Integras possessiones T. portiones item possessionarias, in Possessionibus T. Inclyto Comitatui adjacentibus habitas, per antenatum meum T. impignoratas, successive per condivisionales meos, auctionibus, imo etiam fassionibus perennalibus affectas, partim vigore 32: 1-mæ, 52: 1655. jure directo reluere, partim prælationis jure vi 60: 1-mæ, 47: 1725. mihi vindicare, atque quaslibet Involutiones medio tempore enatas ad mentem 52: 2-dæ accessorie rescindi volo, eo fine Domino T. terminum præfigi, eum in præsentiam I. Tabulæ Regiæ citari, mihique jus et justitiam administrari peto. Inclytæ Tabulæ Regiæ servus humillimus N. N.

A l i u s.

Inclyta T. R. Humillime detego, me in divisione cum fratre meo T. Anno T. peracta, substantialiter læsum esse.

Quia vero vigore 45, 46: 1-mæ, 56: 1729. non obstante vinculo, ac qualicunque demum involutione, juxta 54: 1655. 47: 1723. 58, 59: 1-mæ obicem

ponere nequeunte, in casu quo substantialis injuria subversatur, nova divisio decerni debet.

Ideo, Domino T. in sensu 26: 1726. terminum præfigi, eundem ad personaliter comparendum citari, juramentalem omnium mobilium et immobilium, literaliumque instrumentorum bona tangentium revelationem decerni, totam massam divisionalem adunari, novam divisionem, invalidata priore, fieri, sicque mihi jus et justitiam administrari peto. Incl. T. R. serv. hum. N. N.

A l i u s.

I. T. R. Humillime repræsento, Avum meum T. certas possessiones possessionarias in Possessionibus T. nec non prædiales in Prædiis T. I. Comitatui T. adjacentibus habitas vigore fassionis de dato T. coram loco T. perennaliter alienavisse.

Quum autem quælibet bonorum avitorum absque causa necessitatis vel rationabilitatis factæ alienationes secundum 58, 59, 61: 1-mæ, rescindi possent.

Ideo peto, D. T. velut actualem bonorum eorum possessorem ad I. T. R. citari, quaslibet involutiones Actioni meæ obstare valentes, accessorie, juxta 52: 2-dæ rescindi, mihi bona readjudicari, et reali cum executione jus et justitiam administrari, persevero etc.

Certificatoriæ ad Tabulam Regiam.

Egregie Domine! Quis et qualem litem contra Dominationem vestram movere velit, ex genuinis Actionis hic advolutis paribus intelligere poterit D. V. Ego itaque vi muneris mei præfigo D. Vestræ diem T. et subsequos juris dies anni

currentis infrascripti, pro quo termino D. Vestra coram I. T. R. per se vel per legitimum Mandatarium comparere, seque defendere non intermittat. Datum in libera regiaque Civitate Pestiensi Anno T. etc. N. N. Personalis Præsentiæ Regiæ in Judiciis Lomumtenens m. p.

Egregio Domino T. hæ literæ certificatoriæ judicialiter exhibendæ. (L. S.)

Testimoniales super Exhibitione.

Infrascriptus præsentibus fidem facio, me certas Literas certificatorias Domino T. sonantes, clause confectas, sigilloque Suae Majestatis judiciali munitas, terminum T. dorsaliter prae se ferentes Domino T. personaliter domi suae reperto (vel medio Jurisdictionati sui T. loco T.) Anno T. Die T. legitime exhibuisse. Super qua per me peracta exhibitione praesentes extradedi Literas testimoniales. Signatum — — N. N. Judex Nobilium I. Comitatus T. m. p. (L. S.) vel N. N. Jurassor I. Comitatus m. p. (L. S.) vel Juratus Tab. R. T. etc.

Mandatum Evocatorium loco libelli actionalis ad Tabulam Regiam.

Franciscus etc. Fideli nostro Egregio T. Tabulae Nostrae Regiae Judiciariae Jurato Notario salutem et gratiam! Expositum est Majestati Nostrae nomine et in persona fidelis Nostri Spectabilis ac Magnifici Nobis dilecti T. qua etiam fratris natu majoris, et reliquorum suorum Cointeressatorum jura sustentantis: Qualiter Castrum T. in Comitatu nostro T. existens una cum Oppidis et Possessionibus, aliisque appertinentiis, ab antiquo ad eandem spectantibus, in processu uberi-

rius deducendis, partim jam superius attacto, partim vero aliis Comitatibus Nostris adjacentibus, optimo jure privilegiali, antelatum exponentem, Cointeressatosque ejus concerneret, successive vero abalienata, variis temporum mutationibus, et devolutionibus ad diversas manus pervenerint, et inpræsentiarum usque possideantur, damno et præjudicio Exponentis, Cointeressatorumque illius gravi admodum, et manifesto.

Quia vero vigore 15: 54: 1-mæ et aliarum Regni Nostri Hungariæ legum, bona penes privilegium gubernari, acquiri et revindicari, quælibet involutiones circa eadem enatæ, juxta articulum 52: 2-dæ, accessorie cognosci, rescindique possunt, Privilegiorum vero productio et discussio, vi articuli 28: 1715. Tabulæ Nostræ Regiæ competeret.

Supplicatum exstitit Majestati nostræ, nomine et in persona antelati exponentis debita cum instantia humillime, quatenus eidem de condigno juris, benigni videlicet Mandati Nostri Præceptorio-Evocatorii remedio, clementer providere, eatenusque tibi mandare dignaremur, nec pateremur eundem justis suis juribus improvise destitui.

Cum autem justa petenti non sit denegandus assensus, et alioquin omnibus coram Tabula Nostra Regia causantibus, secundum Art. 26: 1723. certus, ac competens præfigi deberet terminus.

Pro eo, tibi harum serie, firmiter præcipientes benigne committimus et mandamus, quatenus acceptis Præsentibus, Fideles Nostros T. T. et alios coram te denominandos bonorum antelatorum possessores, per assignationem, vel Trans-

missionem parium præsentis Nostri benigni Mandati Evocatorii, ad diem T. et subsequos juris dies, Mensis T. Anni T. ad Tab. Nostram Reg. personalem scilicet Nostram præsentiam, ad comparendum, semetque defendendum citare et evocare, ac tandem super citatione et evocatione, consvetas literas testimoniales, modis omnibus, pro futura antelati Exponentis cautela, extradare debeas ac tenearis. Communi svadente justitia. Nec secus facturus. Datum in libera regiaque Civitate Nostra Pestiensi Anno T. Die T. Lectum et extradatum per N. N. Personalis Præsentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenentem m. pr. (L. S.)

Præsentatum.

Anno T. Die T. in Civitate vel Oppido T. Incl. Comitatui T. adjacente, præsens benignum Suæ Majestatis Mandatum Evocatorium, mihi introserto præsentatum, et per me debito homagiali cum cultu acceptatum. Cujus BB. tenoribus me in omnibus conformare, moremque gerere non intermittam. Signatum ut supra. Introsertus I. T. R. Jur. Not.

Paria vidimata.

Præsentem Copiam suo vero et genuino Originali in omnibus punctis et clausulis conformem esse testor. Signatum in Possessione T. Die T. Anno T. NN. Incl. T. R. Jur. Not. m. pr. (L. S.)

Indorsatio Parium Exhibitorum.

Anno T. Die T. in Possessione T. I. Comitatui T. adjacente, præsens par benigni Mandati Evocatorii, Perillustri ac Generoso Domino T. medio coloni sui T. exhibui, sicque præfatum Do-

minum in præsentiam I. Tab. Regiæ evocavi. Signatum ut supra. Idem introsertus I. Tab. Reg. Jur. Not.

Testimoniales super Exhibitione.

Infrascriptus I. Tab. R. Jur. Notarius præsentibus fidem facio, me paria benigni Mandati Evocatorii pro parte Illustris. Domini Comitis T. emanati, et mihi præceptorie sonantis exhibuisse ordine sequenti etc.

Domino T. domi suæ personaliter, Anno, Mense, Die T. etc.

Super qua per me peractæ Exhibitionis et Evocationis serie, præsentes, futura Illustrissimi Domini evocari curantis pro cautela, extradedi literas testimoniales. Signatum etc. NN. Juratus Tab. Reg. Not. m. pr. (L. S.)

Libellus Actionalis ad Tab. District.

Inclyta Tabula Districtualis Cis-Tibiscana Judiciaria Regia! Humillime detego: qualiter anno adhuc 1790. cum D. T. quoad bona ejusdem in Possessionibus TT. I. Comitatui T. adjacentibus existentia, certum ad 15 annos Contractum arendatitium suo tempore coram I. Judicio producendum, sub vinculo T. fecerim, idem vero Dominus, partim bona hactenus mihi non resignaverit, partim vero, etiam in resignatis, non omnia ad œconomiam pertinentia, atque in contractu pactata mihi effective ad manus dederit.

Cum autem contractus contrahentibus legem poneret, Math. D. 6: 18. Ulad. D. 1: 38. implementalesque processus ideo per legem instituti essent, ut morosi ad contractum implendum, auc-

tore Judice, compellerentur, 28: 1715. 54: 1725. et qui esset damni causa, idem præstare teneretur.

Ideo peto, dictum Dominum in præsentiam I. Tabulæ Districtualis citari, implementum contractus decerni, mihique etiam quoad accessoria, vinculum scilicet et damna, sive mora sive aliter causata, suo tempore deducenda, justitiam administrari. Inclytæ Tab. Districtualis, serv. hum. NN.

A l i u s.

Incl. Tabula Districtualis! Pro justitiæ administratione demisse propono: quod bona quædam indivisa in Possessionibus TT. II. Comitatibus partim T. partim vero T. adjacentibus habita, ex pignore communium mihi et Domino T. Antenatorum per eundem D. revindicata, ad sangvinem taliter rediverint, atque divisioni omnium oppignorantis successorum vigore 40, 41, 45, 47: 1-mæ obnoxia evaserint.

Quapropter peto, Dominum T. præfixo eidem competenti termino, in præsentiam Incl. Tabulæ Districtualis citari, ratam meam successionalem erga proportionatam onerum et expensarum in revindicationem factarum, in Judicio liquidandarum refusionem mihi adjudicari, et reali executione mediante assignari. Persevero etc.

Libellus Actionalis ad Vice-Comitem.

Spectabilis ac Perillustris Domine Ord. Vice-Comes! Humillime detego: quod peracta inter me et sororem meam carnalem et uterinam T. divisione, eadem Soror mea ratam suam, ex mobilibus et immobilibus ipsi obtingentem ad lares mariti sui T. attulerit, successive vero absque solatio prolium defecerit, maritus autem ejusdem totam u-

xoream substantiam, hactenus in manibus suis detineat, neque mihi remittere velit.

Quum autem juxta leges Regni, signanter Tit. 47: 1-mae, Art. 49: 1723. universa bona, ex divisione obtenta, uno ex condividentibus deficiente, in reliquos condividentes immediate devolvi, distracta vero vel deteriorata redintegrari, literalia, res mobiles, fructusque bonorum, de praxi, vigore item Art. 158: 1647. sub juramento revelari deberent, possessor autem talium bonorum, si quid nefors praetendendum habeat, liquidare et legitimare teneatur, Judicatus vero vi 28: 1715. 35: 1729. Vice-Comiti competeret.

Ideo peto praefato Domino T. terminum ad personaliter comparendum praefigi, mihique jus et justitiam reali cum executione administrari. Spect. D. Ord. Vice-Comitis serv. hum. N. N.

Certificatoriæ Vice-Comitis.

Perillustris ac Generose Domine! Per quem, et in quali negotio sim requisitus, ex advolutis hic, sub Lecta, Actionis paribus intelligere poterit praetitulata D. Vestra.

Fine discussione negotii ibidem contenti, praefigo Dominationi Vestrae, ad Oppidum T. Inc. Comitatui huic adjacens, diem T. et subsequos juris dies, pro quo termino D. Vestra coram me et mihi adjungendis Judlium et Jurassore, personaliter comparere non intermittat. Ego in omnem casum id sum facturus, quod juris ordo secum tulerit. Super quibus dum D. Vestram tempestive certificarem, persevero praetitulatae D. Vestrae ad officia paratissimus. NN. Vice-Comes m. pr. (L. S.)

Anno etc. genuina harum Certificatoriarum paria Domino T. domi suæ personaliter exhibui. Signatum in Possessione T. Anno etc. NN. Judex Nobilium m. pr. (L. S.) vel NN. Jurassor m. pr. (L. S.) vel Juratus etc.

Admonitorio Certificatoriæ Judicis Nobilium.

Illustrissime Domine etc. Probe meminisse potest Illustritas Vestra, et ex advolutis hic genuinis literarum pignoratitiarum paribus, uberius se reflectere poterit, quod certam portionem in Possessione T. I. Comitatui huic T. adjacente habitam a D. T. in pignore teneat, quodque anni obligati jam effluxerint.

Quia vero dictantibus Tit. 82. 1-mæ Art. item 52: 1655. pignus ad impignorantes redire, cum summa minori admonitus liquidare, bona erga liquidandam et legitimandam summam remittere, secus, non remissionis rationem in Judicio dare teneretur.

Ideo pro parte et ad petitionem ejusdem Domini, judicialiter admonemus Illustritatem Vestram, ut summam minorem trium flor. hic oblatam Illustritas Vestra levet, majorem inhærentem liquidet, atque bona proprietario admoneri curanti, medioque nostri liquidandam summam se depositurum promittenti, remittat. — Casum in contrarium, inhibemus Illustritatem Vestram ab omni ulteriore bonorum inoneratione, præfigimusque Illustritati Vestræ diem T. et subsequos juris dies Mensis T. Anni T. ad Oppidum T. I. Comitatui huic adjacens, quo termino advenientе Illustritas Vestra, non levationis summæ minoris, atque non remissionis bonorum, item, in

DEBRECEN SZABAD KIRÁLYI

omnem casum, fructuum post admonitionem, fœneratorio modo percipiendorum, rationem redditura, atque super omnibus his Judicium receptura, coram nobis legitime comparere non intermittat. Signatum etc. Illustritatis Vestræ servi obligatissimi NN. Judex Nobilium I. Comitatus T. m. pr. (L. S.) NN. Jurassor m. pr. (L. S.)

Actio Violentialis.

NN. Vice-Comes I. Comitatus T. Egregio alterutri ex Ord. aut etiam substitutis Judlium vel Jurassoribus I. Comitatus hujus salutem et prosperitatem! Querulose expositum est mihi, nomine et in persona Egregii T. qua etiam Colonorum et aliorum Jurisdictionatorum suorum infra nominandorum Domini terrestris: qualiter Egreg. T. qua tamen illustrissimi Domini Comitis T. Provisor, Anno T. Die T. Mense T. in pratum exponentis, in territorium Possessionis I. Comitatui huic adjacentis habitum, oculariter etiam si necesse fuerit suo tempore commonstrandum, assumtis ad latus suum T. Hajdone T. Auriga T. Boariis TT. Colonis Illustrissimi Domini Comitis irruerit, hominesque exponentis ibi fœnum colligentes, pacifice constitutos, nihilque tale metuentes potentiose aggressus, dirum in modum verberaverit, fœnumque jam collectum partim curribus impositum avexerit, partim disjecerit ac pessumdederit, in præjudicium jurium exponentis grave ac manifestum.

Quia vero secundum leges Regni, signanter 68: 1-mæ. 48, 67, 82: 2-dæ. 51, 56: 5-tiæ. 23: 1615. 56: 1655. 55: 1659. idem, velut actus violenti patrator ex officiolatu citari, præter injuriam quo-

ad fundum querulanti illatam 25 marcis gravi pond. expiandam, etiam quoad homines exponentis læsos in singillativis verberatorum, singillativisque pariter assumtorum suorum homagiis, damnorum et expensarum litis refusione convinci deberet, executioque ad bona Domini dirigi posset.

Ideo tibi serio committitur, ut dictum T. ex officiolatu, ad Diem T. et subsequos juris Dies Anni T. Mensis T. in Oppidum T. in præsentiam mei, mihique adjungendorum, per exhibitionem, vel transmissionem Parium præsentium cites, certifices, eumque simul, ut assumtos suos supra recensitos (exmissis de jure exmittendis) juri statuat, admoneas, testimonialesque literas super peragenda citatione futura exponentis pro cautela inservituras, extrades, nec secus facturus. Datum in Oppido T. etc. Idem qui supra Vice-Comes m. pr. (L. S.

Admonitio Impensionalis Actionem redolens.

Spectabilis ac Perillustris Domine! Pro parte, et ad requisitionem Domini T. judicialiter admonemus prætit. D. Vestram super eo: quod Coloni D. V. nominatim TT. in possessione T. habitantes, (an proprio instinctu, vel vero ex voluntate et auctoritate Judicis et Juratorum possessionis, ipsi viderint) Anno currenti infrascripto Die T. Mensis T. ad plagam T. vocatam, in territorio dictæ possessionis existentem, veniendo, pecora Domini admoneri curantis ibidem deprehensa, reluctantibus nequiquam ejusdem hominibus, potentiose et violenter abegerint, eadem clauserint, et compluribus diebus clausa detinuerint, neque suo modo et loco resignaverint, sic-

que semet duplici declicto obstringentes, ob impulsionem quidem, e loco usus pacifice per admoneri curantem exerciti, pœna violentiæ, in singillativis suis homagiis consistenti 26: 3-tiæ. 42: 1729. propter intermissam resignationem vero vi citati 42: 1729. pœnæ trium marcarum gr. p. pro singula detentionis die simultanee solvendæ. Per prætitul. Dom. Vestram, qua Dominum terrestrem, sub pœna violentiæ vigore 26: 3-tiæ. 29: 1609. 25: 1615. 41: 1729. cum damnis et expensis desumendæ obnoxios fecerint.

Quapropter admonemus Spect. D. Vestram, ut celebrandæ Sedi dominali terminum brevem præfigendum nobis insinuare, eoque adveniente, jus et justitiam reali cum effectu impendere et de Colonis suis juri statuendis satisfactionem præstare non intermittat. A responso usque quindenam præstolaturi, tuncque testimoniales Domino admoneri curanti, super peracta hac admonitione, et secutura vel non secutura responsione extradaturi, perseveramus. Datum etc. Spectabilis Dom. Vestræ servi ad officia paratissimi NN. Judex Nobilium I. Comitatus T. m. pr. (L. S.) NN. Jurassor m. pr. (L. S.)

L e v a t a.

Anno etc. Levata est causa Illustrissimi Domini Comitis T. qua etiam fratris natu majoris, et reliquorum suorum cointeressatorum jura sustentantis ut A. contra et adversus Excellentissimum, Illustrissimos, Spectabiles ac Magnificos, Spectabiles, Perillustres ac Generosos, Egregios, Nobiles Dominos et Dominas TT. ut II.

Pro A. legitimus Procurator juri exhibet be-

nignum Mandatum Evocatorium (vel Actionem originalem) sub A. testimoniales super legitime peracta evocatione sub B. in quorum conformitate petit sibi justitiam prævia Proclamata administrari. Ceterum generaliter reservat.

Pro I. Procurator T. comparet, et generaliter reservat.

Pro A. in probam Actionis producit sub C. etc.

Ingessio.

Nomine Egregii T. Procurator T. semet in præsentem litem ingerit, atque, in probam communionis juris et sangvinis cum A. producit sub NB. etc.

Alia Levata.

Anno etc. in Oppido T. I. Comitatui T. adjacente, coram Spectabili ac Perillustri Domino T. præfati Comitatus Ord. Vice-Comite, eique adjunctis Judlium et Jurassore, levata est causa Perillustris ac Generosi Domini T. qua etiam Colonorum suorum TT. Domini terrestris ut A. contra Egregium T. qua tamen Illustrissimi D. Comitis T. Provisorem ut I.

Pro A. Procurator T. producit Actionem originalem, cum indorsatis super legitime peracta citatione testimonialibus sub A. (vel Numero 1.) in cujus conformitate petit sibi justitiam administrari, prævia Proclamata, g. r.

Pro I. Procurator T. in conformitate citationis comparet.

Insinuatio termini Executionis

Perillustris ac Generose Domine! Qualesnam in Processu per Dominum T. contra D. Vestram

anno adhuc T. coram etc. moto, et per D. Vestram ad I. Tabulam Regiam appellato, D. Vestra reportaverit onerosas sententias, optime constat D. Vestræ, etiam ex hic advolutis sub Lecta, sententiarum paribus uberius intellectura est.

Ego, virtute gratiosæ Exmissionis hic pariter advolutæ, pro executione præfigo D. Vestræ terminum Diei T. Mensis T. Anni curr. infrascripti, quem terminum eo fine D. Vestræ insinuo, ut illo adveniente, D. Vestra in facie bonorum præfato Domino T. adjudicatorum comparere, et juribus suis invigilare possit. Persevero. Datum etc. D. Vestræ ad officia parat. NN. V. Comes m. pr. (L. S.)

Mandatum Sententiæ Contumaciæ Relaxatorium.

Josephus Archidux Austriæ, Palatinus Regni Hungariæ etc. Egregio T. Comitatus T. Ord. Vice-Comiti salutem et gratiam! Expositum est Nobis, nomine et in persona Spectabilis ac Magnifici Comitis T. Qualiter coram te et tibi adjunctis Judlium et Jurassore, per Egr. T. certo tibi optime cognito processu debiti conventus in accessu statim litis contra adversarium suum pœnam calumniæ petierit, nonnullaque ad meritum causæ pertinentia Instrumenta produxerit; successive, continuatione causæ, per te tibique adjunctos ad diem T. in oppidum T. deliberative rejecta ordinarius ejusdem exponentis Fiscalis Procurator, Egr. T. e loco habitationis suæ, Possessione videlicet T. tempestive, die utpote T. moverit quidem, propter aëris intemperiem tamen, viasque repente exortis, et per duos fere dies continuo decidentibus pluviis difficiliores factas mature adesse non po-

tuerit; Pars autem actorea, alioquin causæ diffisa, occasione utendo, vix advesperascente cœlo, sententiam contumaciæ petierit, eamque a te et tibi adjunctis, in Exponentem ferri impetravit; Fiscalis vero Exponentis Procurator, statim post latam sententiam adveniens, eandem nullo respectu ad allegationes, et instrumenta jam antea in processum inducta, ex mera et nuda comparitionis intermissione latam videndo, Actoreque prius an a sententia recedere vellet, nequicquam tentato, super nullitate quidem ejusdem sententiæ protestatoriam cautelam interposuerit, sed tamen in quantum illa valorem habitura esset, eandem prout cum aliis sententiis, per non defendit latis fieri consvevit, appellaverit; tu vero cum tibi adjunctis, appellatam, prout circa sententias, quæ mere ex non venit latæ sunt, aut ferri debuerunt, fieri assolet, rejeceris, exponentemque, licet ex jam inductis allegatis, a prætensione actorea, via appellatæ in Sedria semet absolutum iri sperare queuntem, ideo tamen, quod ad pœnam calumniæ in A. desumendam, processus adhuc sufficienter elaboratus haud erat, non invitam, appellatæ renunciare, prætensæ per ipsum sententiæ nullitati autem eo fortius inhærere coëgeris, sicque eidem Exponenti speciosam executioni nefors intentandæ, opponendi occasionem suppeditaveris.

Quia vero dictantibus Tit. 52: 2-dæ, 52: 1723. rationabiles causæ non comparitionis acceptari deberent, sententiaque contumaciæ tantum illos feriri posset, in quos contemtus Judicii caderet, de Exponente vero, qui jam in prioribus terminis comparuisset, quin imo illa ipsa qua con-

victus erat die, licet sero, adfuisset, contemtus judiciariæ Auctoritatis præsumi non posset, sententiæ autem prolog. 15. ex allegatis et probatis ferri, et denique vigore 9: 1-mæ nemo nisi juris ordine convictus et sufficienier auditus in persona vel rebus suis damnificari deberet.

Supplicatum itaque exstitit Nobis, nomine et in persona antelati Exponentis debita cum instantia humillime, quatenus eidem de condigno juris, Mandati videlicet Nostri Præceptorio-Continuatorii remedio providere dignaremur, nec pateremur eundem justis suis juribus improvise destitui. Cum autem justa petenti non esset denegandus assensus, et alioquin ejusmodi defectus Mandato judiciali resanare, quam oppositioni, et litium multiplicationi occasionem dare salubrius esset.

Pro eo Vobis, auctoritate judiciaria qua pleno jure fungimur, harum serie firmiter præcipientes benigne committimus et mandamus, quatenus acceptis Præsentibus, rebusque sicuti refertur stantibus, seque habentibus, comperto videlicet tantum alterutro eo, quod vel die comparitionis viæ notabiliter corruptæ, vel vero in sententia contumaciæ per te, tibique adjunctos lata nulla allegatorum ad meritum causæ pertinentium ratio habita sit, exponentem, non obstante sententia ista, veluti præsentibus annullata, ad ulterius agendum, seque defendendum admittere, jurique et justitiæ consonam ejus defensam audire, discutere, ac decidere noveris, debeas, ac tenearis. Communi svadente justitia, nec secus facturus. Datum etc. (L. S.) Lectum et extradatum

per NN. Excelsi Officii Palatinalis Magistrum Protonotarium m. pr.

Transmissionale intra Dominium.

Josephus de Ürmény Judex Curiæ etc. Illustrissimis, Reverendissimis etc. Expositum est Nobis nomine et in persona Egregii T. qualiter Egregius T. contra Exponentem, anno T. certum, intuitu portionum possessionariarum in possessione T. Comitatui Vestro adjacente habitarum, reluitorium coram Judice Nobil. T. eique adjuncto Jurassore moverit processum, Exponensque, propter conditiones certas adhuc inexpletas contra Institutum et Judicatum exceperit, eo tamen non obstante Judex Nobil. Vester, Institutum et Judicatum stabiliverit, exponens vero eandem sententiam pro Appellata declarando successive latis etiam in quæstione Actoratus, et merito gravatoriis eidem sententiis, ad liquidationem liquidandorum adstrictus, ex subversantibus jam supra recensitis circumstantiis, processum intra Dominium, leniori remedio uti volendo, ad Sedem Vestram judiciariam referri nequicquam petierit, Judice Nobilium vero, executionem re ipsa intentante a spe Appellatæ intra Dominium admittendæ dejectus oppositionis velamine executioni obviaverit, atque licet oppositionis rationem ex non admissa in subversantibus causæ circumstantiis intra Dominium appellata, potissimum vero ex incapacitate Judicatus desumtam dederit, in pœna tamen oppositionis convictus fuerit.

Quia vero contractus contrahentibus, dictantibus etiam Matth. 6: 18. Ulad. 1: 58. legem pone-

rent, conditionesque literarum pignoratitiarum legitimæ, juxta 55: 1625. 90: 1635. 125. 1647. 52: 1655. observari deberent, fora vero inferiora vigore Articuli 28: 1715. non de contractu seu ejus validitate, sed secundum contractum judicandi facultatem haberent.

Supplicatum itaque exstitit Nobis, nomine et in persona antelati exponentis debita cum instantia humillime, ut eidem de condigno juris, mandati videlicet Nostri intra Dominium Transmissionalis remedio providere dignaremur, nec pateremur eundem justis suis juribus improvise destitui.

Cum autem justa petenti non esset denegandus assensus, et alioquin validitas actus cujuslibet a competentia Judicatus penderet, nec falcem in alienam messem 78: 2-dæ immittere liceret, ubi vero ratio oppositionis ex non admissa intra Dominium appellata desumeretur, processus oppositionalis, ante executionem imo latam in eodem sententiam, vi 58: 1729. ad Tabulam Regiam transmitti soleret, neque in 28: 1729. in serie scilicet causarum extra Dominium appellabilium contineretur; pœnalia vero absque expressa legis dispositione non extendi, verum restringi, accessorium autem vi 52: 2-dæ suum principale sequi debere conveniens esset.

Ideo Vobis harum serie firmiter præcipientes, committimus et mandamus, quatenus acceptis præsentibus, rebusque sicuti præfertur stantibus, sequeque habentibus, comperto videlicet tantum eo,

quod conditiones pignoris per Actorem impletæ non sint, quodque exponens sententiam fundamentalis processus in merito latam appellaverit, Judicem Nobilium Vestrum eo inviare, ut ab executione supersedendo, tam fundamentalem quam oppositionalem processum ad Sedriam | Vestram referat, vos ipsi vero in casum approbandæ in Sedria Vestra per procedens Judicium in quæstione Judicatus et instituti latæ sententiæ, utrumque pariter processum, intra Dominum, ad Tabulam Regiam transmittere noveritis, debeatis ac teneamini. Communi svadente justitia. Nec secus facturi. Datum etc. Lectum et extradatum per NN. Excelsi Officii Judicatus Curiæ Regiæ Magist. Protonot. m. pr. (L. S.)

Continuatorio-Transmissionale intra Dominium.

Franciscus Dei Gratia Imperator Austriæ, Rex Hungariæ etc. Illustrissimis, Reverendissimis, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis item et Nobilibus, Supremo ac Vice-Comitibus, Judlium et Jurassoribus, toti denique Universitati Prælatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium Comitatus Nostri T. in Generali vel Particulari Congregatione, aut Sedria simul vel divisim constitutis salutem et gratiam: Expositum est Majestati Nostræ, nomine et in persona fidelis Nostri T. qualiter Reluitorio quodam processu, intuitu cujusdam Curiæ in Possessione T. Comitatui Nostro T. adjacente sitæ, per fidelem Nostrum T. coram Vice-Comite Vestro conventus succubuerit, et executionem quoque subiverit, brevi vero post eam

peractam tempore triumphans, ultra limites Curiæ sibi adjudicatæ, ut quidem Exponenti videtur, progressus, ædificium quoddam in vicino deserto fundo usque eo per Exponentem distincto jure possesso, ponere inceperit, Exponens vero missis suis hominibus, idem illud ædificium disjici curaverit, atque ea propter querulosa Actione conventus, suoque pacifico possessorio confisus, indebitæ actionis pœnam contra Actorem postulaverit, Actor vero executionales producendo, semet a proba annui usus præhabiti, velut in fundo ad Curiam sibi judicialiter assignatam pertinente, relevari debere asseruerit, ast eo ipso exceptioni contra Institutum interponendæ ansam præbuerit, Vice-Comes vero Vester, exceptionem illam, velut serotinam, priusquam fundamenta illius adduci potuissent, rejecerit, Exponentemque, cum periculo fundi amittendi, etiam in merito, in pœna violentiæ et homagiis assumtorum convicerit, sicque velut officio rite defunctus, processum Vobis, ut moris est, retulerit.

Quia vero meritum cujuslibet Actionis a natura tituli seu instituti ejus penderet, nominatim: turbatio in bonis, prætextu vel titulo executionis apprehensis, per executum intra annum attentata, non ad violentiam, verum ad reoccupationem (quæ loco, et ex rationibus oppositionis tempore executionis interponi neglectæ, vel eo, quod illa sphæram actionis et sententiæ excedere non videbatur, interponi nequeuntis, per leges admissa est) reduci deberet, ac longe diversam et excusationem et pœnam, quam alius quiscunque poten-

tiarius actus admitteret, adeoque quæstio Instituti hujus, cum merito arcte connexa esset.

Supplicatum itaque exstitit Majestati Nostræ nomine et in persona antelati Exponentis, debita cum instantia humillime, ut ipsi de condigno juris, benigni videlicet Mandati Nostri Continuatorio-Transmissionalis remedio providere dignaremur, nec pateremur eundem justis suis juribus improvise destitui.

Ideo Vobis præsentibus benigne committitur et mandatur, ut præmissis sicuti præfertur stantibus seque habentibus, comperto videlicet tantum eo, quod Actor titulo executionali inhæreat, processum Vobis relatum, pro uberiori discussione et elucubratione ad Partes, Vice-Comitem videlicet Vestrum remittatis, eumque eo invietis, ut collitigantes super qualitate fundi, in quo ædificium disjectum est, an scilicet pars vel appertinentia adjudicatæ Curiæ sit, an in executionem sumtus fuerit, vel sumi de jure potuerit, audiat, atque in casum illum, si non tantum Vice-Comes Vester, Institutum denuo stabiliverit, Exponentemque in merito etiam convicerit, verum etiam Sedria Vestra ubi Vobis relatus fuerit processus, idem fecerit, non obstante eo, quod violentiales causæ ad Tabulam Nostram Regiam extra Dominium de lege mitti soleant, præsentem processum, ad eandem Nostram Tabulam Regiam, Nostram videlicet Personalem in Præsentiam, intra Dominium, re integra transmittere noveritis. Communi svadente justitia. Nec secus facturi. Datum etc. Lectum et extradatum per NN. Personalis Præ-

sentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenentem mp. pr.
(L. S.)

Protestatio.

Nomine et in persona Egregii T. coram Venerabili Capitulo T. in forma solennis protestationis et contradictionis proponitur: Qualiter pater Protestantis T. jura ejusdem avita, nominatim bona in Possessione T. Comitatui T. adjacente sita, perennaliter et absque omni legali ratione vendiderit, sicque Protestanti, ejusque successoribus magnum præjudicium intulerit, ne itaque taciturnitate sua in ejusmodi alienationem et jurium suorum involutionem consensisse videatur, contra eam solenniter protestatur, eidem contradicit et reclamat, petendo Testimoniales sibi super hac Protestatione extradari.

INDEX CAPITUM.

pag.

Introductio 3

LIBER I.

Caput

I. De aetate personarum 20
II. De personis ecclesiasticis 28
III. De Magnatibus 33
IV. De Nobilibus 35
V. De liberis regiisque Civitatibus 51
VI. De Libertinis 56
VII. De patria potestate 61
VIII. De Matrimonio 66
IX. De Legitimatione et Adoptione 81
X. De Tutela et Curatela 84
XI. De dominica Potestate 95
XII. De Fisco Regio 106

LIBER II.

Caput

I. De eo, quid positivi circa modos acquirendi naturales apud nos obtineat 111
II. De Donatione 116
III. De Statutione et Contradictione 144
IV. De aequalitate et inaequalitate Juris inter sexum et sexum 167
V. De Quartalitio et Jure capillari 178
VI. De Jure viduali, Allatura et Parapherno 183

Index Capitum.

Caput	pag.
VII. De Juribus Regalibus minoribus.	207
VIII. De Testamento	230
IX. De Successione ab intestato	246
X. De fidei commisso	280
XI. De fratrum indivisorum lucro et damno	284
XII. De Divisione	290
XIII. De Rectificatione Divisionis, et Nova Divisione	294
XIV. De Proportione usus communium Beneficiorum	300
XV. De Metis	305
XVI. De Crimine laesae Majestatis, et Nota infidelitatis	310
XVII. De Praescriptione	315
XVIII. De obligationibus in universum	325
XIX. De Contractibus in genere	328
XX. De Cambio	338
XXI. De Emtione, Venditione, et Fassione perennali	343
XXII. De Inscriptione pro fidelibus servitiis	358
XXIII. De Pignore	359
XXIV. De Locatione, Commodato et Deposito	380
XXV. De Debitis	384
XXVI. De Transactione	419
XXVII. De Actibus potentiariis majoribus et minoribus, seu Violentiis, Repositione item solemni et summaria	424
XXVIII. De Larva, et Proditione fraterni sangvinis	481
XXIX. De Delictis circa Literas	485
XXX. De damnis et impulsionibus pecorum	490
XXXI. De Dehonestatione	510
XXXII. De Birsagiis, aliisque poenis incidentalibus, utpote: Calumnia, Violatione Sedis Judiciariae, Silentio, Emenda lingvae, temeraria litigatione, et infamia	514

LIBER III.

Caput	
I. De Jurisdictione, competentia Fori, et de Judice	521
II. De Actore et Ingerente	533
III. De Incatto et Evictore	541
IV. De Plenipotentiario et Procuratore	547
V. De Admonitione, Compromisso et Processu in genere	557

Index Capitum.

Caput	pag.
VI. De Actibus judiciariis ad inchoationem processus pertinentibus, utpote: Actione, Citatione, Levata, Proclamata, Comparitione et Contumacia	560
VII. De Actibus Depulsoriis, et Remoratoriis, Exceptionibus scilicet, Dilatione item et Prorogatione	578
VIII. De Contestatione Litis	587
IX. De Probatione in genere, et in specie de Probis internis	589
X. De Testibus, et oculata Revisione	592
XI. De literalibus Instrumentis	604
XII. De Juramento	612
XIII. De Actibus judiciariis ad terminationem litis pertinentibus, utpote: Sententia, Executione, Aestimatione	619
XIV. De Depositione	634
XV. De Revocatione Procuratoris	637
XVI. De Prohibata	642
XVII. De Appellata	643
XVIII. De Oppositione	651
XIX. De Repulsione	667
XX. De Reoccupatione	672
XXI. De novo Judicio	675
XXII. De Mandatis Judicialibus	680

BALOGH ISTVÁN
adománya
a t. füredi ev. ref. iskolának

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
2157/1913 raktárszám

756077

756077

756077